dia quædam mystica alia proponuntur, his cunctis diebus, & aditus omnes patentes sunt. Quapropter Sabbatorum aliorumque celebrandorum dierum excepta sunt tempora: quia ipsa hæc signum sunt, alterisque signi connexione non egent. Schaare Orah sub Adonai. (sequitur כה.)

תקוע חוט השני *Chorda filii coccinei* vocatur Malchuth è Cant. 4, 3. Sohar Vajechi procul dubio ob mysterium rigoris, quo excitantur oscula. Pard.

תקיע תרועה שברים *Tres soni Tubæ, bassus, altus & fractus*: sunt tres Patres: vide קשר & קשר. Sed in Soh תרועה refertur ad Malchuth; ob vehementiam. Omnes tamen תקיעות sunt in Tiphereth, quatenus Gebburam declinat ad Chesed; cum autem תרועה ad Tiphereth refertur, id fit quatenus concipitur esse in Malchuth. Pard. vid. Soh Bresch. 17, 107. Behaaloth 71. 283. Pinchas 107. 6.

תשובה *Conversio*. Octava Sephiratum ab imis ascendendo sapientibus hoc cognomine proferitur nonnunquam; hinc evolant *mentes*, quemadmodum ex pulchritudine *Spiritus*, ex Regno *animæ*, quæ mens, inquam, Spiritus & anima, donecin oraculum remeent prudentiæ, mutuo se nexu complicant & involvunt: adhæret namque anima spiritui, spiritus menti, mens quidem prudentiæ. Quod si peccatrix anima excisionis culpam subiverit, à spiritu præscinditur cui adhæserat, & futuri seculi expers efficitur, quia præstinditur ab arbore superna, & huc pertinent loca de exusione Gen. 17, 14 &c. At si demum expiata insontem se reddat, unde evulsa fuerat, spiritui rursus inseritur, & in prudentiam, venturiqueseculi vitam regreditur, quapropter *conversio pœnitentiæque* jure prudentia cognomine legitur. Et huc pertinet 1. Schm. 7, 17. Et quia Nephesch spiritui; hic menti; & hæc mundo vitarum affigata est, hinc intelligi potest 1. Schm. 25, 29. ubi per *fundam* denotatur pœna illa, qui Nephesch excisa e loco suo projicitur de loco in locum, de pœna in pœnam, de plaga in plagam in illo pœnarum genere, quod vocatur כף הקלע *turnatura funda*. Hinc patet quid sit mysterium conversionis, qui Anima redit ad locum unde evulsa est, adeoque quietis fuæ, de qua Psalm. 116, 7 quod fit per Legem Psalm. 19, 8. Jum. 1, 14. 22. Quod autem Conversio pertinet ad Binah, docemur loco Jesch. 6, 10. ubi יבין & ושב concurrunt. Et huc pertinet mysterium restitutionis in Jubileo Levit. 25. 31. 13. quo denotatur, quod per mysterium Binah redire potest Nephesch ad possessionem suam, locumque unde exusa erat. Schaare Orah Tr. 3. post יובל & sq. צדק עליון.

In Pardes huc pertinent sqq. Binah vocatur תשובה reversio, reditus, quia illuc redeunt res & existentiæ omnes, sub mysterio Jubilæi per circulum. Sed è Soh. Vajikra patescit, illam tunc appellari hoc nomine, quando ob executionem judicium in mundo instituta Binah ablata fuit, & deinde ad filios redit & misericordiam demittit. Sed quando cæteros gradus in ordinem redigit intra se, ut influxum accipere queant è suo loco; tunc vocatur Restitutio perfecta, quod fit, quando Corona Summa manifestatur & influit usque ad Malchuth. Sed Sect. Naso cum Malchuth vocatur תשובה. Quando enim hæc influxum habet à rigore, tunc influit in puramina & mundus judicatur; sed cum misericordia in ipsam influit, tunc restituitur ut infinem demittere queat in turmas Sanctas. Pard. Tr. 23. c. ult. vid. Soh. Beschich 30. 117. 42. 167. Chaje Sarah 77. Vajechi 119. Mischpatim 48. Kedoschim 41. Vajikra 6, 7. Masei 59. 235. Chukk. 87. Pinchas 119, 476. Vajera 69. Achare 32. 34.

F I N I S.

APPARATUS IN LIBRUM SOHAR

PARS SECUNDA,

CUJUS

CONTENTA EXHIBET VERSA PAGINA.

Parte hac secundâ Apparatûs in Librum Sohar continentur sequentia:

1. Excerpta ex Epistola quadam Compilatoris, de utilitate Versionis Libri Sohar.
2. Tabulæ duæ Synopticæ Kabbalisticæ, quarum altera est Clavis sublimioris Kabbalæ.
3. Aditus tentatus rationem reddendi Nominum & ordinis decem Sephirotharum in duabus Tabulis Cabbalisticis ex Scriptura, Platonismo, Rationeque liberâ D. Henrici Mori Cantabrigiensis.
4. Tractatus 1. Libri *Druschim*; seu Introductio Metaphysica ad Kabbalam autore R. Jizchak Lorja.
5. Quæstiones & Considerationes in Tract. 1. Libri Druschim D. Henrici Mori Cantabrigiensis; cum Ejusdem Epistola.
6. Ad Considerationes & Quæstiones in Tractatum 1. Libri Druschim R. Jisaaci Lorjensis Amica Responsio ad D. Henricum Morum; cum Epistolis huc pertinentibus.
7. Tractatus de Anima autore R. Moscheh Korduero.
8. Theses Cabbalisticæ, quod est compendium Libri Emek ham Melech.
9. Ulterior Disquisitio de rebus in Amica responsione Contentis D. Henrici Mori.
10. Visionis Ezechielis seu Mercavæ Expositio Ejusdem.
11. Fundamenta Philosophiæ seu Cabbalæ Aëto-pædo-melissæ Ejusdem.

Excerpta ex Epistola quadam Compilatoris de utilitate Versionis Libri Cabbalistici Sohar.

CÆterùm, cum tanta Religionum Christianarum divortia non aliunde orta esse suspicarer, quam à tanta Principiorum Philosophicorum, definitionumque Metaphysicarum inter Christianos diversitate, quæ omnia tamen sinistram quasi Theologiæ manum constituunt, cum plerique siteantur, Philosophiam esse Theologiæ famulam: Illicò mentem subiit, illam ipsam indagare Philosophiæ antiquitatem, quæ ipsius etiam Christi & Apostolorum tempore viguit, & è cujus scaturigine quicquid fere est Sacrorum oraculorum fluxisse videtur. Scrutaturus igitur antiquas illas de Deo, cæterisque quæstionibus Pneumaticis atque Theologicis opiniones, in antiquissimum illum Judæorum librum incidi, quem Sohar, seu splendorem appellant; cujus antiquitatem, quamvis ob recentiorem capitulorum ejus compilationem oppugnari viderem, ipsa tamen capitula atque tradita, quæ fragmenta potiùs dicenda sunt, antiqua satis esse, & antiquissimas explicare opiniones atque hypotheses abundè reperi. Non absterritus igitur incredibili styli ejus difficultate, nec abstrusissimis ænigmatum quibus scatet involucris, viam ingressus sum paucis tritam, à nemine, quod sciam, emensum, cæterum tot scrupis, salebris, voraginibus, præcipitiis, tantoque cœno refertam, ut mirum non sit quin plerique inevitabili territi fastidio, eam deseruerint. Insisto tamen, nec

hactenus itineris tædio succubui, atque adeò paucis Tibi delineabo, quod aurum, quasque gemmas ex his sordibus jamjam eruerim,& quæ me spes ducat ulteriùs.

Primò etenim Theologiæ Judaicæ antiquissimæ campus sese aperit patentissimus, cujus vix primos terminos hactenus scire licuit,cum longè aliter illa decurrat, quam prout illam moderni proferunt istius gentis Magistelli. Nempe insignia mysteria de Deo,ejusque Emanationibus,Nominibus eorumque ordine, Attributis, Personis sensu Judaico acceptis, Oeconomia cœlesti, revelatione & conversatione cum piis in Ecclesia, de divina Anthropopathia,Judiciis,Creatione,&c.

De Angelis bonis,& malis, eorumque vehiculis, ordinibus, officiis,ministerio,sede,inclinatione,&c.

De Anima ejusque Præexistentiâ,Natura,unione cum materia,gradibus,conduplicatione,metempsychosi,&c.

De Peccato originis, seu naturâ corruptâ, ejusque effectibus,pœna,&c.

De Messia ejusque existentiâ moderna, futura revelatione; requisitis, voluptate super adventu ejus, quam spiritualem, non ,ut allegoriarum litera sonat, carnalem sperant: nec non de illius Regno, triumphantibus potissimum virtutibus glorioso,victoriis,&c.

De Statu post mortem,adeoque Paradiso & Gehenna, eorumque speciebus,gradibus,occupationibus,&c.

De resurrectione mortuorum.

De virtutibus & vitiis.

Deque cœteris omnibus Locis Theologicis, ad antiquam Religionem Judaicam pertinentibus. Quorum quidem Excerpta quædam Josephus Voisin & Rittangelius ediderunt, sed pauciora.

Secundò Ipse quoque libri stylus mirum quantum conducit ad meliorem multarum Phrasium Novi fœderis intellectum.

Tertiò

Tertiò non parum delectant, & prosunt variæ super historiis sacris,nec non Legibus & Institutis Mosaicis Allegoriæ.

Quartò occurrit usitatus ille orientalibus mos accommodandi sacros textus ad materias diversas, quo & Scriptores Evangelici non rarò utuntur in accommodatione Vaticiniorum veterum ad sui temporis eventus, à recentioribus Judæis plerumque nequiter exagitatâ.

Quintò majorem inde lucem capiunt quam plurimæ Antiquitates,explicandis textibus Novi Testamenti tam commodè inservientes.

Et quæ sunt plura sublimium istorum studiorum Emolumenta,à Reuchlino, Riccio, aliisque prolixiùs exposita: quæ omnia si publicè prostarent, ut à pluribus accuratiùs examinari, & genuina à suppositititis secerni possent, proh! quanta inde nascerentur commoda. Versione igitur librum Sohar eo minùs judicavi indignum, quod non tantum dignissima solerti ingenio existimem,quæ sunt difficillima,& à vulgari usu remotissima, sed & quod omnino sperem ab ipsius Regni Christi temporibus similia studia non fore aliena. Remque aggressus sum eó libentius, quod non tantum Magistro nunc uti queam in istis studiis versatissimo Judæo hoc sene, qui in Germania sui vix habet similem, sed & Commentarii ad hanc rem mihi suppetant Manuscripti a R. Jizchak Lorja Germano,in Palæstina consarcinati, prolixi quidem & multo ob raritatem ære comparati, sed perspicui satis Ingenio in his studiis versato. Sed hæc omnia tamen horis tantum succisivis tractanda mihi sunt inter strepitus & litigia fori, consiliorum conflictus, aulæque ministeria, sæpè satis defatigato, &c.

Tabula Kabbalistica prima.

Sephirah I.
כתר
Corona, cui tribuitur Nomen
אהיה

Sephirah II.
חכמה
Sapientia, cui tribuitur Nomen
יה

Sephirah III.
בינה
Prudentia vel Intellectus, ubi Nomen
יהוה

Conciliatrix
דעת
Cognitio vel *Scientia*.

Sephirah IV.
גדולה vel חסד
Magnificentia vel *Benignitas*, ubi Nomen
אל

Sephirah V.
גבורה
Severitas, cui Nomen
אלהים

Sephirah VI.
תפארת
Pulchritudo cui Nomen
יהוה

Sephirah VII.
נצח
Victoria, seu *Æternitas* Nomen
יהוה צבאות

Sephirah VIII.
הוד
Gloria, cui tribuitur Nomen
אלהים צבאות

Sephirah IX.
יסוד
Fundamentum ubi Nomen
אל חי

Sephirah X.
מלכות
Regnum, cui tribuitur Nomen
אדני

Tabula

Tabula Secunda

Clavis sublimioris Kabbalæ, de ordine divinorum Nominum pro resolutione difficiliorum Ænigmatum Libri Sohar.

Vid. Tab. an. 15.

aaa

PRima Sephirah Circulus Arich Anpin i. e. longa facie prædiri (seu Longamini) & Coronæ summæ, quam denotat apex literæ Jod Nominis Tetragrammati: Hæc circa ima emanationis suæ, vocatur Longùs, & Non Ens, circa summa verò Infinitum. In medio habet tria capita, propter quæ dicitur Antiquus dierum.

b Corona Coronæ summæ, Caput imperceptibile.
c Sapientia Coronæ summæ, Caput Infiniti.
d Intelligentia ejusdem, Caput Longa facie prædiri.
e Reliquæ Sephiræ, Coronæ summæ, usque ad Regnum.

Cognomina & subordinata hujus Sphiræ sunt: 1. Lux nam אין סוף, Infinitum & אור Lux numeris æquipollent. 2. Causa Causarum. 3. Color niger. 4. Lorum Phylacterii Capitis dextrum. 5. Ehjeh. 6. Fons sine fundo. 7. Misericordiarum Pater. 8. Aleph Magnum. 9. Timor Domini. 10. Lux inaccessibilis. 11. Dies Æternitatis. 12. Privatio. 13. Mens. 14. Tredecim oracula misericordiæ. 15. Huc, ille. 16. Nihil. 17. Oriens. 18. Caput album.

ff Secunda Sphirah: Sapientia, Cujus cognomina & subordinata sunt. 1. Jah. 2. Jod Tetragrammati. 3. Principium. 4. Primogenitura. 5. Voluntas. 6. Terra viventium. 7. Jesch Ens seu essentia. 8. Lux primitiva. 9. XXXII. Semitæ Idearum. 10. LXX. Legis species. 11. Bellum. 12. Judicium. 13. Amen. 14. Liber. 15. Sanctum sanctorum. 16. Informe. 17. Profundum cogitationis. 18. Cogitatio. 19. Formido. 20. Eden.

Eden. 21. Olei unctionis scaturigo. 22. Vinum asservatum ab orbe condito. 23. Quis? 24. Membrum virile summum. 25. Verbum seu oratio.

g Superior pars vocatur Pater, istique tribuitur Tetragrammaton valoris 72.

h Inferior pars vocatur Israël senex, istique tribuitur Tetragrammaton, valoris 67.

ii. Tertia Sphirah: Prudentia. Cujus cognomina & subordinata sunt: 1. Jehovih. 2. He primum Tetragrammati. 3. Septima à Fundamento, seu Prima ad Fundamentum, atque inde Sabbathum magnum & 4. Jobilæus magnus & proinde Hæreditas Jacob. 5. Dies suprema. 6. Dies Propitiationis. 7. L. Portæ. 8. Vox interior. 9. Tuba magna. 10. Rex sedens in throno miserationum. 11. Fluvius egrediens de Paradiso. 12. Conversio. 13. Mens seu Anima suprema. 14. Votum. 15. Mysterium fidei. 16. Fundamentum spirituum. 17. Lumen mirificum. 18. Aquæ profundæ. 19. Soror mea. 20. Filia patris mei. 21. Formatrix. 22. Redemtio mundi. 23. Seculum veniens seu Vita venientis seculi. 24. Palatium sapientiæ. 25. Matrix literæ Jod. 26. Justitia superior. 27. Gloria. 28. Fons vitæ. 29. Collaudatio. 30. Azyma. 31. מי Quis: item Mah. Quidè seu nomen Dei 45. 32. Facies solis. 33. Ignis ignem consumens.

k Superior ejus pars vocatur Mater, eique tribuitur Tetragrammaton valoris 63.

l Inferior pars vocatur Tbhunah Intelligentia, eique tribuitur Tetragrammaton valoris 62.

mmmmm Circulus Literæ Vav Tetragrammati, adeoque Seir Anpin seu Brevi facie præditi, quo nomine appellantur septem Sphiroth à Benignitate, sive secundum alios à Sapientia incipiendo.

nnnnn Pars superior vocatur Israël Puer eique tribuitur Tetragrammaton Valoris 45.

mnnn Pars inferior vocatur Jacob, cui idem nomen tribuitur.

ooo De-

ooo Denotat Caput Brevi facie præditi, cum triplici cerebro.

p Cerebrum dextrum Brevi facie præditi, sapientia, cui convenit Tetragr. valoris 72.

q Cerebrum sinistrum ejusdem, Prudentia, cui convenit Tetragrammaton valoris 63. item 72. item 52.

r Cerebrum tertium ejusdem, Scientia, quamvis hæc inter Sphiroth propriè locum non habeat.

s Sphirah quarta, Magnificentia seu benignitas, quæ est brachium dextrum Brevi facie præditi. Cujus cognomina & subordinata sunt: 1. El. 2. Abraham. 3. Color Albus. 4. Aqua. 5. Ignis candidus, 6. Vestes albæ. 7. Argentum. 8. Chaschmal. 9. Michael. 10. Auster. 11. Oriens. 12. Dies tertius. 13. Innocens. 14. Facies leonis.

t Sphirah quinta, Robur Rigor, quæ est brachium sinistrum Brevi facie præditi. Cujus cognomina & subordinata sunt: 1. Elohim. 2. Jizchak. 3. Color ruber. 4. Caligo. 5. Ignis ruber & ater. 6. Aurum, divitiæ. 7. Altare aureum. 8. Gabriel. 9. Metatron. 10. Septentrio. 11. Occidens. 12. Nox. 13. Dies quartus. 14. Sanctificatio. 15. Judicium. 16. Præcepta Legis negativa. 17. Timor. 18. Veritas. 19. Meritum.

u Sphirah sexta: Pulchritudo; quæ est corpus Brevi facie præditi, eique tribuitur Tetragramm. valoris 45. item 72. Cognomina & subordinata ejus sunt. 1. Jhovah. 2. Israël & Jacob modo supra dicto. 3. Color viridis vel flavus. 4. Spiritus. 5. Sol. 6. Ortus solis. 7. Sacerdos magnus. 8. Linea media. 9. Lex scripta. 10. Pax. 11. Cœlum. 12. Speculum illuminans. 13. Lignum vitæ. 14. Homo supernus, Adam cœlestis. 15. Voluptas. 16. Judicium. Sententia. 17. Pater noster qui es in cœlis. 18. Species purpurea. 19. LXX. nationes in terra. 20. Mundus venturus. 21. Radix arboris. 22. Nun medianum. 23. Medulla spinalis. 24. Terribilis. 25. Tu. 26. Maritus Ecclesiæ. 27. Rex.

w Sphirah septima, Victoria: seu æternitas. Quæ est femur

dex-

dextrum,& pes dexter, Brevi facie præditi, cui tribuitur nomen Ejeh valoris 161. Ejus cognomina & subordinata sunt. 1. Jhovah Zebaoth. 2. Moscheh. 3. Visio prophetiæ, 4. Columna dextra Jachin. 5. Rota magna. 6. Cœli nubilosi, 7. Locus Consilii. &c.

x Sphirah octava. Gloria seu Decus: quæ est femur sinistrum & pes sinister Brevi facie præditi: Eique tribuitur nomen Ehjeh valori 151. Cognomina & subordinata ejus sunt. 1. Elohim Zebaoth. 2. Aaron & ramus Aaron. 3. Disciplina Domini. 4. Columna sinistra, Booz, 5. Serpens antiquus. 6. Molæ molentes. 7. Filii Regis. 8. Cherub. 9. Conclave Gazith. 10. Seraphin. &c. Ambæ dicuntur Prophetæ veri.

y Sphirah nona: Fundamentum. Membrum fœderis (seu circumcisionis) Brevi facie præditi, cui tribuitur Tetragrammaton valoris 63. Cognomina & subordinata ejus sunt: 1. El Chai, item ElShadai. 2. Angelus redemtor seu Redemtio. 3. Fons piscinarum, seu aquarum viventium. 4. Fundamentum Mundi. 5. Sabbathum integrum. 6. Dies quinquagesima. 7. Arbor scientiæ boni & mali. 8. Mons, item Zion. 9. Recordatio item Medium inter Custodi & memento. 10. Robur. 11. Gloria Domini. 12. Justus. 13. Fœdus Domini. 14. Fœdus circumcisionis. 15. Seculum animarum. 16. Leviathan. 17. Aries. 18. Joseph justus. 19. Noah justus. 20. Salomon. 21. Fundamentum prophetiæ David. 22. Dominus super arcam fœderis. 23. Intellectus bonus. 24. Pax. Columna pacis. 25. Messias filius Joseph. 26. Panis propositionis. 27. Septima à Prudentia. 28. Chok. Statutum. 29. Omne. 30. Tempus. 31. Hoc. 32. Robustus Jacob. 33. Portæ lachrymarum. &c.

zzz*** Sphirah decima. Regnum. Litera quarta Tetragrammati: adeoque Uxor Brevi facie præditi, quæ pectore tenus junctis tergis ipsi coaluit.

zzz* Pars superior vocatur Leah uxor Israëlis.

z*** Pars inferior vocatur Rachel uxor Jacob.

Cogno-

Cognomina & subordinata ejus sunt. 1. Adonai. 2. Elohim. 3. Vita. 4. Speculum non illuminans. 5. Terra. 6. Luna. 7. Posteriora. 8. Finis. 9. Lex oralis. 10. Dominus universæ terræ. 11. Sponsa. 12. Ecclesia Israëlis. 13. Regina cœli. 14. Virgo Israel. 15. Domus David. 16. Hortus David. 17. Cherub secundus. 18. Templum Regis. 19. Janua Dei. 20. Arca fœderis. 21. Duæ Tabulæ. 22. Arca Noæ. 23. Piscina. 24. Mare. 25. Bases. 26. Puteus. 27. Berscheba. 28. Omne. 29. Sapphirus. 30. Domus Sanctuarii. 31. Lapis Capitalis. 32. Schechinah. 33. Tabernaculum Concilii. 34. Justitia. 35. Gladius. 36. Ego. 37. Aquila. 38. Copula. 39. Sic. 40. Arbor scientiæ boni & mali. 41. Terra vitæ. 42. Liber vitæ. 43. Hæc. 44. Et dixit. 45. Ignis consumens. 46. Arida. 47. Pauper. 48. Raphael. 49. Vespera. 50. Quartus pes solii. 51. Domus judicii. &c.

ª Caput Istius Fœminæ, Regnum propriè dictum, quod continet Sapientiam, Prudentiam & Scientiam; istique tribuitur Tetragrammaton valoris 52.

y Benignitas Regni, brachium fœmininum dextrum.

ª Robur Regni, brachium fœmininum sinistrum.

ª Pulchritudo Regni, cui tribuitur Tetragrammaton valoris 52.

ª Victoria Regni Femur fœmininum dextrum, & pes dexter.

ª Gloria Regni. Femur sinistrum & pes sinister.

ª Fundamentum Regni. Membrum fœderis fœmininum.

ª Pedes Fœminini, qui protenduntur usque ad finem mundi materialis; & vestiuntur à Metatrone: Metatron autem est in medio Sandalphonis: Et Sandalphon descendit usque in atmosphæram Corticis Nogah, & operatur phænomena Mundi materialis.

Usus Tabulæ hujus de Ordinibus divinorum Nominum in explicandis Locis Scripturæ S. aliisque dogmatibus difficilioribus.

I.

EXod. 6, 3. Ego Jehovah & apparui Abrahamo Isaaco & Jacobo in El-Shadaï; & nomen meum Jehovah non indicavi eis.

El Schadai est cognomen Fundamenti sub lit. y. num. 1. connotans fœderis divini initia num. 13. circumcisionem, illis patribus traditam Num. 14. Redemtionemque particularem Num. 2. Illis temporibus autem nondum constituta erat Ecclesia Judaica.

Jehovah autem est cognomen Præsidis Ecclesiæ juxta lit. U. num. 26. temporibus Mosis instituendæ, unde quæ sunt officia Mariti erga uxorem, omnia à Deo sperare poterat Ecclesia Israëlis *zzzaaa*. num. 12.

II. Prov. 8, 21. Ut hæriditatem dem iis qui diligunt me, Jesch, id quod Est. Hæc intelligenda sunt de Sapientia vide lit. *ff*. num. 7. quæ summus est futurorum præmiorum gradus & alias etiam denominatur vinum &c. ut n. 23. ib. & Eden n. 21. &c.

III. Jes. 40, 26. Videte Mi, (quis) creavit hæc. Hic per Quis intelligitur Sapientia, vide *ff*. num. 24. Illa enim est principium Creationis ib. num. 3. 25. 26. &c. videatur Job. 38, 29. Ex ventre [illegible] Mi, (quis,) exiit Glacies.

IV. Quod tres Personæ denominentur in divinitate immeritò cavillantur Judæi, quia ipsi plures Personas, Parzuphin dictas in divinitate admittunt, nempe Arich Anpin. lit. *aaa*. Patrem lit. *g*. Matrem lit. *k*. Dseir Anpin. *mmmnnn*. Israëlem. *mmmm*. Jacobum. *mmn*. Uxorem Brevi facie præditi lit. *zzzaaa*. Leam. *zzz*. Rachelem *zaaa*. &c. Si igitur hæ personæ non absurdæ, quare Nostræ absurdæ erunt.

V. Pa-

V. Patrem in divinitate dari negant Judæi: Et ipsi tamen, non Patrem tantum, sed & Matrem exprimunt, imò membra generationis (quamvis debita modestia) eò collocant.

VI. Messiæ animam cum aliquo divinorum modorum unitam esse negant Judæi: cum ipsi tamen Abrahamum Benignitati, Isaacum Robori, Jacobum Pulchritudini, Davidem Regno sic alligent. Si igitur hoc non est absurdum, quare illud?

Hæc festinante calamo: plura suo tempore.

Aditus tentatus rationem reddendi Nominum & Ordinis decem *Sephirotharum* in duabus Tabulis *Cabbalisticis*, ex Scriptura, *Platonismo*, Rationeque libera.

In Primam Tabulam *Kabbalisticam*.

Kether, *Corona*. Nomen Symbolicum illius, quod primum est in Divinitate. Per hunc *Circulum*, *Annulum*, *Coronamve* primò significatur Infinitas in *Amplitudine* perinde ac *Duratione*, cum Annulus nec finem habeat nec initium, juxta tritum quoddam Proverbium Anglicanum, quod durabilem Amicitiam *Annulo finem non habenti* comparat. Ac propterea *Kether* Symbolum est illius quod vocatur *Arich Anpin* & *Ensoph*, (in secunda Tabula) quod *Infinitudinem* denotat.

Cæterum *Kether* porrò à Figuræ *uniformitate*, talis enim *Annulus* est sive *Corona* (quæ *Corona* hic potiùs quam *Annulus* vocatur quippe quod ad ipsum Apicem summitatemve Universitatis rerum pertineat, symbolum etiam est *Unitatis*, primæve Hypostaseos Triados *Platonicæ*, quam τὸ ἕν appellitant. Quæ *Unitas* iterum significatur per *Kether* ab ipsa vocis derivatione, à כתר nempe, quod est cingere, quod constrictionem quandam innuit rerumque continentiam in unum.

Corona autem hæc sive *Cinctura* Symbolum etiam est *Comprehensionis* perinde ac *Constrictionis*, significatque primam Hypostasin omnia sua plenitudine, prægnantiâ sive fæcunditate perfectionis *causaliter* continere. Nam cum omnia ex ea proproveniant, manifestum est omnia in ea fuisse, vel potius in ea etiamnum esse: Quo sensu, inter alia cognomina, appellatur *Causa Causarum*, cujus ex plenitudine ac bonitate omnia sunt. Quod *Platonicum* proinde necesse est esse Τὸ ἀγαθὸν Quemadmodum & Psalmista de Deo argumentatur. Psal. 119. v. 68. *Bonus es & Benefa-*

Benefaciens. Nescio an & istæ Locutiones huc referendæ sint. Psal. 65. *Coronas annum bonitate tuâ*. & Psal. 103. *Qui coronat te benignitate & miserationibus*.

Præterea, inter Cognomina, vocatur *Lux*, quod Symbolum etiam est hilaris communicationis ac beneficentiæ. Et *Fons sine fundo*, quod alterum symbolum est hujus inexhaustæ Bonitatis: utraque autem conjuncta, *Platonicam* illam Locutionem æquabunt vel adimplebunt quæ occurrit apud *Boëtium*, *Fontem Boni Lucidum*. Tam nullum subest dubium, quin *Kether* hæc, *Platonicorum* Τὰγαθὸν sit, quemadmodum suprà ostendi ipsorum esse τὸ ἕν.

Et notatu quidem dignum est, quod *Parmenides* tam profundus Mysteriisque plenus Philosophus DEUM definiverit *Ardoris Lucidi Coronam*: Non dubito quin cum relatione ad hanc ipsam *Kether*. *Tullius* enim eam memorans ait dixisse *Stephanen*, ac si *Parmenides* datâ operâ fœmininam illam terminationem elegisset (nam στεφανωσις usitatior vox est) ut responderet τῇ *Kether* quæ fœminini itidem generis est. Nec credibile est futurum fuisse, ut vocis *Stephane* omnino fieret mentio, sed vocabuli *Corona* tantùm, si non vox mystica sacraque apud *Parmenidem* fuisset, qui sensum illius optimè callebat, quamvis *Tullius* ignarus illius esset. Unde & factum est, ut *Parmenideam* hanc Dei definitionem parvi penderet. Cæterùm verisimile est *Parmenidem Kether* hanc censuisse ἀνώτατον, (quemadmodum *Arminius* dicitur DEUM Patrem appellasse) eumque perinde definivisse *Coronam ardoris lucidi*, sed sensu Symbolico. Utcunque vero sit, argumentum interim minimè obscurum est antiquitatis hujus Tabulæ *Kabbalisticæ*, cum *Parmenides* 460. fere annis ante natum Christum floruerit.

Jam verò secundam *Sephiram* quod attinet, illius cum secunda *Platonicæ* Triados Hypostasi convenientia tam manifesta est, ut celari non possit. Illud enim quod hic *Chochma* (i. e. *Sapientia*) appellatur, ab ipsis etiam appellatur νοῦς, & σοφία, ut etiam

etiam [illegible]. Quæ duo posteriora, nomina etiam sunt secundæ Hypostaseos in Trinitate Christiana. Adeo, ut nihil necesse sit diu his immorari. Cognomina etiam hujus *Sephiræ*, multa eorum valde consona sunt tum *Christianis* tum *Platonicis* Titulis secundæ Hypostaseos, ut *Principium*, *Jesch*, *Ens*, *Essentia*, ([illegible], inquit, *Plotinus*) & *Primogenitura*. Philo appellat [illegible], *Primogenitum DEI*. Verùm hæc adeo obvia sunt ut nullam prorsus habeant difficultatem.

Res majoris difficultatis meritò videri potest, tertiam *Sephiram* distinguere ab hac secunda, cum altera *Sapientia Chochmah*, altera sit *Binah Prudentia*, quemadmodum in hac Tabula exponitur, veruntamen exponi etiam potest *Intelligentia*, cum relatione ad *Kether* & *Chochmah*, si per *Intelligentiam* intelligamus id ipsum quod Græci [illegible] vocant. Quæ facilis est, recta, promtaque perceptio eorum quæ ab altero dicuntur. Nempe in humanis Colloquiis & sermocinationibus. Hæc verò si fas sit ita loqui, communicatio sive sermocinatio est quam Æternus profert *Logos*, qui inter alia cognomina appellatur *Scaturigo Olei Unctionis*, quique cum in carne esset, de tertia hac Hypostasi, quem *Spiritum* nos Christiani appellamus, dixit, *Ille de meo accipiet & renunciabit vobis*. Johan. 16. v. 14. *Binah* igitur, pulchritudinis omnis, omnisque Sapientiæ ac Bonitatis in *Kether* & *Chochmah*, lætabunda est Perceptio, estque unus purus, immutabilis & infinitus Divini Amoris ardor, ex Divinæ perfectionis *perceptione* ortus.

Hanc Hypostasin *Platonici Psychen*, seu *Animam* appellant, perinde ac *Kabbalistæ*, *Animæ gradum superiorem*. Quem *Platonici* vocant [illegible], quæ *Spiritui Sancto* in Christianitate responder. Cujus proprius Character est *Amor*, quemadmodum & ipsi *Scholastici* notarunt. Atque etiam hic inter alia cognomina vocatur *Ignis ignem consumens*. *Plotinus* vero hanc Hypostasin [illegible], i. e. cælestem venerem appellat ut etiam [illegible], [illegible] (ab amore) quam sororem facit uxoremque Jovis sive Divini intellectus. Atque hic etiam inter alia cognomina vocatur, *Soror mea*, & *Filia patris mei*, ut prætereamin secunda Tabula Kabbalistica *Chochmah* appellari Patrem, & *Binah* Matrem, quod parùm profecto abest à faciendo *Binah* uxorem perinde ac Sororem *Sephiræ Chochma*, quemadmodum *Plotinus Psychen* facit utramque vicem præstare *Divino Intellectui*. Sed hæc credo sufficere posse ad evidenter demonstrandum, quod *Binah* tertiæ Hypostasi respondeat in *Platonicæ* Trinitate.

Et tamen aliquid superest haud parvi momenti quod eòdem facit. *Platonici* enim suæ *Psyche* immediatam Mundi fabricationem attribuunt ut Scriptura *Spiritui DEI* incubanti aquis. Hic igitur eorum est [illegible] nempe *Binah*, ut *Chochmah* eorum [illegible], ex eò, quod *Creatio* immediatè hinc profecta sit. Atque hanc ob causam, & quod Divinæ illæ *Emanationes* sive Effluxus, quibus Mundus regatur, immediatè hinc promanaverint, hæc *Sephirah* aptè appellatur *Prudentia*, & inter alia Cognomina *Formatrix* etiam nominatur. Quò & ipsum nomen *Binah* videri potest alludere, cùm sono proximè absit à *Binnah*, tanquam si tale esset vocabulum à בנה extruere, fabricare, innuendo, *Binah* immediatam esse rerum omnium conditricem. Tanta sane convenientia est per omnia, tres primas *Sephiroth* inter & tres Hypostases *Platonicæ* Trinitatis.

Quod autem *Chochmah* Pater appelletur, satis consentaneum est illi loco apud Esaiam [illegible] *Pater seculi futuri* vel *Mundi futuri*. Erat enim, quando Mundus ab eo extiturus erat, perinde ac Ecclesia. Quorum utrorumque *Binah* etiam mater est. Ex eo verò, quod appellatur etiam *Filia patris mei*, manifestum est, Kabbalam *Kether* etiam appellare *Patrem*. Quæ usitatissima appellatio est primæ Hypostaseos apud nos Christianos.

Quamobrem cum hæc conspicua sit congruentia inter primam hanc Triadem *Sephirotharum* & tum *Christianam* tum *Platonicam*

tonicam Trinitatem, concludere debemus, quanquam haud ita distinctè in hac Tabula indicetur, quod in his æterna Divinitas consistat, quæ quantum ad seipsam semper eadem est sive ulla Creatura existat sive non. Ac proinde hæ rectius *Immanationes* appellari possunt quam *Emanationes*, vel potius Ἐνέργειαι. Prima enim ne *immanatio* quidem proprie est. Omnes verò sunt *Energiæ* in sublimi illo ac nobili sensu, quo *Aristoteles* dicit Deum talem esse ὃ ἐστὶν ἐνέργεια, *Cujus ipsa Essentia sit Energia*, nec possit non esse: Quod verissimum est de tribus hisce universis. Quod utique sunt infinita quædam, ac necessaria *Vita* & *Energia*, quæ non potest non esse, ac proinde existunt ab æterno. Unde *Arich Anpin* apellatur *Attik Jomin*, *Antiquus Dierum*, in secunda Tabula. *Antiquitate* illic pro *Æternitate* positâ, ut *Arich*, quæ *larga* productio est sive extensio, pro *Immensitate*.

Tales quidem sunt tres primæ *Sephiroth*. Quæ verò sequuntur, *Divinæ* sunt *Emanationes* in *Creationem* vel potius septem magis generales sive *Metaphysicæ* significationes modorum ordinisque earum (quibus & ipsæ continentur in hoc septenario) secundum ipsam rerum naturam. Ut primò, Divina hæc influentia extendi debet super totam Creationem, cum nullus Spiritus, Spiritualisve Operatio *amplitudine* destituatur aut *ubietate*, ut ita loquar, cum *amplitudo* primum & generalissimum Attributum sit cujusque rei, quæ revera sit. Quamobrem prima harum septem *Sephirotharum*, est *Gedulah*: quæ *magnitudinem* significat sive *amplitudinem*. Sit verò quid, quàm voles, amplum, parum tamen valet, sine viribus aut vigore, ac proinde proximè sequi debet *Geburah*, quod est, *Robur*. Sed nec *Amplitudo Vigorque* quicquam proficiunt, sine eo, quod apud *Græcos* vocatur Κίνησις, quod non solum *ornatum*, sed & *aptum ordinem* significat, ac proinde additur *Tiphereth*. Hisce verò tribus conjunctis *Amplitudine*, *Vigore*, *aptoque ordine*, naturalis horum eventus est *Netzach Victoria* sive felix successus. *Victoria* verò fructus *Hod*, i.e. *Gloria*, Triumphus, aut exultabundum Gaudium, ex operum

operum suorum successu. Quod crepitantis flammæ instar si citò extingueretur, res omnino imperfecta esset, & propterea superadditur *Jesod*, *Fundamentum*, quod *Stabilitatem* innuit, talesque leges *Fundamentales*, quibus gloriosa hæc & victoriosa Influentia Divina certò ac inevitabiliter Creationem regat. Est certè illa *Divina Nemesis* in rebus. Et ex his omnibus simul concinnatis, æternum illud DEI Regnum emergit, qui imperat Universis. Ac proinde postremo loco occurrit *Malchuth*, Regnum. Quod est integra illa Potestas Imperialis, quam Deus exercet in totam Creationem. *Jehovah in cœlis stabilivit solium suum, & Regnum ipsius dominatur omnibus.*

Atque hæc nominum ordinisque decem *Sephirotharum* brevis est ratio. Superest unicum nomen in hac Tabula proximè sub tribus primis Sephiroth collocatum, & ante septem postremas, estque *Daath*, vocaturque *locus Scientiæ*. Quemtanquam Symbolum considero status talium Animarum, quæ sub Influentia positæ sint, sive Illuminatione *Binah*, participesque fiant Sapientiæ, quæ superiùs est, & illuminatæ sint Spiritu Sancto. Cognomina cujus *Binah* sunt, *Lumen mirificum*, *vox interior*, *Facies Solis* &c. De titulo *Chesed* pro *Gedulah* posito, nomine primæ septem *Sephirotharum*, adnotamenta ponemus in Tabula sequenti.

In Secundam Tabulam *Kabbalisticam*.

IN hac secunda Tabula distinctio inter æternam Deitatem & Divinas Emanationes in Creationem profluentes magis est manifesta. Primò, Quia septem sequentes *Sephiroth*, tam conspicuè a tribus primis *circulo* distinguuntur. Et deinde, quia *generalis Divisio* cunctarum decem est in *Arich Anpin* & *Dseir Anpin*. *Infinitaque* Amplitudo uni attribuitur uti patet ex Inscriptione אין סוף En-soph, *Infiniti*, sed *contractio* amplitudinis alteri. Quandoquidem *Arich Anpin Macroprosopum* significat,

 sive

sive hominem vultu longe latevè extenso, *Dseir Anpin* autem *Microprosopum*, sive hominem facie magis contractâ. Quod planè demonstrat Antiquam hanc Sapientiam *Kabbalisticam* Mundum conclusisse finitum, quemadmodum fieri oportere ostendi in *Enchirid. Metaphys.* cap. 10. Ac proinde cum Divinæ Emanationes Mundo commensuratæ sint, eas etiam oportet esse *Dseir Apin*, limitatas scilicet ac finitas.

Cum verò *Arich Anpin* infinitus sit amplitudine, manifestum est oportere ipsam esse *Divinitatem*. Quæ in generali Repræsentatione simplicis *Arich Anpin* accuratè respondet *Extensò illi immobili infinito*, quod tam planè demonstravi in *Enchiridio Methaphysica* cap. 6. & 7. Et insinuavi porro, cap. 8. a viginti fere Divinis Attributis quæ ipsi competunt, confusiorem quandam ac generaliorem esse repræsentationem Essentiæ sive Essentialis Præsentiæ *Divinæ* quatenus à vita & operationibus præciditur. Et certè cum sit istiusmodi obscura adumbratio alicujus, quod tamen necessariò est (ac proinde meritò appellari potest *Ehieh*) puto me non temerè amicos sæpenumerò monuisse, quod illud censerem talem esse Deitatis repræsentationem, qualem *Kabbalistæ* etiam fortean observaverint, appellaverintque *Aleph tenebrosum*. Divinis verò illis *Energiis*, quæ suprà memoratæ sunt unà consideratis earumque manifestatione per Mundi Creationem, tum demum appellatum fuisse *Aleph Lucidum*. Atque hic sane, ille *Arich Anpin* sive prima *Sephira*, inter alia cognomina vocatur *Color niger*, & *Privatio*. Quod admodum aptè respondet meæ Notioni, de *Infinito illo Extensò immobili*. Adeò, ut quod ipse anxiâ ac severa ratione concluseram, antiqua hac Cabbalâ porrò confirmatum videam. Sed pergo,

Hic *Arich Anpin* ulteriori rursus sensu, quàm suprà notaverim, appellari potest *Ketber Corona*, quippe cum Mundus finitus sit, hic *Arich Anpin* necessariò eum circumcinget & quasi coronabit, quatenus *Arich Anpin* sive *Ensoph*. Quantum verò ad alteras

alteras rationes, quare prima hæc *Sephirah* appellanda sit *Ketber*, nihil necesse est hic repetere.

Cæterùm *Arich Anpin* sive *Ketber* hoc ultimo sensu cum tribus capitibus describitur, *Ketber*, *Chochmah* & *Binah*, utpote qui *essentialiter* sit *Ketber*, *causaliter Chochmah* & *Binah*, immo verò omnia quæ existunt. Vide Mysterium Pietatis. lib. 1. cap. 4. sect. 2. Veruntamen *ff* & *ii Chochmah* & *Binah* describuntur etiam distinctis circulis ad utrumque latus *Arich Anpin* sive *Ketber*, quippe quæ sunt, *essentialiter* & *formaliter distinctim* à *Ketber*, quanquam necessariò cum eo coexistentes & existentes ab eo, nec tamen ab eo *realiter* differentes. Et *Chochmah* appellatur *Pater* respectu Creationis Mundi & Regenerationis Animarum humanarum, quemadmodum & *Binah* ob easdem causis dicitur *Mater*. Sed ratione habita ad *Ketber*, *Chochmah* appellatur *Primogenitura* heic, & [illegible] apud *Philonem*. Et *Binah* heic *soror mea* & *filia patris mei*, juxta illud de *Psyche* (quæ huic *Binah* respondet) quod occurrit in mea *Psychozoia*. Cant. 2. Enneastich. 1.

Magnam illam primo cantavi carmine Psychen
Antiqui AHuvi gnatam quæ, Ontosque sororem.

Et *Binah* itidem juxta hanc Kabbalam Filia *Ketber* est, & soror *Chochmah*. Verùm & illa Locutio, *Filia patris mei* apertè agnoscit *Ketber* Deum Patrem quemadmodum nos Christiani primam Trinitatis Hypostasin appellamus. Quod & *Primogenitura* etiam planè implicat.

Notabo tantummodò Cognomina quædam sive subordinata Binah (quæ *Spiritui Sancto* respondet) istiusmodi scilicet quæ seculum illud futurum supponant, quod *Kabbalistæ* vocant *Regnum Spiritûs*, & tunc considerabimus *Dseir Anpin*. Talia autem sunt: *Sabbathum magnum*, *Jubilæus magnus*, *Hæreditas Jac b*, *Dies suprema*, *Dies propitiationis*, *Tuba magna*, *Rex sedens in thr no miserationis*, *Fluvius egrediens è Paradiso*, *Pœnitentia*, *Conversio*, *Lumen mirificum*, *Redemptio*, *Seculum veniens*,

Vita venientis seculi, Collaudatio. Hæc omnia, quantum ego video, digitum intendunt in *Millennium*, sive *Regnum Spiritûs* (qui hîc appellatur *Binah*) tanquam effecta specialis illius influentiæ, operationumve, illis temporibus.

Circulus τοῦ *Dseir Anpin* מ׳מ׳מ׳מ׳ caput complectitur τοῦ Dseir Anpin ooo, & sex primas præterea septem Sephirotharum. Et *qpr* triplex Cerebrum est hujus capitis videlicet *Sapientia, Prudentia* & *Scientia*, & respondet τῷ *Daath*, in priori Tabula, *Loco Scientiæ*, sensu magis generali, cujus rei significationem jam supra declaravi, majusque quippiam est quàm pro meis viribus plures ullius momenti instituere observationes super hisce *Sephiroth*.

Notabo solummodò circa primam harum septem, subsequentium *Sephirotharum* quod duo illius nomina *Gedulah* & *Chesed* talia sint quæ rursus initium arguant secundi generis *Sephirotarum*, quæ sunt *Creaturales*, sive Emanationes in Creationem, quæque distinguendæ sunt a tribus Sephiroth *æternæ Deitatis*, illucque referendæ tanquam effluxus ab eis tribus. Ut: ad *Arich Anpin* cum Inscriptione τοῦ *Ensoph*, quæ *infinitam* planè arguit *magnitudinem* referenda est *Gedulah* magnitudo vel *amplitudo creata* sive *finita*. Nullum enim signum *Infinitatis* illi adjungitur. Cæterùm τῷ *Arich Anpin*, quatenus est *Kether*, eo sensu quo *Platonicorum* Τριάδος includit, (sive æternam & à se natam Bonitatem) *Chesed* manifestò respondet, alterum utique illud nomen hujus primæ septem *Sephirotharum*, quæ est *Benignitas*, sive misericordia. Quæ altera Indicatio est, *Creaturales Sephiroth* hic incipere, hanceque esse *illam Misericordiam, quæ est in omnibus illius operibus.*

Ad primam etiam *Sephiram Deitatis* referri potest *Geburah Robur* sive Vigor, qui manifestò continetur in *Kether*, quæ non solùm constrictionem & unionem significat, sed, quemadmodum reverà est, *primordialem* vigorem, *prægnantemque vim* ac *plenitudinem* ex qua omnis vita & Essentia promanat, idem ipsum

ipsum quod *Platonicorum* Τριάδος implicat. Adeò ut *Gedulah* cum *Chesed* & *Geburah*, manifestò referendæ sint ad *Arich Apin* sive *Kether*, primam *Sephiram æternæ Deitatis*.

Tiphereth verò ad *Chochmah Sapientiam*, referenda est, siquidem *Tiphereth*, hoc est, *Pulchritudo* sive Ordo *æterno Logo* sive τῷ νοερῷ, aptè respondet, quem *Platonici* etiam vocant τὸ πρῶτον νοῦν, τὸ πρῶτον νοερὸν sive Αὐτοκαλόν. Quatuor autem ultimæ *Sephiroth Netzah, Hod, Jesod* & *Malcuth* referendæ sunt ad *Binah Prudentiam*, quippe quum hæ quatuor prosperam, gloriosam, stabilemque rerum administrationem Regni Dei in Creatione insinuent. Et certè *Prudentia* proprium est vocabulum, quo illa significatur Peritia, quæ in rebus agundis cernitur.

Nihil superest quod notem ex *Cognominibus* sive *Subordinatis* nisi, quod quæ ad *Tiphereth* spectant videlicet *Jehovah, Spiritus, Sol, Ortus Solis, Sacerdos magnus, Homo supernus, Adam cælestis, Maritus Ecclesiæ*, cum istis aliis eòdem spectantibus, nempe *Mundus venturus, Judicium, Rex* Comparata, subindicare videantur Regnum Christi secundum *Spiritum*, cum *Tiphereth* hoc in sensu sit Divinarum Emanationum in Creaturam omnium pretiosissima, vel Imago DEI Christive in nobis nati, illudque ipsum quo ipse etiam Christus secundùm humanam suam naturam gradu præ consortibus uberiori unctus est.

Jesod etiam *cognomina* habet quæ digitum videntur intendere in speciale illud fœdus, quod Prophetæ prædixerunt Deum cum populo icturum esse in Christo, in beatis illis seculis futuris. Quod fœdus futurum est vitæ, Spiritûs, ac virtutis populo suo. Ac proinde talia occurrunt cognomina *Jesod* videlicet *El-chai*, Deus vitæ, *El-schaddai* Deus omnipotens, *Angelus Redemptor, Redemptio, Fons aquarum viventium* (quod ipsum Christi promissum est omnibus in eum credentibus. Johan. 7. 38.) *Robur, Dominus super Arcam fœderis*, ut legem nempe cordibus ipsorum insculpat. &c.

Nunc

Nunc verò quod Circulus τοῦ *Dseir Anpin* è septem *Creaturalibus Sephiroth* (si fas sit ita loqui) sex solas contineat, equidem aliquantulum demirarer si non considerarem mentionem fieri coalitionis *Malchuthæ* , quæ dicitur uxor *Dseir Anpin*, cum ipso *Dseir Anpin*, conjunctis tergis. Mihi verò videtur inveniri debuisse *Malchuth* in *Dseir Anpin*, tanquam *Summam* vel *Aggregatum* omnium *Sephirotharum* , quatenus Emanationes sunt à D E O, quemadmodum intelligendæ videntur in prima Tabula, & tum demum succedere oportuisse Uxorem *Dseir Anpin*, quæ aut Creatio est in genere, aut vera Ecclesia magis particulatim, quam hic *Dseir Anpin* actuet regatque: Quo in sensu vocatur inter cognomina, *Sponsa*, (similiter atque Sponsa Agni in Apocalypsi) *Ecclesia Israëlis, virgo Israëlis*, & *Regina Cœli* (quasi *Hierosolyma* illa esset descendens è cœlo) *Domus David, Hortus David, Templum Regis, Arca Noæ, Piscina, Mare, Domus Sanctuarii &c.* In altero verò sensu, *Adonai, Elohim, Vita, Dominus universæ terræ, Lapis capitalis, Gladius*, Liber vitæ, Terra vitæ, Raphaël. &c.

His præmissis, suppositoq; quod uxor *Dseir Anpin* sive Circulus [illegible] intelligatur tota esse Creatio in genere, Circuli interiores β. γ. δ. ε. ζ. η. θ. non erunt nisi eædem rursus *Sephiroth*, sed nunc considerandæ non tam a suo *termino a quo* quatenus *Emanationes* sunt ab *Arich Anpin*, quam a *termino ad quem*, ab eove in quod fluunt, quæ Uxor est τοῦ *Dseir Anpin* sive Creatio, uti dixi. Atque heio *Malcuth* propriè sic dicta caput est ejus fœminæ, respondetq; τῷ *q. p. r.* in priori circulo, τὸν τῆς, τὸν δ' αὖτ', πατέρ' ἐμόν, πρὸς τοῦτο, τὸν δ' αὖτ' ἐμόν, τὸν δ' τοῦ γ. In hac uxore *Dseir Anpin* hæ *Sephiroth* considerantur magis *concrete*, in *Dseir Anpin* ipso magis *abstractè*. Supposito verò tantùm fœminam esse (quæ uno in sensu sit rerum creatarum Universitas, in altero autem sensu Ecclesia) β est caput ejus, γ brachium dextrum, δ brachium sinistrum, ε corpus, ζ femur dextrum & pes dexter, η femur sinistrum & pes sinister, θ membrum fœderis. Quantum verò ad [illegible] pedes, qui

qui dicuntur ad extremum Mundi materialis protendi & vestiri à *Metatrone*, ex hoc loco auguror *Metatronem* respondere posse *Principio Hylarcheio* quod voco, vel *Spiritui Naturæ*, qui immediatus est ornator ordinatorque Mundi materialis, *Tipheretb Physica*, sive *Tipheretb* universi naturalis, estque effluxus proprius *Chochmah*, (quemadmodum suprà notavi) secundæve *Sephiræ* æternæ Deitatis, quæ est [illegible] *æternus Logos*, & [illegible], vel potius [illegible] appellaturque [illegible] in versibus illis *Sibyllinis*:

Ἔστι δ' ἑγὼ ὁ ἦν τὸ δ' ἐὶ φρεὶ εξῆ ἀέρα,
Ὀνομάζω [illegible] &c.

Utpote qui æternus ille sit [illegible], qui per hanc *Physicam Thipheretb* propriam suam Emanationem, Materiam prehendit tenetque ac seipsum *universo* investit; qui magnus sit ille Sacerdos ac æternus *Aaron*, (cujus *Aaron* tantum fuit Typus,) æternus D E I filius, qui Creationem fecit, sustinet & renovat. vide *Appendicem Defensionis Kabbalæ meæ Philosophicæ*, Cap. 5. sect. 2. 3. 4. Et quemadmodum *Abyssus Physicarum Monadum* τοῦ *Arich Anpin* respondet & *Spiritus Naturæ* τῷ πνεύματι sive *Chochmah*: ita *Anima Mundi* (quæ *Spiritûs Naturæ* pars perceptiva est) τῇ ψυχῇ respondet sive *Binah*, tertiæ *Sephiræ* Deitatis. Verùm hisce non licet immorari.

Interea loci (quod fere oblitus eram) expressa trium primarum *Sephirotharum* a septem reliquis distinctio, idque tali modo ut manifestum sit per tres primas intelligendam esse æternam Deitatem videlicet יהוה. Quæ vox in הוה יהי. tempus futurum, præsens & præteritum complectitur, ac proinde perquam aptè respondet τῷ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, quemadmodum Apocalypsis vocabulum illud Hebraicum יהוה videtur explicare, Expressa, inquam, hæc distinctio facit, ut pronior jam sim, quam unquam, in hanc sententiam, quod septem utique Spiritus Apoc. 1. 4. [*Gratia vobis & pax à Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est* (quæ periphrasis est *Jehovæ* sive trium primarum *Sephirotharum* seu Sacro sanctæ Trinitatis) *& à septem Spiritibus.*] septem

 sint

ſint *Sephiroth*, quæ actuent regantque Creationem, vel magis ſpecialiter Eccleſiam DEI. Nec ſanè dubito, quin admirabilis ille liber multis in locis valdè ſic *Kabbaliſticus*. Quod majorem profectò antiquæ *Kabbalæ* conciliare decet reverentiam, quemadmodum nec dubito quin veræ antiquæ *Kabbalæ* detectio effectura ſit, ut ipſa Chriſtiana Religio acceptatior futura ſit & optatior apudomnes, & præſertim apud *Judæos*, poſtquam purgata fuerit ac liberata ab immenſa illa mole ſcoriæ ac ruderis ſub qua jam jacet ſepulta.

In uſum Tabulæ de Ordinibus Divinorum Nominum. &c.

SEct. 4. Inquirendum utrum *Judæi*, quanquam vox illa פרצוף *perſonæ* apud illos in iſta ſignificatione reperiatur, revera ipſam vocem applicent τῷ *Arich Anpin*, *Chochmah*, *Binah*, *Dſeir Anpin* &c. nec ſit noſtra tantum Collectio ex eo, quod *Chochmah* Patrem, & *Binah* Matrem appellent &c.

Sect. 5. Quod *Judæi* membra Generationis in ipſa Deitate admittant manifeſtum eſt ex eo, quod *Chochmah* vocant Membrum generationis Maſculinum & *Binah* Matricem literæ Jod. Quæ quidem Jod Circulus eſt *Arich Anpin*, qui tamen includit *Chochmah* & *Binah* (adeo ut iſta figura trium primarum *Sephirotharum* ممم, ff, ii, & unitatem Deitatis & Trinitatem ſimul repræſentet:) quemadmodum *Vau* cum ſit craſſior Jod, circulus eſt τῷ *Dſeir Anpin*, qui circulus eſt Divinarum Emanationum *abſtractè* conſideratarum, Malchuth verò ſive Uxor Dſeir Anpin circulus eſt literæ ה, quæ litera eſt magis compoſita, eoque Divinis Emanationibus in *concreto* convenientior. Unde manifeſtum eſt *Judæos* utraque membra Generationis in ipſa Deitate admiſiſſe. Nec veteres quidam Theologi dubitarunt DEUM agnoſcere ἀρρενόθηλυν. Et *Syneſius* expreſſim,

ἀλλ' πατὴρ, οὐ δ' ἐστὶ μήτηρ
ἀλλ' δ' ἄρρεν, οὐ δὲ θῆλυς.

Sicut

Sicut & Kabbala *Chochmah patrem* appellat, *Binah* verò *Matrem*, membrum maſculinum attribuens alteri, alteri verò fœmininũ, *Matricem Jod*, facultatem utique percipiendi, ut quæ [illegible] ſit, vel concipiendi à *Chochmah* & procreandi etiam totam nempe Creaturam. Tam parum rationis ſubeſt, cur *Judæi* cum nobis cavillentur, quod *Patrem* in Divinitate admittamus.

Sect. 6. Hic conſiderare oportet an *Modus* apta ſit Locutio quæ *Logo* ſive *Sapientiæ*, ſecundæ Hypoſtaſi in Trinitate poſſit applicari. Quod ſi *Judæi Chochmah* Divinum *Modum* appellare volunt, argumentum adverſus ipſos fortius erit, præſertim ſi agnoſcant reliquas ſeptem *Sephiroth* non *Creaturales* eſſe ſed æternos & immutabiles DEI *modos*. Quales fateor me eas minimè eſſe cenſere, ſed tales, quæ cum Creatione inceperint, & ceſſante Creatione ſimul ſint ceſſaturæ, nihilque eſſe ipſum Deum æternum, præter tres primas *Sephiroth*. Veruntamen ſi *Abrahamus* agnoſcatur apud Judæos uniri cum *Cheſed*, *Iſaacus* cum *Geburah*, *Jacob* cum *Tiphereth* & *David* cum *Malchuth*, quibus tamen Scriptura nullam attribuit Divinitatem aut [illegible], qualem attribuit *Meſſiæ* ſive *Chriſto*, equidem omnino par eſt, ut is, cui Divinitas attribuitur, uniatur cum una aliqua earum *Sephirotarum*, quæ reverà Divinæ ſunt, nempe uni alicui ex Divinis Hypoſtaſibus conjungatur. Et cui obſecro congruentiùs, quam ſecundæ Hypoſtaſi *Chochmah* ſive *Logo*, per quem omnia facta ſunt, quique proinde maximè eſt idoneus, qui corrigendis, redimendis, inſtaurandiſque manuum ſuarum operibus ſe ipſum immiſceret. Adeò ut utracunque ratione Argumentum hoc vim ſuam obtineat adverſus *Judæos*.

Tractatus I. Libri Druſchim, ſeu Introductio Metaphyſica ad Cabbalam Autore R. Jizchak Lorienſe.

Cap. I.

DUas hic proponemus Quæſtiones, circa quas admodum defatigantur Kabbaliſtæ; quarum primam ſæpius tractarunt Sapientes priores & poſteriores; nimirum quam ob cauſam creati ſint mundi & quare fuerint neceſſirii? Re autem accuratè diſcuſſa, cauſa inventa eſt, hæc, quod DEUS laudatiſſimus debuerit eſſe perfectus, in omnibus operibus & nominibus magnificentiæ, celſitudinis & gloriæ ſuæ. Niſi enim opera ſua è potentiis ipſo actu produxiſſet, non potuiſſet dici perfectus, ſive quoad opera, ſive quoad nomina atque cognomina ſua. Nomen enim Tetragrammaton hanc habet etymologiam, ut Exiſtentiam exprimat perpetuam, præteriti, præſentis atque futuri temporis, ante creationem in ſtatu creationis, & poſt factam rerum immutationem: Si autem conditi non fuiſſent mundi, & quod in eis, non verè potuiſſet deſignari exiſtentia omnibus temporis articulis continuata, adeoque vanum fuiſſet hoc nomen Tetragrammaton, ut dictum eſt. Sic etiam Nominis Adonai etymologia eſt, ut connotet, aliquos, DEO eſſe ſervos quorum ipſe ſit Dominus; quod ſi ergò ſervi quidam ipſi non fuiſſent creati, certè Nomine Adonai appellari non potuiſſet. Poſtquam autè creati ſunt mundi, & ipſo actu prodierunt opera ejus, è potentia ſuâ, tum verè perfectus dici poteſt, juxta omnes facultatũ ſuarum ſpecies; adeoq; & perfect» eſt juxta omnia Nomina & cognomina ſua nullo excepto. Atque hæc omnia eleganter dilucidata ſunt in libro Sohar, Sectione Pinchas fol 257. col. 2. his verbis: Præceptum decimum tertium concernit Lectionem Audi; Et ſciendum, quod ipſe vocetur Sapiens, juxta omnes ſpecies Sapientiæ, & Intelligens juxta

juxta omnes ſpecies Intelligentiæ, &c. Antequam autem conderetur mundus, ſapiens vocabatur juxta omnes ſapientiæ ſpecies &c. reſpectu rerum creandarum; quod ſi enim creaturæ mundanæ non eſſent; quare vocatus eſſet miſericors, judex: nimirum ratione futurorum ita dictus eſt, &c. Et ſect. Ba. f. 42. col. 2. Quod ſi non extendiſſet lumen ſuum ſuper omnes creaturas, quomodo potuiſſet cognoſci, & quomodo verum eſſet illud, quod dicitur: Plena eſt omnis terra gloriâ ejus. Quæſtio altera non procul abeſt ab illa quæſtione: quid antea fuerit, & quid poſtea futurum ſit, de qua agitur in Miſchnâ Tractatu Chagigâ cap. 2. 1. ſed valdè tamen ſubtilis eſt, & profunda, ut humano intellectu parùm indagari queat. Quamvis igitur Miſchna dicat; Illi, qui inquirit in ea, quæ ſunt ſupra, & quæ ſunt infra, & quæ fuerunt antea, & quæ futura ſint poſtmodum, rectius fore ſi natus non eſſet; adeò ut prolixi hic eſſe non poſſim; Attamen cum in mundo hoc vix ſumma rerũ attingamus capita, non erubui illam proponere. Quæſtio autem eſt, Quare mundus hic factus ſit illo tempore cujus momento eſt conditus; & non antea? Sciendum igitur eſt breviter, Quod Lux ſuprema omnium & celſiſſima fine carens, & infiniti Nomine appellata nulla cogitatione nullaque ſpeculatione attingi queat, ejusque fundamentum abſtractum planè ſit & remotum ab omni intellectu: quodq; fuerit ante omnia Emanatione producta, creata, formata & facta, nullumq; in illâ fuerit tempus, ejusvè caput vel initium; cum ſemper extiterit & maneat perpetuò, omni principio & fine carens. Ab hoc infinito autem poſtmodum deſcendit Exiſtentia Luminis illius magni Emanatione producti, quod vocatur Adam Kadmon, Adam omnibus primis prior; Deinde ſimiliter ab iſto deſcendunt lumina ab ipſo dependentia, quæ multa ſunt admodum, prodeuntque ab ipſo, & ſplendoris ſui radios extra ipſum emittunt. Illorum autem quædam dependent à Cerebro, quædam à Cranio ejus, quædam ab oculis, alia ab auribus, à naſo alia, alia ab ore, alia fronte, alia circumcirca à corpore ejus; circa quæ multa alia ſunt Lumi-

Lumina, ab illis lucentia atque dependentia, quibus nomen est, Olam Hannekudim, sive mundus Punctatorum. vid. Gen. 30, 39. Deinceps ab illo dependent quatuor mundi, Emanationis scilicet, Creationis, Formationis, & Factionis, noti satis & latè propositi in Libro Sohar & Tikkunim. Jam verò Emanatio Lucis hujus primæ, & cæteri mundi qui sub ipsâ sunt, principium & finem habent, nec tempore destituuntur quoad existentiam atque emanationem suam, quod ita se non habet in Infinito, supra commemorato. Ab illo igitur tempore, quo cœpit expansio & emissio ista horum luminum, Mundorumque dictorum; dependet existentia creationis, notio scilicet, omnium creatorum, sese invicem ordine subsequentium, usque ad hoc ipsum momentum. Quoniam igitur ordine quodam opus fuit expansioni & emissioni huic, tempore sibi ordine succedenti, non sanè possibile fuit, ut vel citiùs fieret vel tardiùs Creatio Mundi hujus: Quilibet enim Mundus creatus est, post creationem mundi semet superioris; & mundi singuli creati sunt, atque extensi, atque demissi, & procedunt alius sub alio, temporibus diversis; & à se invicem discrepantibus, donec ordo tangeret creationem mundi hujus: atque tunc iste creatus est, tempore sibi debito, creatis prius mundis superioribus. Atque ista sufficiant de hac quæstione; neque enim prolixior de talibus sermo instrui potest.

Caput II.

QUæstio porrò insignis est, circa Infinitum ipsum, quomodo nimirum se habeat, circa initium Emanationis mundorum ab ipso effluentium; nec sine controversiâ, cui fermè omnes Kabbalistæ involvuntur. Quidam enim scribunt, decem Sephiroth decem gradibus ordine sibi invicem succedere, aliis superioribus, aliis inferioribus continuò existentibus: Alii scribunt illas exseri columnatim, constitutis seriebus diversis dextrâ scilicet, sinistrâ, atque mediâ; ita ut Chochmah Sapientia, Chesed Clementia & Nezach Victoria sibi invicem immineant, lineâ dextrâ; tres

tres autem aliæ, Binah, Intelligentia nimirum; Geburah robur, & Hod Honor, sibi succedant, lineâ sinistrâ: quatuor autem reliquæ, nimirum Kether Corona, Tiphereth Pulchritudo, Jesod Fundamentum, & Malchuth Regnum lineâ mediâ una supra aliam locentur. Multi porrò statuunt, decem Sephiroth existere sub figura Circulorum, sibi invicem inclusorum, & homocentricorum: Et qui perlustrabit verba R. Simeonis Jochaidæ in libro Sohar, & Tikkunim, nec non Librum Bahir, ibidem multa inveniet capitula ad modum discrepantia, quorum aliqua in hanc, alia in alteram sententiam inclinant. Cabbalistæ autem posteriores in primis occupati sunt circa evolutionem hujus quæstionis, nec tamen ad scopum perveniunt. Quæstio enim ardua est & difficilis. Si enim Infinitum omnimoda æqualitate, omnium nominum notiones respicit, non sanè decet, ut ipsi tribuatur superius quid, & inferius, anteriusve & posterius: Cognomina enim omnia lumina sunt, quibus terminus, limes finisque competit: qualis mensura Luci Infiniti supremi tribui non potest. Sic etiam notum est quod Lux Infiniti permeet & transeat omnem Sephirarum Substantiam, singulasque Sephiras ingrediatur, & iisdem sese immisceat, & post illas extrorsum promicet: sicut id deducitur in Libro Sohar, Sectione Behar Sinai: Tract. Pastoris Fidi, fol. 102. his verbis: *Tu es Anima Animæ, &c.* Et Sectione Pinchas f. 225. & 227. Sic quoque in Præfationibus Tikkunim, & initio 5. ubi dicitur: Supremo omnium loco est Causa omnium, supra quam non est Deus, sicut nec subter illam, nec versus quatuor Cardines mundi: Ista autem adimplet omnes mundos ipsosque undiquaque circumdat &c. Quod si ergò omnes decem Sephiroth eâdem æqualitate propinquæ sunt Infinito, & omnes ab Illo lumen accipiunt, ipsæ per se; quænam ergò differentia est inter ipsas Sephiras, & quo respectu una elevatior est alterâ? cum omnes ipsarum gradus æquè distent sicut dictum. Et quidem si dici debet quod res est, omnia sanè hæc assera vera sunt, & verba Dei viventis, omnia quoque rectè intelligi pos-

gi possunt ab iis, quibus data est scientia. Discrepantia porrò duarum illarum opinionum, supra propositarum, utrum scilicet decem Sephiroth ordine continuo sibi invicem succedant, unâ supra aliam, an verò linearum serie consistant, conciliata est suo loco, ubi tractatum est de mundo Punctatorum, quod nimirum ante institutum rerum ordinem alia supra aliam disposita fuerit; post illud momentum autem trium linearum ordine apparuerint. Utrum circulorum an linearum rectarum forma procedant, hoc capite explicabitur. Si igitur animum adhibueris, intelliges, utramque opinionem esse veram, eò quod duæ sunt Notiones Infiniti, una, in respectu ad circulos, & altera in respectu ad tres lineas rectas hominisque figuram, capite, brachiis, corpore, cruribus pedibusque constantem, de quibus nunc & infra agendum.

Scito, quod antequam emanarent emanantia, & creata essent creata, Lux suprema extensa fuerit plenissimè, & impleverit omne Ubi, adeo ut nullus daretur Locus vacuus in Notione Lucis, nullumque spatium inane, sed omnia essent plena Luce illa Infiniti hoc modo extensâ, cui sub omni notione suâ finis non erat, eò, quod nihil esset, nisi extensa illa Lux, quæ unâ quadam & simplici æqualitate ubique sibi erat similis; atque ista vocabatur Or Haensoph Lux Infiniti.

Cùm autem in mentem veniret Extenso huic, quod vellet condere mundos, & emanando producere Emanantia, atque in lucem proferre Perfectionem potentiarum suarum activarum, & Nominum atque Cognominum suorum, quæ erat causa impulsiva creandi mundi, prout supra dictum est, cap. 1. quæst. 1. tum compressa quadantenus Lux ista, à puncto quodam medio circumcirca ad latera recessit; atque sic relictus est Locus quidam vacuus, dictus spatium inane, æquidistans à puncto illo, exactè in medio ejus constituto.

Compressio autem illa undiquaque sibi æqualis fuit circa centrum dictum per omne spatium, adeò ut locus ille vacuus, exactè

actè esset circularis sub perfectissima æqualitate: nec concipi hic potest ulla quadratura vel angulositas, cum contractio ista Infiniti statuatur undiquaque sibi fuisse æqualis, unde & circularis: cur enim Lux illa, quæ identica quadam æqualitate antehac ubique æqualis erat, inæqualiter sese contraxisset, uni lateri plus, alteri minùs tribuendo? Jam verò ex Geometria notum est, nullam figuram plùs participare æqualitatis, quam circularem: quadratum enim angulos habet, sicut & trigonum cum similibus. Apparet igitur Contractionem illam Infiniti statuendam esse circularem: cujus rei causa non est alia, quam in Infinito ipso, sicut dictum est. Videatur etiam Sohar Sectione Pekude fol. 251. ubi dicitur: *Palatia illa, & quæ in ipsis, circularia sunt.* Sic & Sectione Bo. f. 42. *Docuit per circulos, quorum sunt decem.* Datur tamen & alia ratio figuræ istius Sphæricæ, nimirum quod illa, quæ Emanatura erant intra locum istum vacuum, futura erant figura Sphæricâ sicut jam dictum: ista autem quam proximè debebant applicari Infinito illa circumdanti, idque ubique æqualiter, æquali namque irradiatione frui debebant ab Infinito ex omni parte; quod fieri non potuisset, si Emanantia figuram habuissent quadratam vel triangularem aut similem; cum tunc anguli quidam extantiores Infinito fuissent propiores, quam reliqua latera, nec æqualis fuisset participatio Infiniti. Capite tertiò autem explicabitur Causa, quare ista Contractio fuerit necessaria, & quomodo sese habuerit.

Instituta igitur tali contractione atque compressione, per quam locus quidam vacuus spatiumque in medio Infinito relinqueretur inane; jam sanè Ubi quoddam constitutum erat in quo existerent Emanantia, Creata, Formata & Facta. Produxit igitur Infinitum lineam quandam è Luce Concavi sui, à summis partibus deorsum vergentem, Illamque derivavit atque demisit intra Spatium modò dictum.

Quæ aucta ampliori facie extitit.

Summùm autem initium istius lineæ deductum erat ex ipso Infinito, hoc ipsum proximè attingens: Finis verò deorsum pergebat intra spatium illud inane; &, hâc mediante, Emanatione produxit, creavit, formavit, atque fecit omnes mundos: Et linea hæc vicem sustinebat canalis cujusdam, perquem defluerent exundationes Lucis illius supremæ Infinitæ in Mundos intra hoc spatium constitutos. Jamque aliquatenus dilucidata est quæstio illa Kabbalistarum, utrum scilicet initium sit atque finis in Numerationibus?

Quamvis autem Lineæ istius summum initium proximè attingat Lucem Infiniti, in partibus Concavi ejus supremis; finis tamen ejus non protrahitur ad tantam profunditatem, ut ipsam quoque Lucem infiniti subter mundis gyratam attingat, illique adhærescat; propterea quod finis ipsi tribuendus sit cum initio; quem non haberet, si utrinque influentiæ Lucis Infinitæ particeps esset; cum tum potiùs duo ipsi competerent Initia contrario situ à se invicem contradistincta, quorum utrique notio superioris, non inferioris tribuenda esset; Unde Lucis infinitæ sic influentis nulla pars vel summa vel ima, vel anterior vel posterior, vel orientalis vel occidentalis vel septentrionalis vel meridionalis dici posset. Quod si verò Lux ista Infiniti influere statuatur per modum lineæ cujusdam subtilissimæ, & canalis tenuissimi, tunc notio summi & imi, anterioris & posterioris, cardinis orientalis & occidentalis, &c, hîc inveniri poterit.

Quo posito dicendum, lucem hanc post ingressum non statim via recta pergere deorsum, sed sensim illuc derivari; adeò, ut datis primis cursus rectilinei initiis, mox deflectat ad figuram circularem, orbemque illicò constituat circumcirca tenuem, qui circulus tamen Luci Infinitæ in circuitu suo non usquequaque adhærescat: quippe quod si fieret, res sanè ad pristinum recideret statum, & circulus iste per Lucem Infiniti destrueretur, nec apparere posset orbita ejus, & omnia tantùm Ipsa Lux illa Infinita forent, sicut antea: Unde circulus iste, propinquus quidem erit con-

concavo Infiniti, non tamen adhærebit eidem ullo nexu, adeoque Emanatio Infiniti tantùm sub tenuitate lineæ procedit, quâ viâ lumen ejus immanans circulo isti infunditur: Infinitum autem undiquaque hunc circulum ambit æquali distantia, cum & illius concavum circulari figura extet; Quod autem influentia hæc Infiniti tantùm fiat per viam lineæ, hinc demonstratur, quod alias, si lumen istis circulis undiquaque affluereet, Emanantia æquè atque ipsum Scaturiens infinita essent, terminoque & mensura atque finibus carerent. Porrò notandum ipsam quoque Lineam hanc admodum esse tenuem, ut nimirum Lux Emanantibus sub certa mensura affluere possit, certoque modo. Quæ una est ex illis causis, quare Emanantia vocentur decem modi, seu mensuræ vel decem Numerationes, ut nempe ostendatur, mensuram ipsis modulumque & terminum competere, numerumque definitum; quæ non inveniuntur in Infinito ipso: Sicut traditur in Libro Sohar Sectione Pinchas fol. 257, col. 2. his verbis: *Præceptum decimum tertium concernit Lectionem Audi &c.* Non verò quod mensura modusve ipsi competat dicendum, vel notum aliquod Nomen, qualia Numerationibus tribuuntur: Quælibet enim Numeratio Nomen habet definitum, mensuramque & terminum atque limitem. Cum igitur Linea hæc adeo tenuis est, tùm influentia tanta saltem ipsis affunditur, quanta opus est ipsis, in quantum scilicet Emanantia sunt, non verò quasi forent scaturientia. Jamque iste circulus, propinquior Infinito, Coronæ nomine indigitatur.

Postmodum verò hæc linea ulterius adhuc protenditur, paululumque promanans in orbitam agitur ad constituendum circulum alterum intra primi concavum: atque iste circulus Sapientiæ nomen habet.

Porrò quoque protensa deorsum, & circumvoluta in gyrum, tertium circulum constituit intra secundi concavum, qui dicitur Circulus Intelligentiæ.

Atque sic simili itinere linea illa provolvitur, continuata sua extensione per vices circumgyrata usque ad Circulum decimum, quem Regni Circulum nominamus.

Et hac ratione doctrina de decem Numerationibus ob oculos posita est, in quantum illæ emanant per modum decem circulorum homocentricorum: idque generatim, repetitâ scilicet simili planè Emanatione per omnes Mundos. Notum autem atque perspicuum nobis est, quot mundorum species emanent, creatæ & formatæ atque factæ sint, millies nempe mille & myriades myriadum; quæ omnes simul subsistunt intra locum hunc vacuum supradictum, quippe extra quem nihil est horum. Quilibet autem Mundus decem habet Numerationes speciales, & quælibet Numeratio specialis cujuscunque Mundi composita est è decem Numerationibus specialioribus, quæ omnes figuram habent circulorum homocentricorum, & sic in Infinitum. Omnia ergò se habent ad instar sphærularum cæpariarum, sibi invicem inclusarum, vel ad instar Systematis orbium cœlestium, de quibus in Astronomia.

Tota igitur textura omnium istorum Circulorum simul sumta, è tenui ista Linea constat, quæ ab infinito protensâ pergit; descendensque è circulo in circulum diffunditur, usque ad extremitatem omnium: Atque hac semitâ lineari Lux ipsa affunditur & Influentia necessaria tribuitur singulis. Et sic proposita est in materia de Numerationibus Circulorum notio.

Nunc ad alteram Notionem pergendum, quæ decem numerationibus competit, qua nimirum illæ per Lineam Lucemque rectam repræsentantur, & sub specie trium Linearum, atque figura Hominis supremi.

Illa enim Linea à summo illo culmine deorsum protensa à qua procedunt omnes Circuli supradicti, simul etiam viâ rectâ deorsum pergit ab excelsissimo summi illius Concavi Epistomio usque ad debitam Circulorum depressionem, idque per medios illos Circulos omnes, & formâ quidem hominis erecti, staturæ debi-

debitæ, Os cui sit sublimè datum cœlosque tueri jussum; in quo numerari queant 248. membra, dextro sinistroque & medio situ disposita. Atque hâc figurâ omnes insimul quoque Numerationes comprehenduntur tam Generales, quam speciales & specialissimæ.

Ista autem secunda Notio nomine suo Adam Kadmon sive Adam primus vocatur, quem indigitat Scriptura S. his verbis: *Et creavit Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei, &c.* Quemadmodum & Liber Sohar & Tikkunim plurimis in locis de secunda hac Notione tantùm loquuntur, prout alibi prolixiùs dictum.

Atque sic duæ illæ supradictæ Sententiæ conciliantur, quod nempe duplici viâ considerari possit Divinitas, quæ una tamen est, & vera utraque verbis Dei viventis æquipollens. Unde non paucæ contradictiones apparentes resolvi possunt circa materiam de ordine situque decem Numerationum. Et hinc simul enodatur quæstio illa, quomodo Initium detur & finis, summumque & imum in decem Numerationibus? Cujus solutio ex utraque Notione desumi potest. Si enim Numerationes sub figura circulari considerantur, extremus sanè circulus, Coronæ scilicet, propinquior est Infinito quam cœteri, unde & omnibus est excellentior. Inter secundum autem circulum, sapientiæ nimirum, & Infinitum, Coronæ circulus interjectus est, unde excellentia ejus tanta non est, quanta Coronæ; & sic consequenter per omnes mundos in spatio isto comprehensos: quicunque enim circulus propior est Infinito, pro superiore & excellentiore habetur, donec inveniamus mundum istum materialem punctum esse medium circulorum & ipsius quoque Spatii Locique vacui supra descripti, adeoque & remotissimum ab Infinito, remotione κατ' ἐξοχὴν sic dicenda præ omnibus mundis reliquis: unde & corporeus est & materialis perfectâ corporeitate.

Alia quoque hujus rei est ratio non admodum à priori diversa; Nimirum quod Linea illa ab Infinito promanans primum

mum in rectum protendatur, postmodum in circulum abeat, iterumque via rectâ ad ima magis progressa rursus circulum constituat, idque usque ad extremitatem. Circulus ergò existentiæ primæ circa initia Lineæ istius propterea summus est, & excellentissimus omnium, quod lucem hauriat è scaturigine omnium summâ, deque hoc plura capite tertio infra.

Porrò hinc quoque liquet, qua ratione decem Numerationibus etiam circulorum conceptu consideratis Linearum tamen Notiones reverà competant; & figura hominis, nec non dextrum sinistrum atque medium.

Sed quomodo altera illa Notio figuræ rectilineæ staturæque humanæ conceptus superioris & inferioris, anterioris & posterioris exhibeat, hinc apparet: quod quicquid initio Lineæ, propinquum est, Capitis Nomine dici queat, unde, quod paulò inferius sequitur, Corporis, quodque adhuc profundius, Pedum nomine appellabitur; & sic quoque in specialioribus & specialissimis.

Et hæc de conceptu Circulorum, de quibus Sohar Sectione Vajikra fol. 99, & f. 10. Et Sectione Breschith f. 19. col. 2. Sicut de Conceptu formæ humanæ quoque videri potest Sohar Sect. Toledoth Jizchak f. 134. c. 2. Infra autem cap. 4. explicabitur, quomodo omnes etiam Notiones figuræ hujus rectilineæ sibi invicem involvantur, ita, ut Attik Jomin seu Antiquus dierum sit intra Arich Anpin, seu Macroprosopum; Arich Anpin seu Macroposopus intra Abba ve Jmma seu Patrem & Matrem, & sic consequenter usque ad finem graduum omnium.

Caput III.

Hic quoque, cum de utraque Divinitatis Notione agimus, in usum veniunt 5, illa Lumina, sive Nomina Animæ humanæ, qui sunt quinque gradus alter altero superior.

Decem Numerationes enim forma Circulari consideratæ bina semper continent, Oroth seu Lumina nempe, & Kelim seu Vasa:

Vasa: & Lux quælibet subdividitur in Lucem internam, & Lucem ambientem; prout & Vasa singula partes habent tam Externas, quam Internas.

Atque sic etiam in Notione Rectilinea hæc omnia occurrunt.

Differentia autem inter Circulos & Rectilineum hæc est, quod decem Numerationes sub Circulis notionem Lucis habent, quæ vocatur Nephesch seu Psyche; sed decem Numerationes Rectilineï notionem Lucis habent, quæ vocatur Ruach, Spiritus, qui gradus est Psyche superior.

Planum autem est, quod Notio Psyches, priùs emanet, & postea Spiritus sequatur, ceu superior; sicut in homine; (de quo videatur Sohar Sect. Mischpatim, quæ applicanda ad hominem superiorem.)

Idque per omnes Mundos sic invenitur.

Differentia tamen est inter Vasa Psyches & inter Vasa Spiritus: Hepar enim est sedis Lucis cui Psyche nomen, Cor Spiritûs, Cerebrum Animæ, de quibus alibi.

His præmissis, ordinem emanantium sic intellige: primum emanant 10. Numerationes Notionis Circularis, & quidem initio decem Vasa, singula partibus suis exterioribus & interioribus constantia; his decem vasis autem vestiuntur ipsæ X. Numerationes, Lumina nempe quæ Nephesch dicuntur seu Psyche: præter quæ adhuc alia decem Lumina inveniuntur, quæ Ambiunt Vasa extrinsecus: quæ quidem & ipsa sunt Nephesch, sive Psyche, sed Ambientium tamen Nomen habent, cœtera autem Interiora Lumina vocantur; & omnia quidem forma circulari.

Postmodum autem emanant X. Numerationes formâ rectilineâ hominis instar, quæ excellentiores sunt circularibus, ceu Spiritus: Suntque decem Vasa sub figurâ hominis, omnia illa continente; Singulis autem vasis partes sunt Interiores & exteriores; illisque vestiuntur ipsæ X. Numerationes, Lumina scilicet quæ vocantur Spiritus; præter quæ tamen & alia sunt Lumina

mina decem Ambientia, ut in circulis; quæ quidem & ipsa sunt Spiritus: & omnia quidem sub formâ hominis; idque per omnes mundos emanantes, creatos, formatos & factos, intra spatium hoc Vacuum de quo supra; ambiente desuper Luce Infiniti.

Et in circulis quidem quicunque interiores sunt, semper viliores habentur, usque ad mundum materialem; In Rectilineo verò res aliter se habet, ubi quicquid interius est, excellentius est quocunque exteriore: Rectilinei enim partes aliæ alias superinvestiunt usque ad extimam omnium, quod probè notandum.

His præmissis intelligere poteris quare necessaria fuerit Compressio Infiniti, intra se Ipsum, in medio scilicet Lucis suæ: ut nimirum relinqueretur Locus vacuus de quo supra; ubi hæc simul fuit Intentio, ut confieret Notio Vasorum. Nam mediante compressione Lucis & diminutione ejus oritur possibilitas vasis ut existere, & detegi queat: sed per augmentationem Lucis destruitur vas, cum diminuatur facultas ejus suscipiendi Lucem tam multam & tam magnam sicut dictum est, cum actum fuit de VII. Regibus Edomiticis, qui appellantur Olam Hannekuddim Mundus Punctatorum, quomodo regnaverint & mortui sint; ubi satis declaratum, quomodo se habeat creatio & essentia vasis.

Primò enim opus est compressione Lucis & diminutione ejus, qua mediante existentia vasis detegitur: quo hoc modo detecto & actu producto Lux iterum in illud immanet: unde permanere potest Vas istud citra destructionem.

Atque sic actum est hic: Primùm compressit sese Lux, & orta sunt vasa: mox verò iterum affluxit linea illa lucida, ut illa illustraret.

Unde patet ratio, quare Infinitum seipsum hoc modo compresserit, subducta omninò Luce illa vehemente è spatio isto; quo facto eadem reversa est, sed certâ mensura & pondere certo, sub forma lineæ illius: quæ causa est, quod potuerit permanere sub notione Lineæ in loco suo, subtractâ reliqua Luce magna

magna. Non enim potuissent subsistere vasa, nisi sublato penitus lumine, moxque restituto suo pondere & mensura, & quidem tantâ, quæ sufficeret illis illuminandis & in esse Vasorum citra destructionem conservandis.

Caput IV.

NE existimes autem decem Numerationes, communiter Emanantium cognomine insignitas, primas esse & summas rerum Emanatione productarum; multi enim Mundi ipsis sunt priores, In Libro Sohar autem multorum mundorum nulla facta est mentio nisi enigmaticè; exemplo sint 3. orationes in libro Tikkunim de Adamo primo inter omnia prima, & in libro Sohar Sect. Breschith f. 23. & in Tikkun. f. 134. It. in Sohar Sect. Noach f. 65. & Sect. Pekude f. 268, & f. 256.

Primùm igitur hîc dicendum de Speciali illo, quod totum Spatium continet & amplectitur, & è quo omnes mundi protenduntur, dependentque & procedunt; Huic nomen est Adam primus inter omnia prima. Iste enim prior est omnibus Entibus, ejusque Celsitudo summa, & mundus ejus maximus omnium. In libro Sohar ejus non fit mentio nisi paucis in locis, idque tectè admodum; ita & in Tikkunim, v.g. sub finem Tikk. X. Numerationum f. 41. col. 2. sic & princ. Tikk. 70. fol. 119. & fol. 132.

Scito igitur, quod lumina prima emanatione introducta in Spatium hoc, per modum lineæ rectæ extensæ ab Infinito, & undique circumactæ contineantur sub Notione X. Numerationum, quarum essentia in genere vocatur Adam primus inter omnia prima. Et hæ sunt illæ, quæ primò prodierunt & manifestatæ sunt formâ circulari, sub notione Psyches hujus Adami primi.

Et istis competunt Notiones decem Vasorum Circularium, interioribus & exterioribus suis constantium; quibus singulis inest ipsa Essentia Lucis internæ, quæ Nephesch sive Psyche dicitur

citur cum sua Luce Ambiente, quæ & ipsa ad hanc Notionem Psyches pertinet.

Et hæc omnia circulari forma extant, circulo extimo quam proximè applicito ipsi Infinito, omnia ista extrinsecùs ambienti. Hic autem circulus extremus maximus Corona Adami primi dicitur; sicut alter dicitur circulus Sapientiæ Adami primi, & sic consequenter usque ad circulum Regni Adami primi. Atque isti decem circuli Adami primi ambiunt totum hoc Vacuum intra Infinitum, eidem quam proximi, & ab illo circumdati.

In medio autem decem horum Circulorum Locus vacuus & inane Spatium relinquitur pro reliquis Emanantibus & mundis.

Ne autem existimes velim, quasi in Adamo primo Notio vasorum realiter inveniatur; quia vasorum notio non manifestatur, nisi circa Mundum punctatorum: quod si tamen Vasorum nomen hic admittitur, id tantum fit respectu majoris vel minoris copiæ lucis mediæ in ipsis repertæ: Vasa autem per se sunt lux tenuissima.

Manifestatis autem his decem Numerationibus Adami primi sub Notione Nephesch seu Psyches forma circulari, mox aliæ prodeunt sub notione Ruach seu Spiritus istius Adami primi formâ rectilineâ ad instar hominis erecti, constantis 248. membris per caput, brachia, manus, corpus & pedes divisis: Atque hic incipit emanare ab Infinito per lineam, & rectà deorsum protenditur sub figura trium linearum, quarum una est dextra, altera sinistra, tertia media, per quas X. ipsius Numerationes distribuuntur.

Quamvis autem linea ista figuræ Adami primi initum capiat ab Infinito, & inter omnes circulos scissis ipsorum summitatibus descendat; tamen putandum non est, ipsam produci usque ad imum omnium circulorum sub pedibus Adami primi circumvolutorum: nam extensio illius tantum durat usque ad imum concavum circulorum ר Attik Jomin seu Antiqui dierum, quæ est Notio Personæ competens Coronæ in Mundo Emanationis; adeò

adeò, ut circuli istius Antiqui dierum sub pedibus ejusdem Antiqui proximè circumvolvantur, (quousque & pedes Adami primi pertingunt.)

Atque sic expositum est, quomodo Adam primus superius repleat forma circulari & rectilinea totum illud spatium:

Relictus autem est Locus vacuus inter Lucem Ambientem Rectilinei Vasa, & Lucem Internam ejusdem, in quo constituti & destructi sunt atque emanarunt omnes reliqui mundi, qui omnes pendent, & contenti sunt in hoc Adamo primo, & ab ipso prodeunt. Atque sic declaratum est breviter, quomodo omnes mundi existant in spatio hoc vacuo, quod est inter Lucem ambientem Rectilinei, Adami primi, & inter vasa ejusdem.

Alibi verò latiùs traditur, quomodo in Notione Rectilinea Adami primi prodeant & manifestentur Lumina quam plurima, quæ in genere sunt Lumina findentia: Et prodeunt ex Auribus ejus foras: Sicut & postea prodeunt lumina Nasi; & mox Lumina Oris, quæ 3. dicuntur variegata Akudim: & omnia hæc lumina via recta procedunt tantummodo; nec ulla notio circularis in ipsis invenitur.

Deinde autem prodeunt Lumina Oculorum Adami primi, quæ vocantur Olam Hannekuddim Mundus Punctatorum, quibus duæ competunt Notiones, nempe Circularis & rectilinea: Et locus, quo consistunt & stationem habent, est à foveâ pectoris istius Adami primi deorsum usque ad finem pedum ejus; qui locus generatim vocatur Nezach, Hod, Jesod, Victoria, Honor, Fundamentum, Adami primi. Et hic est ordo illorum: primò prodeunt decem circuli נקודים Nekuddim, & circumgyrantur circa Vasa נצח Nezach, Hod, Jesod Adami primi, rectilinei, vasis istis autem investitur lux interna ipsorum: Et isti circuli נקודים Nekuddim quæ sunt Notio Nephesch seu Psyches, ambiunt vasa, & lucem Internam נצח Nezach, Hod, Jesod rectilinei Adami primi; constantes & ipsi Luce Interna, ceu Psyche, & Vasis, & Luce Ambiente Vasa, & hæc in genere vocantur circuli 4. נקודים Nekuddim.

Et ſuper iſtis circulis [illegible] Nekuddim conſiſtit Lux ambiens ſub Notione Rectilinea Adami primi, & ſuper Luce ambiente rectilinei Adami primi circumgyrantur decem Circuli Ipſius Adami primi conſtantes Luce Interna & Vaſis, & Luce ambiente: Atque hæc ita fuerunt ab initio. Sed poſtquam deinceps emanarunt etiam X. Numerationes rectilineæ Mundi [illegible] Nekuddim, quæ eſt Notio Spiritus huc pertinens, tunc X. illæ Numerationes rectilineæ [illegible] Nekuddim conſtantes Luce ſua Interna & Vaſis & Luce ambiente rectilineis ceu veſtis obvolutæ ſunt ſuper Vaſa & Lucem Internam rectilineam [illegible] Nezach Hod Jeſod Adami primi: Et ſuper Rectilineum [illegible] Nekuddim veſtientium obvoluti ſunt ipſi circuli eorum: & ſuper circulos [illegible] Nikuddim Lux ambiens rectilinea Adami primi, & ſuper iſtam Circuli Adami primi ipſi.

Alibique expoſitum eſt, quomodo iſta Nekuddim ſint Notio ſeptem Regum Edomiticorum; qui mortui ſunt, & poſtmodum reſtituti, & poſtquam rectè conſtituti fuerunt, inde facta eſt Notio 4. Mundorum Emanationis, Creationis, Formationis & Factionis, quorum ſinguli conſtant è ſex Parzuphim ſeu Perſonis, quæ ſunt Attik Jomin, Antiquus dierum, Arich Anpin, Macroproſopos, Abba ve Imma, ſeu Pater & mater; & Seir ve Nukbeh ſeu Microproſopos & Uxor ejus.

Atque nunc ut breviter oſtendatur ſtatio locusque iſtorum, incipiemus à ſummis pergendo ad ima. Infinitum ambit decem Circulos Adami primi conſtantes tribus ſuis notionibus Luce internâ ceu Nepheſch, & Vaſis iſtius Nepheſch ſeu Pſyches & Luce Ambiente hanc Nepheſch ſeu Pſyſchen, quæ partes in omnibus ſubſequentibus circulis æqualiter reperiuntur, unde non opus erit iſta toties repetere.

Decem circuli autem Adami primi ambiunt Lucem ambientem Rectilinei ipſius.

Et Lux ambiens Rectilinei Adami primi ambit decem circulos [illegible] Attik Antiqui.

Et

Et decem circuli [illegible] Attik, Antiqui, circumdant Lucem ambientem rectilinei [illegible] Attik, ſeu Antiqui ipſius.

Et Lux Ambiens rectilinei [illegible] Attik ſeu Antiqui, ambit 10. Circulos [illegible] Arich Anpin ſeu Macroproſopi.

Decem circuli [illegible] Arich Anpin autem ſeu Macroproſopi circumdant Lucem ambientem rectilinei ipſius Arich Anpin ſeu Macroproſopi.

Et Lux ambiens rectilinei [illegible] Arich Anpin ſeu Macroproſopi circumdat decem circulos [illegible] Abba ſeu Patris.

Decem circuli [illegible] Abba ſeu Patris autem ambiunt Lucem ambientem Rectilinei [illegible] Abba Patris ipſius.

Et Lux ambiens rectilinei [illegible] Abba ſeu Patris ambit decem circulos [illegible] Imma ſeu Matris.

Et decem Circuli Matris circumdant Lucem ambientem Rectilinei Matris ipſius.

Porrò Lux Ambiens Rectilinei Matris ipſius circumdat decem circulos [illegible] Seir ſeu Microproſopi.

Et decem circuli [illegible] Seir circumdant Lucem ambientem rectilinei [illegible] Seir:

Lux ambiens rectilinei Microproſopi autem circumdat decem circulos [illegible] Nukba ſeu Uxoris.

Et 10. circuli Uxoris circumdant lucem ambientem Rectilinei Uxoris ipſius.

Et Lux ambiens Rectilinei Uxoris [illegible] Seir ſeu Microproſopi Emanationum circumdant 10. circulos Creationis, qui itidem diſpeſcuntur in omnes partes ſuas ſimiles iſtis.

Et decem circuli creationis circumdant Lucem ambientem Rectilinei Creationis ipſius.

Lux ambiens Rectilinei Creationis autem circumdat circulos Mundi formationis, in ſuas partes diviſi:

Et circuli Formationis Lucem ambientem ipſius Rectilinei Formationis.

Dein-

Deinde Lux ambiens Rectilinei Formationis Circulos Mundi Factionis etiam in partes suas divisi.

Et circuli Factionis Lucem ambientem Rectilinei ipsius Factionis.

Atque sic absolvitur ordo generalis omnium circulorum & Luminum ambientium Rectilinea in omnibus mundis.

Ordo Rectilinei autem plane inversus est, in hoc enim, quicquid vilius est desuper, investit partem excellentiorem sibi vicinam hoc modo:

Lux ambiens rectilineum Factionis circumdat Vasa & Lucem internam Rectilinei Factionis;

Et Lux interna rectilinei semper adhæret vasis suis.

Vasa autem & Lux interna Rectilinei Factionis ambiunt Vasa & Lucem internam Rectilinei Formationis.

Et Vasa atque Lux interna Rectilinei Formationis circumdant Vasa & lucem internam rectilinei creationis.

Porro Vasa & Lux interna Creationis ambiunt Vasa & Lucem internam rectilinei Uxoris Microprosopi Emanationis.

Et Vasa atque Lux interna rectilinei Uxoris circumdant Vasa & Lucem internam rectilinei Microprosopi.

Dein Vasa & lux interna rectilinei ⁂ Seir Anpin seu Microprosopi ambit Vasa & lucem internam rectilinei matris;

Et hæc vasa & lucem internam rectilinei Patris;

Et hæc easdem Partes Macroprosopi.

Et hæc eadem Antiqui dierum.

Vasa autem & Lux interna Antiqui dierum ambit Vasa & Lucem internam ⁂ Nezach Hod Jesod ⁂ Adam Kadmon seu hominis primi.

Porrò Vasa & Lux interna ⁂ Nezach Hod Jesod Adami primi ambit lucem internam Infiniti, quæ obvelatur intra hæc sub forma lineæ rectæ extensæ à solo Infinito ad illuminandum & vivificandum omnes mundos.

Nunc porrò addendum, quousque pertingant pedes Adami rectilinei, qui omnes mundos pervadit. Recta

Recta linea igitur revera adhæret Infinito ambienti, & ab eo protensa descendit & obvelatur interioribus Adami primi; & protracta extenditur usque ad pedes Adami primi rectilinei, id est usque ad intimum concavum circulorum Antiqui dierum. Hi infra circumdant pedes ejus. Si enim diceretur pedes Adami primi pertingere usque ad finem omnium circulorum, tunc sanè iterum attingerent circulum Infiniti; adeoque Infinitum & ab Inferioribus partibus lucem immitteret, unde obliteraretur notio Superioris & Inferioris.

Dicendum igitur breviter, quod pedes Adami primi rectilinei protendantur usque ad medietatem inferiorem Circulorum Antiqui dierum, adeo, ut isti circuli proximè ambiant pedes ejus. Omnes autem reliqui pedes rectilinei se habent ut pedes Antiqui, nimirum pedes Arich Anpin seu Macroprosopi & pedes Seir Anpin seu Microprosopi: & pedes Uxoris Microprosopi: omnes isti, inquam, occultantur eadem æqualitate; idque usque ad medietatem inferiorem Circulorum Arich Anpin seu Macroprosopi, ita autem circuli isti proximè ambiant inferius pedes hos omnes.

Dantur autem & notiones personarum, quarum statura non est alta, quales sunt Abba ve Imma Pater & mater; quorum statura incipit à gutture ⁂ Arich Anpin seu Macroprosopi, usque ad Tibbur ejusdem tantum: sic quoque Persona Leah, quæ est Daath seu Scientia ⁂ Seir Anpin seu Microprosopi, pertingit saltem usque ad pectus ipsius: Atque harum personarum pedes non pertingunt usque ad pedes Macroprosopi, cum sint brevioris staturæ.

(Alibi tamen dicitur, quod utraque calx Antiqui longius protendatur ultra pedes Macroprosopi, ita ut subintrent limites mundi Creationis.)

Caput

Caput V.

Hic addenda adhuc specialia quædam. Supra enim dictum est, quod Persona Adami constet 248. membris per decem partes principales distributis; id fit hoc modo.

Kether seu Corona est Cranium.

Chochmah, Sapientia, Binah, Intelligentia, Daath, Scientia sunt tria Cerebra. Chesed, Benignitas, Geburah robur, Tiphereth, Pulchritudo, sunt duo Brachia & corpus.

Nezach Victoria, Hod Honor, Jesod Fundamentum sunt duo femora & membrum generationis.

Malchuth autem seu Regnum est Uxor ejus.

Porrò præter alias divisiones varias, notanda est & illa, quæ est in Notiones Personarum, ubi

Kether seu Corona est una persona è X. Numerationibus & vocatur Arich Anpin seu Macroprosopus.

Chochmah etiam una est persona, & nomen אבא Abba seu Patris habet.

Binah autem Persona pariter est, & dicitur Imma, Mater.

Dein Tiphereth à Chesed usque ad Jesod, unam, constituit personam quæ vocatur Seir seu Microprosopus.

Decima autem Numeratio, nempe Malchuth una itidem est persona, quæ vocatur Uxor Microprosopi.

Ulterius sciendum, Notionem מלכות Malchuth seu Regni, occurrentem in singulis Personis jam nominatis ita se habere: quod Malchuth competens personæ Masculinæ, quales sunt Pater & Seir ibidem habeat Notionem Attarah seu Corollæ, Justo, id est יסוד Jesod impositæ, vide Sohar Sect. Vajeze f. 162. In Persona Fœminina autem quales sunt Mater & Uxor Microprosopi Malchuth pariter notionem habet Corollæ יסוד Jesod, ibi enim Jesod est Matrix, & Corona ejus denotat notionem Pomi ejus. Sephira autem מלכות Malchuth quæ est Persona per se, vocata Uxor

Uxor Microprosopi, ipsa est perfecta Fœmina ad instar reliquarum personarum.

Addo & hoc: Cum ab Adamo primo omnes mundi tanquam rami propagantur, res ita se habet, ut mundus Emanationis non sit nisi veltis תוך Nezach Hod Jesod istius Adami primi, quæ tantum sunt Notio Vasorum pedum ejus. Jam autem notum est, quod mundus Factionis correspondeat תוך Malchuth seu Regno, quæ locum suum habet à tergo תוך Seir seu Microprosopi versus תוך Nezach Hod Jesod ipsius: ita mundus factionis est Malchuth Adami primi: Unde solvitur quæstio, an liceat tam alta rimari? quod nimirum 3. summa Adami primi saltem prohibita sint, non vero cætera.

Præterea observandum, X. Numerationes cujuslibet munditam in genere quam in Specie sumtas, contineri literis Tetragrammati: ita ut apex literæ Jod Coronam; Ipsum Jod sapientiam, He primum Intelligentiam, Vav Pulchritudinem constantem 6. Partibus, quæ nobis Seir Anpin seu Microprosopus dicuntur, & He Ultimum Regnum, quæ nobis Uxor Microprosopi dicitur; denotet.

Si autem omnes Numerationes in una Persona proponuntur, tunc Apex literæ Jod seu Corona, est Cranium istius Personæ; Jod vero ipsum & He, seu Chochmah & Binah, sunt duo Cerebra dextrum & sinistrum; Vav denotat sex partes principales illius personæ, & He ultimum est regnum ejusdem, de quo supra.

Iterum notandum, Varias dari Tetragrammati exarationes per literas aliter atque aliter plenè scriptas. e. g.

יוד Jod, characteri Patris seu Sapientiæ, tribuitur exaratio plena per Jodin, hoc modo:

יוד הי ויו הי

quæ exaratio dicitur אב Ab seu septuaginta duo denotans.

הי He primo, Characteri matris seu Intelligentiæ, alia tribuitur exaratio plena per Jodin, hoc modo:

יוֹד הֵי וָאו הֵי

quæ exaratio dicitur סג sag seu 63. denotans.

יוֹד Vav characteri Microprosopi, seu sex numerationum à Chesed usque ad Jesod; alia tribuitur exaratio plena per Alephin, hoc modo:

יוֹד הֵא וָאו הֵא

quæ dicitur מה Mah, seu 45. denotans.

יוֹד He ultimo, Characteri Uxoris Microprosopi seu Regno, alia tribuitur exaratio plena per Hehin, hoc modo:

יוֹד הֵה וָו הֵה

quæ dicitur בן Ben, seu 52. denotans.

Sic quoque in omnibus particularibus inter personas, semper Sapientiæ Personæ competit עֹב.

Intelligentiæ Personæ סג: Microprosopo Personæ מה: & Regno Personæ בן.

Et sicut quælibet Numeratio iterum in decem alias Numerationes dispescitur, & sic infinitum; sic & plenæ istæ exarationes multiplicantur in infinitum.

In lectione Libri Sohar autem sedulo videndum, utrum Sermo sit de Adamo primo ipso, an de aliquo Luminum ab ipso prodeuntium sive ex auribus, sive è naso, sive ex ore, quæ vocantur Akuddim variegata, sive ex oculis, quæ dicuntur Olam Hañekuddim Mundus punctatorum; quæ est notio Mundi Emanationis ante ipsius productionem actualem; sive è fronte, quæ est notio mundi Emanationis, post ipsius actualem constitutionem. Item utrũ sermo sit de mundo creationis, an de mundo Formationis an de mundo factionis, eaq; omnia in genere: Prout & in specie videndum, utrum sermo sit de Persona Antiqui qui in quolibet mundo occurrit; an de Persona Macroprosopi, an de Patre vel Matre, an de Microprosopo vel Uxore ejus; an de Israële sene, an de Thebunah seu Prudentia, an de Jacobo, an de Leah.

Deinde etiam attentione opus est, circa specialissima, utrum Sermo sit de X. Numerationibus circulari forma consideratis, an de

an de rectilineo, utrum de Luce ambiente, an de Interna; an de Vasis.

Præterea status X. Numerationum observandus est, earumque plenitudo & defectus, adeoque numerus utrum Sermo sit de tempore quô emanarunt, an de tempore quô accusatur Luna, an de tempore Creationis hominis primi, an de tempore quo peccavit, quô mutati sunt omnes mundi; an de ætate deserti, an sub domo prima, vel desolatione ejus, an de domo secunda vel desolatione ejus; an die professo, an Sabbatho, an festis diebus, item utrum interdiu an noctu; imò observandæ sunt horarum quoque differentiæ, cum horæ hora non sit similis. Vide Tikun. 12. f. 63.

Utplurimum tamen Liber Sohar non trãctat de X. Numerationibus sub circulari forma consideratis, sed de rectilineis Tantum.

Epistola ad Compilatorem.

MUltum jam temporis elapsum est, Vir Clarissime, ex quo tuas accepi, tum priores illas ad me ipsum scriptas, tum eas alteras ad Præstantissimum Virum, Dominum N. quæ ad me tamen potissimum pertinebant. Scripta mea, quæ maxima ex parte te perlegisse dicis, tibi tantopere placere; cùm eo Vir sis judicio, vehementer equidem gaudeo. Speroque demonstrationes meas Principii, quod dicitur, Hylarchici, quas tanta cura ac conatu elaboravi, non relaxaturas esse hominum industriam in rimandis, quæ reverà insunt, rationibus Naturæ Mechanicis, sed excitaturas potiùs eorum vigilantiam, ne præ nimia credulitate se existiment solutiones earum rerum Mechanicas invenisse, quæ earundem sint incapaces. Qua de re Lectorem moneo in Præfat. ad Tractatum Immort. Animæ. Sect. 13. Cæterùm quicquid judicent alii de opere illo Metaphysico, equidem dissimulare non possum, quin mihi ipsi in eo magnopere placuerim, plenèque omni ex parte satisfecerim. Nemòque quod sciam, apparuit hactenus, qui demonstrationes meas ulla in parte enervare potuit. Quanquam haud oscitanter videntur legisse, cùm quidam certè eorum, lapsum notaverint pag. 218. qui me prorsus fugerat, ut qui remissiori, ut videtur, animo eram in Latinè reddendis hisce meis speculationibus, quam in eisdem fueram formandis excogitandisque. Legendum enim est juxta MSS. meum Anglicanum pag. 218. lin. 11. quam dimidium ejus, quod globuli occupant: Et lin. 13. spacium esse dimidium. Quemadmodum & ipse sensus contextus planè postulat, ut Sol quarta pars vorticis fiat. Quæ quidem Solis quantitas cum dicto Experimento, computatis computandis satis convenit. Qua de re tamen non est, ut simus nimis soliciti, quandoquidem quinta tantùm, sexta septima ve licet pars vorticis esset, omnia tamen in hoc capite pari ferè firmitudine procederent. Sed credo, te inter legendum, qua es ingenii promptitudine, hæc tua sponte notasse.

Benignior tua sententia de Conjecturis meis in Tabulas Cabbalisticas, cum in illis studiis adeò versatus sis, calcar addidit curiositati perlegendi Tractatum primum Libri Druschim, quem huc mittendum nuper curasti. Quid autem de eo sentiam, ex brevibus quibusdam Annotatis Anglicè scriptis percipe potes. Equidem nunquam adduci possum, ut credam istiusmodi commenta veros esse antiquæ Cabbalæ thesauros. Rationes in istis Annotatis subindicavi. Ita sanè Autor philosophatur, ac si Sephiroth Numerationes non essent, sed Sephæroth sive Sphæroth, id est Sphæræ. Pæneque Orbes Aristotelicos cum suis Intelligentiis pro antiquæ Cabbalæ mysteriis reponere videtur. Sed præcipua perstrinxi in Annotatis illis. Singula notasse, eisve animum attendisse magno mihi futurum fuisset tædio, nec absimile vitiosarum nucum diffringendarum operæ: quibus nil nisi aridus ingratusque pulvisculus pro laboris pretio in os frangenti excidit. Quò majores profecto tibi gratiæ debentur, qui hunc laborem in publicum commodum tam alacriter devoras, ut quæ sint opes penuriave Judæorum Philosophica, & tibi & Christianis pateſcat. Quantum ad me, ego certè credo Sephiroth, sicut & tu vertis, Numerationes omnino significare, esseque nihil aliud, quàm Numeralia quædam Repositoria maximorum mysteriorum antiquæ Cabbalæ decadem non excedentia, manuumque decem digitis, super quos res numerari solent, respondentia: Denariumque Pythagoricum hinc originem suam traxisse. Varias vero Notiones sive Nomina ad singulos numeros relata fuisse: quemadmodum observare licet apud Johannem Meursium in Denario suo Pythagorico; quanquam multa quidem illic notata nomina spuria sint. Moditamen referendorum satis amplum est exemplum.

Sephiroth verò sive Numerationes Cabbalisticas duum fuisse generum puto: Physicas & Metaphysicas. Physicas fuisse Repositoria mysterii Creationis sive Mundi aspectabilis præcipuè,

puè, subindicatis interim & in visibilibus ejus incorporeisque principiis. Septem autem primæ Sephiroth huic rei maximè inserviebant, septem diebus, sex primis operæ, septimo quietis, applicatæ: & sic quidem, ut singuli numeri imaginem quasi ferrent rerum, quæ singulis diebus appropriantur, sicut fusè demonstravi in Cabbala mea Philosophica. Nec omninò hîc otiatur decima Sephirah sive denarius quatenus ad quaternarium referri potest tanquam illius potentia. Tot è decem Numeris sive Sephiroth Mundi aspectabilis Creationi illustrandæ inserviebant.

Quantum verò ad Numerationes Metaphysicas, id maximè notatu dignum est, eas totum Denarium complecti, & in duas partes dividi, tribus prioribus ipsi Divinitati, septem reliquis Creationi spirituali & invisibili applicatis; ita ut septem postremæ Sephiroth Repositoria sint & capsulæ quasi rerum omnium creatarum spiritualium & invisibilium, (quemadmodum septem primæ rerum corporearum & aspectabilium) tres verò primæ, quod dixi, Sacrosanctæ Trinitatis. Quæ quidem earum in tres ac septem divisio mihi supponi videtur Apoc. 1, 4. Est enim ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος periphrasis Jehovæ, qui Triunus ille Deus est, ac proinde tres primas Sephiroth sive Numerationes occupat, septem autem Spiritus, qui dicuntur ante Thronum illius, reliquas septem. Intelliguntur autem per eos Angeli boni Divinæ Providentiæ ministri. Non quòd septem omninò sint, sed quod ad septem Sephiroth referantur, quæ universalitatem bonorum Angelorum continent (nempe quando prima è septem Sephiroth appellanda est Chesed, si verò appelletur Gedulah, ne Angelorum quidem malorum ordines excludit) Quam etiam ob causam septenarius appellatur ἑπτάδικος, & magis particulatim φυλακῆς, quippe quòd septem hæ Sephiroth omnes cohortes φυλάκων, vigilum, id est Angelorum continent. Ac proinde ubi septem Spiritus dicuntur, id non numeraliter intelligendum est, sed symbolicè, aut Universalitatem bonorum spirituum in septem Sephiroth contentorum, aut indefinitum nume-

numerum notando, nempe aliquos è septem, id est, ex universis. Etenim quin Angeli hîc intelligantur, nullus dubito, ob ea quæ occurrunt cap. 3, 5. Est igitur hæc salutatio cap. 1, 4. fausta precatio, ut gratiam sive favorem obtineant apud Deum & Angelos Divinæ Providentiæ ministros. Non certè credo septem postremas Sephiroth universos Angelorum ordines tantum continere, sed omnem omnino Spiritualitatem, quæ à Deo in creaturam emanat, sicut notavi in Conjecturis meis in Tabulas Cabbalisticas, ubi nec Spiritum Naturæ exclusi, nec Gratiam internam, in Intellectuales Ordines, Angelos intellige & homines, Divinitus influentem. Quæ hîc nihil opus est repetere.

Hîc tantum inculco decem Sephiroth esse ex se nihil aliud nisi decem aridas Numerationes, non Emanationes Divinas, vacuas capsulas, non aurum margaritâsve illic reponendas. Dumque rebus Methaphysicis inserviunt, tres primas Triunam Divinitatem sibi vendicare. Quippe tria omninò distinctim, quocunque nomine appellaveris æterna, necessaria & immutabilia (non ut transeuntes, alternantesve operationes sive actiones, sed ut stabiles ἐνεργείας sive Actualitates) in Divino Numine, mentis nostræ offerunt. Omnia sanè in Deo ineffabilia sunt. At si balbutire juvat; ubi eloqui non licet; Primum illud est essentialis quædam in infinitum fœcunda Bonitas. Alterum Sapientia omniscia; Tertium est infinitum quoddam ex his duobus mutuò intimèque perceptis profluens Gaudium sive Amor. Unde in Denario Pythagorico fortean fit, ut Ternarius appelletur φρόνησις & ἐνέργεια, & tertia Sephirah apud Judæos Binah. Quod autem Unitas illic τὸ ἓν dicitur, id fortassis sic intelligi potest, ut de Deo Patre apud Arminium, ac si esset ἀνείδεος. An verò Binarius Νοῦς illic appelletur, non satis memini.

Quemadmodum verò tres primæ Sephiroth Deum sive Triunam Divinitatem complectuntur, ita septem postremæ, siquidem sex priores in Malchuth desinunt, Mysteriorum Regni Dei videntur Repositoria. Nomina autem, quibus insigniuntur,

untur, ſunt omnium univerſaliſſima, & quæ Regno Dei interno pariter atque externo illuſtrando commodiſſimè inſerviunt. Nam Cheſed, Geburah, Tiphereth, Nezach, Hod, Jeſod, id eſt, Bonitas ſive Benignitas, Virtus ſive Fortitudo, Prudentia ſive pulchra ordinatáque de rebus agendis diſpoſitio, & felix inde Operatio, ſolidumque hinc gaudium & in Deo gloriatio, omniumque tandem horum tenor firmus ac ſtabilis Regnum illud conſtituit Dei internum in Spiritibus Hominum ac Angelorum. Atque ſanè ſex hæ priores Sephiroth in Malchuth omnino deſinunt, ut ſex Dierum opera in Sabbatismum.

Præter internum autem hoc Regnum Dei eſt triplex externum, nempe Regnum Naturæ, Regnum Angelicum & Eccleſia. Quorum ſingulorum myſteria particularia ſub ſingulis illis Nominibus univerſaliſſimis inquirenda erant. De extenſione ſub Gedulah, de viribus ſub Geburah, de Legibus, Politia & Ordinibus ſub Tiphereth, de pugnis ac victoriis ſub Nezach, de Splendore ac Gloria ſub Hod, de ſtabilitate, permanentia ac duratione ſub Jeſod. Ut de Regno Naturæ ſub Gedulah quæri poterat, Quousque ſe extendat Spiritus Univerſi, Certoine quosdam ad limites, an in infinitum. Ætherémne atque aërem tantùm permeet, an ipſum globum etiam terreſtrem. Animæ brutorum an ſpirituales ſint, & quousque per mundum diſſeminatæ. Sub Geburah, Spiritus Mundi quid poſſit, & qualis ſit illius vis Magica? Sub Tiphereth, quænam potiſſimæ leges ſint Spiritus Naturæ in ordinanda Mundi materia. Sub Nezach, Quæ pugnæ illius cum contumaci materia & quæ victoriæ. Sub Hod, An Spiritus Univerſi capax ſit gaudii & gloriationis ſenſuque grati & ingrati, & quænam illius rei ſint indicia. Sub Jeſod de conſtantia operationum Naturæ, in quo fundetur & quamdiu duraturus ſit Spiritus Mundanus: &c.

De Regno Angelico. Sub Gedulah, quousque extendatur Regnum Angelicum, & an totus Æther atque aër plenus ſit illorum turmis. Sintque qui Igni atque Aquæ præſideant, quique Præfecti ſint Gentium ac populorum. Sub Geburah, Qualis Angelorum vis ſit in movendis mutandiſve Mundi Elementis, in malis averruncandis infligendiſve, in cogitationes injiciendo hominibus & Arcana revelando. Sub Tiphereth, quæ ſit Politia Angelica, quæ leges. Quot & quinam ordines Angelorum, ubi de Cherubin, Seraphin, Thronis &c. Sub Nezach de præliis eorum & victoriis. Sub Hod de Triumphis, Pompa ac Splendore Regni Angelici. Sub Jeſod de firmitudine ac ſtabilitate Regni Angelici, ubi de Lapſu Luciferi cum ſociis, & de confirmatione non lapſorum, &c.

De Eccleſia ſive Dei Regno peculiari apud Homines: Sub Gedulah, quæ fuerit illius latitudo à principio ad mundi finem. Sub Geburah, quales virtutes emicent in veris illius membris, puta in ſubdomando veteri homine, in edendis miraculis, in vaticiniis aut effundendis aut interpretandis. Sub Tiphereth, quæ ſit illius Politia, Ordinationes & Leges, Quinam præcipui Legislatores, ubi de Moſe & de ipſo Meſſia, quoad illius interna officia pariter atque externa. Et an principalis verèque Regia illius Imperii Lex non ſit ſincerus Dei Amor atque Proximi. Sub Nezach, quæ ſint Eccleſiæ prælia, arma ac victoriæ, quibus tandem modis eventurum ſit, ut omnia mundi Regna Chriſti ſive Meſſiæ Regna fiant. Sub Hod, de externo ſplendore ac ornatu Eccleſiæ per omnes ſuas Ætates. Sub Jeſod, de ſtabilitate ac perpetuitate Eccleſiæ, quo nitatur fulcro, humani arbitrii libertate, an æterno Dei fœdere. &c.

Atque hæc paucula exempla ſufficiant ad indicandam aptitudinem horum generaliſſimorum Nominum præ cæteris ut Repoſitoria fiant præcipuorum Arcanorum antiquæ Cabbalæ, quomodòque potiſſima Arcana Moſaica his capſulis recondi poſſint, indeque commodè depromi, non excludendo interim alia cognomina: Decemque Sephiroth meras Notas eſſe Numerales, ſicut vulgò dicitur, decem eſſe prædicamenta, quæ dici poſſunt Sephiroth Dialecticæ. Sephiroth verò Sphæroth, Orbes

bes vel Sphæras fuisse imaginari immane profectò mihi videtur deliramentum, ac novum aliquod recentiorum Rabbinorum figmentum, taleque quod pessimè succedit, quemadmodum demonstravi in Annotatis.

Sephirotharum igitur Cabbalisticarum ejusmodi ferè usum fuisse valde equidem suspicor. An verò ea in re usque quaque rectè ariolatus sim, penes te esto aliosque viros doctos judicium.

Interea loci dissimulare non possum, quantopere illud mihi placeat, quòd te expertũ scire profiteris de Judæis, mysteria nempe nostra, terminis ipsorum Cabbalisticis, proposita neutiquam eis videri absurda nullamque fere inter nos restare discrepantiam in Fundamentalibus, nisi super Persona JEsu Christi. Quem sanè illos tandem agnituros spero proclive fore ex Vaticiniis tum Veteris tum Novi Testamenti rectè intellectis: Præsertim ex hebdomadis Danielis. Quarum explicationem satis profectò concinnam absolvisse mihi videtur Vir acerrimo judicio & ingenio Thomas Lydiatus Anglus. De quo opportunum hic sit dicere, Prophetam honore non carere nisi in propria patria: Ego verò magnas tibi habeo gratias, quòd mihi per literas tuas tam accurati Scriptoris mentionem feceris, illiusque mihi dederis notitiam. Fateor me nihil habere solidi, quod objiciam contra hujus rationes, quibus Epocham illius Vaticinii in annum vicesimum Artaxerxis figendam contendit, nisi quòd Historici plerique omnes in annum septimum defixerint. Sed qui sic fecerunt Passionem Christi, quod tamen caput rei est, ad medium ultimæ septimanæ diem revocare hactenus nescierunt. Quod quidem si commodè solidèque hic præstari posset, ea ratio ob suffragiorum multitudinem plausibilior videretur. An verò id pari firmitudine fieri possit atque in rationibus Thomæ Lydiati, nondum satis video. Aliquàm multum temporis interfluxit, ex quo Lydiatum legi, neque hic est ea de re dicendi locus

locus. Cæterùm præter insigne Danielis Vaticinium de Messia ejusque morte sive Passione eo ipso anno, quo passus est JESUS Nazarenus, multiplices illæ visiones Apocalypticæ, quæ in ipso exordio libri ei inscribuntur (Apocalypsis JEsu Christi &c.) non possunt profectò, ob admirabilem earum claritatem ac veracitatem & singularem JEsu Christi erga Judæos eo in libro præsignificatam benignitatem ac benevolentiam, quin suo tempore Judæos planè convincant eum ipsum JEsum Nazarenum fuisse & etiamnum esse verum ipsorum Messiam, æternumque Regem Israëlis.

Quod Judæorum opinionem spectat, qui credunt animas humanas non ob lapsum primò descendere sed ut probentur: Quæri equidem hic potest, an non fiat exploratio sive probatio animarum in Regionibus aëreis vel æthereis, starene an labi velint, lapsæ verò an non hic iterum probandæ sint, itaque & lapsus & probatio commodè possint conjungi opinioque Judæorum cum Platonicorum opinione quadantenus conciliari? Deinde an omnibus animabus descendendum sit ut probentur? Quod supervacaneum videtur, cùm explorationem jam subierint, quædamque fideles se præstiterint in illa exploratione. Præterea voluntaria illa exinanitio in Anima Messiæ, si omnes animæ fatali quadam lege teneantur descendere, qui fieri potest ut non multum obscuretur minuaturque ex hac Hypothesi?

Quantùm verò ad delicatulam istam Judæorum scrupulositatem, qua tametsi Personarum appellationem in sua Trinitate admittunt, nolunt tamen ullam propriam in ipsis agnoscere subsistentiam, equidem id minimè demiror, cum nec ipsi Scholastici Deum substantiam propriè appellari posse concedant, ut qui omnia prædicamenta transcendit nec substare potest Accidentibus. Cum igitur in ipsa Divina substantia aliquid eximium & singulare & quod vocis substantiæ vim planè excedit agnoscendum sit, quidni idem fiat in Divinis Subsistentiis. Quin

 & ipsi

& ipsi antiqui Patres hærent, ut videre est apud Calvinum, quibus appellanda sint nominibus tria illa in Divinis Numina eminentia distinctèque percepta. Platonici tamen non dubitarunt tres appellare Hypostases, ut constat apud Plotinum. Nec mirum est humana ingenia in tam præfulgida luce cœcutire, nescireque quibus verbis tam ineffabile mysterium enunciari debeat. Tutò autem procul dubio eis Nominibus uti possumus quæ Sacra Scriptura nobis proponit. Quæ tria omninò illa æterna, necessaria & immutabilia quæ à nobis distinctè in Divinitate percipi possunt, Patrem appellat & Filium & Spiritum Sanctum. In quibus Judæos facile nobiscum consensuros credo, cum & Philo Judæus æternum Logon unigenitum Dei Filium nuncupet. Præter modum verò mihi deliciari videntur Judæi, quod à voce subsistentia tantopere abhorreant, cum ipsi Philosophi, Platonicos intelligo, tres in Divinitate Hypostases admiserint. Quas tamen haud credo eos tam pingui sensu intellexisse, quàm si tres subsistentias trium hominum distinctorum innuerent, quippe quod unitati Divinitatis planè repugnaret. Impossibile est ut nomina crassa & ex communi sensu arrepta ineffabili Divinitatis Mysterio propriè & adæquatè conveniant. Sed cautè sunt scienterque ac candidè interpretanda. Quod effecturam esse spero ut fiat, cœlestem illam mutuæ Charitatis Lucem in Intervallo illo Ecclesiæ Philadelphico, quæ omnes hujusmodi obscuritates mira facilitate illustrabit ac dissipabit.

Cæterum vereor, ne diutiùs quàm æquum erat, te his haud ita necessariis speculationibus detinuerim. Libertatem qua usus sum & in hac Epistola & in Annotatis in enormia taxando Judæorum figmenta, ut excuses etiam atque etiam rogo. Quod te facile facturum autumo, cum ipse is sis, qui liberiorem philosophandi rationem juxta mecum approbas. Mitte ad me obsecro cum proximis tuis literis satis distinctas definitiones quatuor generum Mundorum Emanationis, Creationis, Formationis

tionis & Factionis, ut distincte intelligam quomodo differant, dispiciamque quid solidi subesse possit isti distributioni, quidve minus solidi. Ut DEUS Optimus Maximus studia tua omnia ac egregios conatus porrò secundet in sui Nominis gloriam & Ecclesiæ emolumentum animitus precatur.

Tibi addictissius

H. M.

Quæstio-

Quæstiones & Considerationes paucæ breves que in Tractatum primum Libri Druschim.

Sive

Introductionem Metaphysicam ad Cabbalam Genuinam, Autore R. *Isaaco Loriensi.*

In Caput I.

I.

MUndum ideo creatum fuisse, ut DEUS perfectus fieri posset in facultatibus suis, operibus & nominibus magnificentiæ, ut *Jehovah* & *Adonai*, minùs videtur accuratè dictum. Durum enim mihi videtur, ut DEUS minus perfectus ante Creationem mundi existimetur quam posteà. Quippe quod, cum Mundus ab æterno non sit creatus, cumque æternitas fuisset, si ita fas sit loqui, antequam ullus Mundus conditus esset, tam diu Deus futurus fuisset imperfectus, quod valdè videtur absurdum. Unde manifestum est, quod Deus æquè perfectus erat ante ullorum Mundorum Creationem, quàm erat posteà. Quodque proinde ex nulla *sui ipsius* ratione habitâ, quatenus *sui ipsius*, factum sit, quod ullos mundos unquam crearet, sed ex mera benignitate propensaque voluntate benefaciendi aliis, non autem magnificandi *seipsum* quatenus *seipsum*, sed ut Creatio Intellectualis magna fieri posset ac beata in contemplanda magnitudine Bonitatis, Sapientiæ ac Potentiæ Divinæ, quæ ex operibus Illius elucescunt.

2. Cæterum ut Deus Mundum crearet, quo statum suum sive conditionem illis nominibus *Jehovah* & *Adonai* adaptaret, magis adhuc videtur, magisque mirandum Paradoxon, quasi illa nomina

nomina haberet ante Mundi Creationem, cum nemo erat qui eum illis nominibus appellaret.

II. Quærendum de *magno* illo *Lumine*, quod appellatur *Kadmon* & *Adam omnibus primis prior*, an non *Kadmon* idem sit quod *Kedem*, & *omnibus primis prior*, idem quod *Reschith*, Prov. 8. 22. Vide *Defensionem Cabbalæ meæ Philosophicæ in Genes.* cap. 1. 1. Et si rectè memini, *Æternus Logos* appellatur ὁ ἀληθινὸς ἄνθρωπος, *verus* utique *Adam*, alicubi apud *Philonem*; Et Νοῦς id est, *Intellectus*, ita nuncupatur, alicubi apud *Plotinum*. Et *Logos* videtur nominari *Lux* Johan. 1. *Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum.* Adeo ut *Kadmon* hic, sive *Adamus omnibus primis prior*, idem videatur quod secunda *Sephirah*, *Chochmah* appellata, id est, *Sapientia*. Unde equidem miror *Adamum* non reperiri inter cognomina *Sephiræ Chochmah*, æquè ac inter illa *Sephiræ Tiphereth*.

2. Nunc verò supposito, quod *Kadmon* hic idem sit quod *Chochmah*, quodque *Chochmah* secundæ Hypostasi Triados *Platonicæ*, Trinitatisve *Christianæ* respondeat, incongruum planè videtur, ut ullum habeat principium Temporale.

3. Ut & valde absurdum, ut Deus concipiatur, aliquando non generasse τὸν λόγον, quem *Philo* primogenitum Dei appellat, quasi unquam posset esse, ut Deus esset ἄνευ τοῦ λόγου; Quod [*ab hoc Infinito post modum descendit*] videtur implicare.

4. Et mox prima hæc *Lux* rursus dicitur principium habere ac finem, quod æterno DEI Filio neutiquam competit.

5. Distributio verò hujus veri, primique *Adami*, qui dicitur *omnibus primis prior*, (vocaturque *Reschith*) in Cerebrum, Cranium, Oculos, Aures, Nasum &c. nimio crassior est Imaginatio, quàm ut quenquam ædificet in vera rerum Divinarum notitia. Hæc profectò falsa videtur a recentioribus quibusdam *Cabbalistis* crassiori ingenii filo, addita appendix, ex antiqua τοῦ *Chochmah* appellatione nata, quam cum *verum Hominem* veteres appellas-

appellassent, illi sane, ne res satis omnibus non compareret, visibili formâ, cum naso reliquisque faciei partibus, finxerunt.

6. Si quam verò Philosophicam præ se ferat veritatem eorum *Olam Hannekuddim*, *Mundus* scilicet *Punctatorum*, equidem verisimillimum videtur, quod sit *Physis*, sive *Spiritus Naturæ*, alludendo ad *seminales* Maculas *centravæ Generationis*, quæ inde proveniunt, quemadmodum describitur *Psychozoia*. Cant. 1.

7. Cæterum quod quatuor Mundos attinet, videl. *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis*, & *Factionis*, equidem non intelligo aliorum ab aliis distinctionem.

8. Postremò, quantum ad solutionem Problematis, Cur utique Mundus hic nec seriùs nec citiùs creatus sit. Ratio certè, quantum ego intelligo, à scopo multum deficit. Prima enim illa Emanatio, (quippe quæ secundum hanc Philosophiam non erat ab æterno) cur non potuit seriùs esse aut citiùs? ac tum dein Mundorum intermediorum cur non velocius aut tardius esse potuit Creatio, atque sic demum Mundus hic fieri, citius aut serius? Et quantum ad ordinatam Successionem Temporalem, illa quidem talem Creationem probabit non potuisse fieri ab æterno, sola verò nunquam probabit citius aut serius fieri non potuisse. Illud Problema in solam Bonitatem primæ causæ resolvendum est, supponendo Deum Mundum condere voluisse quàm primùm capax esset ut conderetur, nec ante quidem condi potuit quam esset capax.

In Caput II.

I.

TRes illi modi quibus *Cabbalistæ Sephirotharum* Emanationes fieri contendunt, sive cunctæ aliæ super alias componantur in unam struem, sive in tres distinctas Columnas, seu denique in tot orbes alios intra alios disponantur, universi mihi videntur nimis pingvi atque crassi, tanquam si Divinæ Potentiæ non essent, aut Spiritus, sed corpora.

2. Ut

2. Ut taceam absurditatem agnoscendi Primum Ens uno in loco sapiens esse sive emittere *Sephiram Chochmah*, in alio non; in uno *Binah* in alio non &c.

3. Cum fingant omnes *Sephiroth* terminatas, solam verò *Lucem* supremi *Infiniti* interminatam, si intelligatur de ipsarum *natura*, manifestum est rem unamquamque determinatam suam habere naturam, sive nos intelligamus sive non: si verò intelligatur de *amplitudine*, satis quidem constat *Chochmah* & *Binah*, ubicunque est *Kether* sive *Or-Ha-ensoph* ibidem etiam esse, ac proinde æquè illimitatas esse atque est Ipse; Cum hi tres Trinitati respondeant, quemadmodum vulgo notatur ab eis, qui hisce de rebus tractant. Hoc certè necesse est ut sit, propterea quod Trinitas *Platonica* nihil aliud concipitur quam Infinita Bonitas essentialis, ac Sapientia ubique ex hac Bonitate, ac infinitè læta ac amorosa Perceptio utriusque, atque hæ tres cunctæ in una Divina natura, non quidem ut tres mutabiles *Operationes* sed *Hypostases*, *Energiæ* ve *Essentiales*, æternæ, necessariæ & immutabiles, ante & post Creationem eædem, & in perpetuum. Quas in prioribus meis Notis intimavi esse *Kether Chochmah* & *Binah*, integrumque *Arich-Anpin* æternam Dei infinitatem, reliquas *Sephiroth* Emanationes esse in Creaturas.

4. Jam verò cum hic *Or-Haensoph* naturæ sit necessariæ ac immutabilis & ubique sibi similis, qui fieri potest, ut retrahat seipsum a puncto ullo, quo adeò vastam relinquat concavitatem, in qua Mundis creandis sit locus? Quasi Natura Dei crassa esset ac corporea, nec mundi, ubi ipse sit, esse possint. Præterea, Discerpibilitas, sive separatio unius partis ab altera, corporis proprietas est, non Spiritus. Cumque Deus ubique sibi ipsi sit similis, si potest disjungere essentiam suam à tali puncto, potest profecto a quovis puncto, atque sic fissuram facere per totam suam essentiam, atque sic dividere seipsum in duas partes. Quod etiam demonstrationi esset contra Infinitatem illius. Quemadmodum intelligere est ex *Enchirido* meo *Metaphysico*, Cap. 10. sect. 8.

Postremò, vacuum illud quod imaginantur, postquàm DEUS se a puncto quopiam subtraxerit, non est mera *Non-Entitas* sed substantia incorporea & necessariò existens. (Vide Enchirid. Metaphys. cap. 8.) Unde sequeretur, quod Spiritus sit necessariò existens, & tamen distinctus a Deo, quod est impossibile. Ac proinde manifestum est, verum Deum, quem hic *Or-Haensoph* denotat, non posse subducere se à puncto, ut vacuum fiat, in quo Mundi sint creandi. Et certè cum primum hoc Fundamentum tam manifestò vacillet, indicio est, universam Fabricam, meram esse Imaginationem recentiorum quorundam Judæorum, quiantiquam *Cabbalam* corruperint.

II. Porrò, parum profecto concinnitatis est, quantum ego existimo in ista opinione, de subtili linea ex *Or-Haensoph* in vacuum concavum emissa, ut se possit in tot Orbes concavos formare. Quærendum est, an Orbes hi ex Radiis secundariis hujus Lineæ fiant, an vero ab hac Linea Lux primaria sic procedat, tali utique mensurâ, quæ orbi, talis ambitus, conveniat. Si prius, quid opus est istâ delicatulâ cautione, ut Orbis primus superficiei concavæ *Or-Haensoph* non sit contiguus, cum satis ab ea distinctus sit, ex eo quod Lux sit secundaria, tametsi ei esset contiguus? Quod si ipsa primaria lux sit, est ipse *Or-Haensoph*, & consequenter Deus ipse, hæque Emanationes sive Mundi sunt ipse Deus. Quod absurdum est.

2. Denique, valde incredibile videtur, ut secundarii Radii hujus Lineæ influxum his orbibus suppeditent, nec tamen Concavum τοῦ *Or-Haensoph* infinito plus affunderet. Quod planè destruit argutum hujus Lineæ Inventum tanquam tenuis Canaliculi perquam affabrè facti, qui Lucem tam moderatè derivaret. Nam uberior undequaque influxus τοῦ *Or-Haensoph* hoc propositum penitus subverteret. Quod igitur indicio est, tenuem hanc lineam non esse nisi scitum quoddam ac subtile recentiorum Cabbalistarum Imaginamentum. Deus omnia potest in numero & mensura ordinare sine hujusmodi argutis Inven-

Inventiunculis, idque se præsentem præbendo hisce Mundis, non subducendo se ut vacuum spatium faceret quod postea implendum sit exilissimo Tubulo Lucis.

3. Nec Creatura ulla ipsa Dei substantia est, sed substantia ab eo creata. Et qualis obsecro ille Deus restandus est, qui formari potest in Mundos ac Orbes?

III. Quærendum: Annon formatio decem *Sephirotarum* in decem orbes aliis alios involutos, spuria sit Inventio ex antiqua Traditione *Sephirotharum* Numerationes significantium, & ex decem *Sphæris* cum suis Intelligentiis apud *Aristotelicos* celebratis genita, cum *Sephirah* & σφαῖραι sono quam proximo sint, tanquam si *Sephiroth Sphæras* significarent perinde ac *Numerationes*. Verum hanc opinionem *Aristotelicam*, satis jam notum est, merum esse commentum & universim ab omnibus Philosophis explodi.

Pythagoricum vero systema idem fuisse, quod antiquorum *Judæorum*, satis manifestum est ex *Defensione Cabbalæ* meæ *Philosophicæ*. Intereà loci observare possumus quàm absurdum sit decem has *Sephiroth* in tot Orbes distinctaque spacia alia sub aliis, formare.

2. Nam ut missum faciam, nullam bonam solidamque causam esse, cur prima *Sephirah* appelletur *Kether*, cum nec duratione nec amplitudine sit infinita;

3. Hoc etiam durum est, ut *Kether* Sapientiâ destituatur, cum hæc ad secundum Orbem relegetur: ut *Sapientia* destituatur *Intelligentiâ*, cum hæc relegetur ad Orbem tertium. Ut Orbis quartus mera sit *Magnitudo viribus* destituta, cum istæ restringantur ad quintum, ut utræque destituantur *Ordine* seu *Pulchritudine*, cum illa sexto Orbe claudatur, ut *Victoria* Orbis per se distinctus sit, *magnitudine*, *viribus* ac *ordine* destitutus. Et *Gloria* alter, quanquam destitutus *Victoriâ*. Et *Stabilitas* separatim in Orbem compingatur, atque sic sinat omnes reliquos fluctuare. Et ut *Regnum* denique seorsim in Orbe sit, sine *Stabilitate*,

tate, sine *Amplitudine*, sine *Viribus*, *Ordine*, *Victoria* aut *Gloria* &c. Hæc certè admodum dura videntur ac absona, planèque indicant rem Figmentum esse, non autem doctrinam antiquæ Sapientiæ *Judæorum*:

4. Sed tres primas *Sephiroth* respondere Trinitati *Christianorum* ac *Platonicorum*,

5. Septemque sequentes non orbes quidem esse, sed Classes *Metaphysicas* Divinarum virtutum, quas Deus in *Creationem* emittit, tales utique ex quibus consistat, aut per quas ordinetur vel regatur, non distinctas in Orbes distantes, sed juxta quosdam modos ac qualificationes, ubique inveniendas. Sunt certe tanquam Prædicamenta septem Cabbblistica ad quæ res referendæ sint, ut *Pythagorei* olim ad Numeros referebant.

IV. Jam verò cum viderimus horum decem Sephirothicorum Orbium vacillantiam in uno hoc Exemplo, minimè necesse est, ut repetamus, quàm infinitæ sit ἀπειρία enarrare quod in his multis Mundorum Myriadibus singuli hos denos Orbes habeant, & unusquisque iterum Orbis suos denos Orbes & sic in infinitum. Quodque sic se involvant alii alios, ut cœlestes orbes apud Astronomos.

2. Quodque decem hi Orbes, cum suos denos orbes habeant singuli, eos habere debeant tanquam denos *Epicyclos* alios ab aliis involutos. Quod cum fiat in infinitum, Mundi demum æquè minuti fient atque Atomi. Sed totum commentum videtur omni ratione, concinnitate ac ædificatione destitutum.

V. Nec plus sanè habet aut rationis aut ædificationis, illa inopinata eorum notio, *Kadmon* nempe sive *Adamus primus* in membra per distincta spacia extensus. Quæ profectò utut possit astum aliquem Politicum sapere ad retinendos animos infantiorum *Judæorum*, videtur tamen omni ratione solidâ ac Philosophicâ penitus carere.

2. Imaginari vero hanc Fictionem apud *Mosem* insinuari. Gen. 1. 16. intoleranda certè videtur credulitas & oscitantia.

Homo enim sive *Adamus* ibi creatus in Imagine Dei, creatur post volucres, Pisces & Bestias, & super Terram etiam creatur, cum hic *Kadmon* supponatur & ante Terram, & ante omnem in terris Creaturam, creari.

VI. Cum punctum in medio vacui τοῦ Or-Haensoph, *Mundum Materialem ac corporeum perfectâ corporeitate* faciat, quærendum quidem hîc est, an non *punctum* hoc sit *Terra* in medio Mundi sita? Quod optimè cum hac Hypothesi convenit, *Sephiroth* nempe *Spheras* esse *Aristotelicas*.

2. Et tum dein, an in medio cujusque Decadis *Epicyclicarum Sephirotharum* Terra sit nec ne. Ac denique, an unaquæque particularis *Sephirah* unam tantùm habeat Decadem Epicyclicam *Sephirotharum*. Inde enim distantias immane quantum disproportionatas perinde ac magnitudines terrarum fore &c.

In Caput III.

I.

QUærendum, quomodo *Vasa* ac *Lumina* Numerationum tam *Circularium* quam *Rectilinearum* distinguantur, utrum ut *Lux* & *Diaphaneitas*, vel quonam demum modo. Nam *Vasa* Numerationum *Adami primi* dicuntur tenuis esse Lux. Cap. 4.

Declarari etiam debet, quid significetur per *Nephesch*, quid per *Ruach*, quibus *Circulares* & *Rectilineæ* Numerationes distinguantur, & *Substantiæne* per ipsa intelligantur an *Facultates*. Et quando dicitur, quod Jecur sit sedes *Nephesh*, Cor *Ruach*, & Cerebrum *Animæ*, quid intelligatur per vocem *Anima*. Si illa Anima sit quæ est substantia, non est nisi una, eaque per totum corpus diffusa. Et tunc, non est ulla alia substantia incorporea præter ipsam. Adeò ut *Ruach* in corde, melior eâ esse non possit, sed ad summum non nisi calor vitalis ac Spiritus. Et quàm

misella res tunc futura est *Nephesh* sive *Psyche* in Jecore, aut quid utilis eruditionis est in toto hoc mysterio?

II. Quid intelligendum sit per *Circulares Emanationes* ipsarumque *vasa*, quodque *Lumen* in his vasis appelletur *Nephesh*, quodque sint alia *vasa* ac *Lumina* (seu Numerationes) quæ sint *Ruach*, utraque in humana Figurâ. Si corporea sunt, quomodo esse possunt in eodem loco? Et quàm inopinatum est, ut sint in omnibus Mundis quantumcunque materialibus? An verò Intimatio Parabolica est, quâ doceamur cœlestes Orbes totumque adeo Mundum Animâ non solum sensitiva & imaginativâ sed rationali etiam informari? Cujus rei vasa & Numerationes *Hominiformes* sint Symbola. Cæterum *Spiritum Mundi*, tametsi vitâ præditus sit (& sensu fortean ac Imaginatione) ratione tamen carere, ex variis Experimentis in *Enchiridio* meo *Methaphysico* occurrentibus, facile esset demonstrare. Adeò ut nihil solidi deprehendere possim in hac Notione circa *Nephesh* & *Ruach*, quæ *vasorum* circularium & Rectilineorum seu Hominiformium *Lumina* constituuntur.

III. Illud etiam mirandum mihi videtur Mysterium, ut *Or-Haensoph* subduceret seipsum ad magnam faciendam vacuitatem, in qua nihil concipiatur relinqui, in eum finem ut vasa Emanationum vel Numerationum ibi primum fiant & appareant, tanquam si rationi non esset magis consentaneum, quod *Præsentia DEI* ad talia vasa creanda magis requisita sit quam ejusdem *Absentia*. Ubi enim nihil est, ibi nullius rei actus aut effectus esse potest. Nec destruit quidem *Divina Præsentia* ullam rem quæ bona sit ritèque comparata, sed corroborat eam, quippe quæ ad æternæ suæ *Sapientiæ* modulum sit concinnata (quæ non potest non ubique esse) & sustentata conservataq; virtute *externi sui Verbi* qui *Spiritus* est *Naturæ*.

2. DEUM verò talem *Lucem* fingere, quæ vasa ab ipso creanda per præsentiam suâ destrueret, idem est atque si eum Lucem materialem faceremus, ignemve vehementem, qui fistulas metallicas ligneasque consumit. Qua in re apertè se produnt, ostenduntque se non quidem cum ratione Philosophari, sed temerarias impuræ Imaginationis, corporeæve Phantasiæ scenas erigere, in derogationem excellentiæ Divinæ Naturæ, quæ purè est incorporea. Cæterùm haud ita mirum videri debet, quòd Mysterium tam inauspicatò inceptum (quemadmodum ostendi in secundo capite) Deum fingendo tam vastam Lacunam in se excavasse, meliorem non sortiatur exitum.

In Caput IV.

I.

A *Damum omnium primorum primum* quod attinet, in hoc capite memoratum, qui dicitur ante res omnes esse, & a quo Mundi omnes dicuntur dependere ac procedere: Quidnam est hoc? Deus an Creatura? Illudne Creatura esse potest a quo omnes mundi dependent, ab eoque procedunt? Deusve id quod non est æternum? Neque enim erat ante rotundum vacuum factum, cujus partes à centro remotissimas *Adamus hic primus* postea ex decem *circularibus* Emanationibus sive Numerationibus sub notione *Nephesh*, ut & *Rectilineis* seu *Hominiformibus* sub notione *Ruach* constitutus, possedit opplevitque.

2. Verùm qui potest hic *Adamus primus* ad istud spacium relegatus quod Concavo *Or-Haensoph* proximè adjacet, Mundos producere ad tam vastam à seipso distantiam? Quive eos ordinare potest, cum ipsis minimè sit præsens, et qui porrò fieri potest, ut hic *Adamus primus* Animas Spiritusque hisce Mundis creet, si ipse sit Creatura, finitusve sit amplitudine, si sit Deus.

3. Et postremo. Quænam est hæc Intellectui meo satisfactio? quomodove Creationis Mundi Fides facilior ob hoc commentum mihi evadit, aut confirmatior? Adeò ut nulli facultati gratificetur, nisi quis forte tam infirmo sit ingenio, ut in deliciis habeat commoveri incredibilibus & inauditis Imaginationibus & Narrationibus eisdemque quasi obstupefieri.

In

In Caput V.

I.

HIc rursus inquirendum est, quid intelligi debeat per hanc Personam *Adami*, Deitasne intelligenda sit an Creatura. Ut Deitas cranium sit uno in loco, Cerebrum in altero, corpus brachiaque in alio, in alio crura ac pudenda, equidem admodum est absurdum. Utque *Kether* appelletur *Arich-Anpin*, *Chochmah* Abba, & *Binah* Immah, parum confert ad Christianitatem nisi hic *Adamus* omnium primorum primus ipsa esset Deitas. Decem fuisse *Sephiroth*, *Numerumve Denarium* haud contemnendorum Mysteriorum, tum *Physicorum* tum *Metaphysicorum* apud antiquos *Judæos* fuisse Repositorium, facilè admitto. Quod verò ullæ structuræ super has *Sephiroth*, in his capitibus memoratæ, antiquæ Divinitusque inspiratæ *Cabbalæ* pars sit, equidem animum inducere non possum ut credam. Nullæ Inspirationes à Deo sunt nugatoriæ & inutiles, sed tales, quæ nostram in eo fidem vitæque futuræ confirment. &c.

Ad

Ad Considerationes & Quæstiones in Tractatum I. Libri Druschim R. Isaaci Loriensis.

Amica Responsio ad D. Henricum Morum.

§. 1.

ERuenti mihi atque indaganti genuinas antiquæ Philosophiæ Judaicæ hypotheses non immerito, Vir Clarissimè, duæ in limine statim proponuntur quæstiones; Una nempè, cui bono, & in quem finem istis difficultatibus me involvam? & altera: quibus conjecturis inducar me illas hac methodo & ex his scriptoribus inventurum?

§. 2. Nimirum quod inutilis sit tota illa disquisitio, non pauca videntur evincere: & primò quidem, quod hic labor jam ab aliis sit susceptus, & hypotheses illæ hodie ab Eruditis non ignorentur: secundò, quod licet fortè clariùs evolverentur, assensum tamen non mereantur; cum Theologia Christiana jam penes omnes Sectas habeatur pro omnibus numeris absoluta, librisque symbolicis & autoritate publica toties sit confirmata: tertiò, quod scriptura sacra sufficienter, quæcunque ad salutem sunt necessaria, exhibeat.

§. 3. Quod autem apud Judæos hæc quæ quæruntur, vix reperiri queant, sequentia suadere videntur: primò, quod accuratius eò nos ducant, quæ ex Antiquitate Philosophiæ Pythagoricæ atq; Platonicæ, eruuntur, cum hi Philosophi inter Judæos antiquitus vixerint, & dogmata sua ab illis maximam partem hauserint: Secundò, quod scripta Judæorum videantur interpolata esse recentibus Hypothesibus è Philosophia Aristotelica petitis: tertiò, quod eadem scripta multis ubique scateant absurditatibus, cumque rectâ ratione parùm congruant.

§. 4. Hæc omnia absterrere me potuissent in ipso horum studiorum versantem limine, nisi alia quædam fuissent, quæ, præter iterata Amicorum quorundam monita, id saltem effecerunt, ut ad minimum exsatiandæ curiositatis gratia, in hoc stadio pergerem. Et primùm quidem sæpè, cum de convincendis atque convertendis Judæis meditatus sum, non parvum exinde observavi oboriri impedimentum, quod illi terminos nostros vel non intelligant, vel tanquam insolitos, atque absurdos abhorreant; cum è contrariò postquam ipsorum phrasibus cum ipsis loquerer, patulas semper habuerim aures, occasionemque nactus sim, omnia Christianismi mysteria, quæ tam absurda hactenus ipsis visa fuerant, mollissima interpretatione ipsis proponere: ex quo tempore multorum animos à vero Christianismo non usque adeo persensi alienos. Imo quosdam doctissimorum admiratos audivi, talia à Christianis doceri, quæ hactenus ipsi ne per somnium quidem fuissent suspicati. Unde sæpiùs exoptavi, ut intimior ipsorum Theologia pluribus nostratium innotesceret & studia nostra Rabbinica non in nudis hærerent observationibus Grammaticis, vel si summa fuerint, Antiquitatum profanarum indagatione: quò tandem & scripta nostra illi legere possent & ita pedetentim ad veritatis iter reducerentur. Secundò, cum animo mecum volvi fore aliquando ut Mosis velum ab oculis hujus gentis tollatur, & gratiosissima illa à piis sperata miseliorum conversio tandem contingat; dubiâ aliquoties distractus sum sententia sitne futurum, ut Gens ista eruditique ipsorum Magistri, relicto consueto atque antiquo Philosophiæ suæ Barbaricæ tramite, Philosophiam nostratem, quæ Græcanica atque gentilis, & ab illâ quoad methodum quam diversissima est, suscipiat; an verò Christiani tum usuri sint ancillante antiquâ illa sapientiâ, quâ ministrâ tam Veteris quam Novi Fœderis scriptores divina nobis reliquerunt Eloquia. Illud ut credam induci vix possum, quamdiu inveteratum illud Sophorum hujus gentis odium erga omne id, quod quacunque ratione Gentilismum sapit,

pit, considero; præsertim cum hæc Philosophia Judaica cum libris divinarum scripturarum quoad tractandi modum multò magis conveniat, quam Paganica nostra; & per se obscuritate sua profundissimam ubique reportet venerationem; concordique sua methodo, ab omni distractione in Sectarum periculosa discrimina, cui hæc nostra jam à primis suis succubuit initiis, quam maximè sit aliena. Hoc verò si futurum est, non immerito tandem aliquando ad felicioris illius ævi primordia præparandos nos esse judicavi. Tertiò, quotiescunque detestandam illam Ecclesiarum discordiam dolui, cujus mala potissimum ab ista dissensionum seminatrice Philosophiâ nostrâ Gentili exorta esse, facillimè demonstrari posset; viam quoque mediantibus his studiis inveniri posse quandoque censui ad concordiam Christianam in distractas reducendam Ecclesias; si frequentius illa admitterentur, meliusque innotescerent. Interim Zeteticè potius hactenus quam theticè omnia tractavi; ut historia saltem opinionum atque hypotheseon antiquarum luculentius mihi patescceret: illaque perspectâ tandem omnia probare, quodque bonum foret, tenere possem; à præcoci judicio, præconceptarumque opinionum pernicioso glauco-mate quàm enixissimè cavens; cumque timore potius atque tremore tam divinis ubique disquisitionibus invigilans, quàm cum convicio, peregrina hæc ridens; quippe quæ cum magis nobis facta sunt familiaria, suâ etiam alicubi non carere dulcedine sensi.

§. 5. Quod autem in Scriptis Judæorum Cabbalisticis me inventurum sperem, si quid superest Antiquæ Philosophiæ Barbarico-Judaicæ, ista sunt quæ me moverunt: primò, quod omnino adhuc supersint fragmenta quædam satis Antiqua, scriptorum Talmude priorum, vel coævorum, qualia sunt Liber Sohar, & quæ in eo continentur, Liber Bahir, Raia Mehimna, Sithre Thorah, Midrasch haneelam, Tosiphthoth, Siphra de Zeniutha, Idra Rabba, Idra Suta, Hechaloth, item Zohar Chadasch, Tikkunim

 Jesche-

Jeschenim, & Tikkunim Chadaschim, &c. quæ cum materiis Theologicis ubique sint plenissima, dialecti tamen proprietate, styli Majestate, & obscuritate, ænigmatum & allegoriarum multitudine, orationum dispositione aliisque characteribus antiquitatem suam satis superque produnt, nemine quasi contradicente; Atque ista quidem ob insignem obscuritatem a Christianis hactenus ferè fuerunt neglecta; imò à Judæis ipsis veneratione potius quam studiis exculta, & pro summo studiorum suorum apice habita. Cum quibus silegantur Scripta R. Mosis Corduera, & R. Isaac Lorja, illa quidem typis expressa, hæc verò MSS. multo pretio conquirenda, quæ illis vicem Commentariorum præbent; tum sanè Sphyngi illi aliquo modo invenitur Oedipus; unde spes mihi non usque adeo nulla, fieri posse, ut ad desideratum tandem hâc viâ quis pervenire queat scopum. Secundò, haud parum moverunt me illa quæ Autoribus Joanne Reuchlino, Joanne Carolo Saraceno, Pico Mirandulano, Archangelo Burgonovensi, Paulo Riccio, collectoreque horum Joanne Pistorio Nidano, deinde Josepho Voisinio, Rittangelio Postello aliisque ante hac jam Lingua latina prodita sunt istorum studiorum specimina vel fragmenta potius; è quibus cum aliqui genuinæ Antiquitatis mihi affulgere viderentur radii, nihil magis in votis habui, quam ut dissipatis omnibus obstantium impedimentorum nubilis Sole ipso atque Luce ejusdem clariore frui mihi liceret; quam aspicere posse vix speravi, nisi ipsorum vestigiis insistens rivulorum horum ductu ipsam persequerer scaturiginem; quam in antiquioribus illis Libris me inventurum adhuc opinor.

§. 6. Objectionibus autem supra memoratis ita satisfieri putavi, si considerem, primò ab Aliis quidem tentatum aliquid esse in isto studiorum genere, nihil autem penitus inveniri absolutum; prout legenti atque conferenti cuilibet, evadet manifestum. Et sane promisit Rittangelius se daturum operam ut Theologiam Judaicam plenè erueret, orbique Christiano communicaret; sed id præstitum ab ipso esse, hactenus non patuit. Incu-

Incubuit in id quoque Gentius, conquisitis in ipso Oriente libris non exigui pretii; sed nec ab ipso hactenus aliquid editum est. Quæ verò à Voisinio extant pauca sunt. Et profectò cum MSS. R. Isaaci Loriensis è Syria nondum omnino sint Germaniæ communicata, & volumina quæ penes nos habentur paucorum terantur manibus; in illis tamen quasi solis quicquid ænigmaticum est in Zohare, paulo proponatur apertius; fieri vix potuit hactenus, ut hypothesis enuclearetur integra. Unde si dicendum esset messem istorum laborum jam contigisse; spicilegium sanè adhuc superest longè uberrimum. Quod autem assensum pleraque istorum dogmatum non mereantur, à Viro cordato asseri vix poterit, antequam perspecta sit tota Hypothesis: qua in re Jure Consultorum illud axioma meritò sibi locum vendicat, quod incivile esse asserit, non inspecta tota lege, de aliqua ejus particula judicare. Nec obstare poterunt Libri variarum Ecclesiarum Symbolici, quo minus istarum antiquitatum diligentior fiat indagatio; quippe qui intra Cancellos Facultatis suæ Theologicæ consistentes, ad Antiquitatis Philosophicæ historicam inquisitionem sese non extendunt: Unde forte & in Scholis atque Academiis distinctâ Professione utraque hæc studia haud incommode simul propagari possent. Atque utinam pluribus in locis ea Doctioribus concederetur opinandi Latitudo, quam quidam in Anglia vestra obtinuisse dicuntur; ut sicut Platonica Philosophia illis in locis majores exinde habuit progressus quam alibi, sic & Antiquitatibus aliis sua in posterum ne offuscetur dignitas. Scripturæ sacræ vero sufficientia ulterius non objicietur consideranti, quod cæteroquin eadem objectio officere posset & aliis scriptis Theologicis in genere omnibus: quare enim hæc in lucem prodeunt tanto numero, si scriptura sola sufficit? nempe ut explicatius & ordinatius dicatur, quod succinctè ibidem atque generatim & occasionaliter propositum est. Quod fortè beneficio Philosophiæ hujus Barbari-

cæ, à qua Scriptores sacri omnes haud ita fuerunt alieni atque à Gentili nostrate, longe melius aliquando fieri poterit.

§. 7. Quæ autem porrò scriptis Judaicis opponuntur, suo certè non carent pondere: nec abs re est in Philosophia Pythagorica atque Platonica multa occurrere Philosophiæ hujus Barbaricæ vestigia: quæ à Te, in Conjectura Cabbalistica quam felicissimè detecta esse sæpè gavisus sum. Videtur tamen inter utrumque scriptorum genus id esse discriminis, quod Antiquissima illa Judæorum Tradita quæ istius Philosophiæ, quam quærimus, fons sunt atque scaturigo per Doctores suæ gentis ad nos defluxisse videantur tanquam per contectos atque inclusos undique aquæductus atque canales: cum è contrario Pythagoræorum atque Platonicorum Scripta rivulorum habeant rationem publicorum, easdem quidem simul aquas ad nos devehentium, sed aliis subinde rivulis profanarum atque Paganicarum opinionum insigniter adauctorum; suoque simul cœno, discipulorum potissimum vitio, non carentium, quo desiderata veri limpiditas mirum in modum defœdatur. Nec obstat, suspicionem esse corruptionis è Philosophia Aristotelica; duorum enim sunt generum Judæorum Magistri, ævi quoque periodis & locorum varietate, nec non studiorum gradibus satis invicem discreti. Nam qui vastationi Urbis fuerunt propriores, quique in Terra Sancta suas habuere Scholas, & ad Cabbalisticorum dogmatum culmen ascendunt, puriores sunt; & à pollutionis Græcanicæ suspicione liberiores. Postquam autem Saracenorum tempore Aristotelis Philosophia Arabica lingua tradi cœpta est Judæorum quidam ejusdem linguæ periti & inter eos quam maximè R. Moses Maymonides, hæc amplexi sunt studia, unde Maymonides à multis gentis suæ Doctoribus diu habitus est pro hæretico; librique ejus, (quamvis illum quidam Christianorum appellent, primum inter Judæos, qui delirare desierit,) diu inter ipsos fuere controversi, prout notorium est ex Appendice Epistolarum Buxtorffianarum, Epist. 5. 6. 7. & potissimum 10. 13. 17.

13. 17. Ab istis temporibus multi alii Occidentales, præsertim qui sublimitate Cabbalisticâ neglectâ solius Talmudis studiis fuere contenti, Peripatetica dogmata scriptis suis hinc inde, immiscuerunt, quod postremis hisce temporibus Germani quidam, etiam Cabbalam tradituri, sunt ausi, inter quos potissimum est Autor Libri Schepha-Tal, Maymonidæ amore deceptus sed à genuinis Cabbalistis orientalibus nequaquam hoc in puncto receptus. Ex quibus omnibus apparet, vestigia Paganicæ hujus Philosophiæ in modernis Judæorum Scriptis non adeò esse contecta, quin accuratius intuenti primo quasi intuitu patescant: antiquioribus Traditis propriâ interim luce semper coruscantibus.

Et quamvis multa horum externo quodam cortice variarum absurditatum videantur obtecta; sanæque rationis Examina rigorosiora omninò fugere: effracta tamen, gustatoque nucleo longè aliter sublimioribus sese offerunt animis; satisque atque insuper ostendunt, Theologos antiquos, ad arcendos saltem profaniores, tot usos undiquaque velaminibus; prout istud jam dudum ab aliis latiùs est demonstratum.

§. 8. His itaque breviter præmissis, nec causæ planè desperatæ videar patronus esse, ad ipsas jam considerationes in Introductionem Lorienſem me accingo; non profecto, contendendi animo, nec conviciandi; sed ponderandi saltem quæ trutinæ imposita sunt, citra causæ decisionem; ut penes alios commodius esse queat judicium.

In Caput I.

Consideratio prima.

I.

Hic ponitur: Minus accuratè dici: Mundum propterea creatum, ut Deus esset perfectus, in actum deductis potentiis suis. Ubi considerandum; An hic non posset reponi: 1. Perfectum aliquid

aliquid dici vel propriè atque intrinsecè perfectione transcendentali: vel impropriè & per externam denominationem? ut fons actu ebulliens: architectus actu ædificans; sol actu splendens. Christus in statu futuræ consummationis.&c.

2. An stylus linguarum orientalium commodè possit examinari juxta ἀκρίβειαν Philosophiæ Scholasticæ?

3. Cum ex asserto Judaico fluat, Mundum conditum necessitate quadam: annon hæc esse posset ratio quare Pythagoræi Decadem seu mundum appellarint κόσμον: & quare Plotinus asserat: mundum esse necessariam Emanationem à Deo? Ennead. 5. lib. 9, c. 12. En. 3. l. 2. c. 3. En. 1. l. 8. c. 9. Confer. Append. Tua ad Apologiam Cabbalæ Philosoph. p. 138. 139.

4. Annon si emanatio statuatur Deo coæterna, illud momentum quo Deus argui posset dicendus esse imperfectus, cessaret?

II. Dicitur: mirè paradoxum esse, Deo tribuere nomina ante Creationem; cum nemo tunc ipsum appellare potuerit. Hic considerandum:

1. Annon Deus, prout se ipsum potuit cognoscere, ita & se ipsum nominare potuerit?

2. Annon sint ideæ tam nominum, quam rerum in Deo?

In Caput I.

Consideratio secunda.

I.

QUæritur: annon Adam Kadmon sit λόγος seu secunda Persona Divinitatis? Respondeo. Ex ista Hypothesi, nisi fiat insignis notionum Confusio, id non posse deduci. Cum nempe juxta Scripturæ verba in divinis omnino retinenda sit appellatio Filii; hæc sanè, si Judæorum vulgo reddi debet tolerabilis, nulli personarum Judaicarum applicari poterit, quam ni Seir

Seir Anpin, qui secundum generalem Numerationum conceptum reperitur in Tiphereth, & à Cabbalistis propriè atque constanter Filius appellatur; etiam primogenitus sex comprehendens Numerationes à Gedulah usque ad Jesod. Pater vero secundum istam hypothesin est Chochmah, cui Binah ad integritatem personæ Androgynæ constituendam annexa est. Claudit que decadem non minus quam triadem Spiritus Sanctus, seu Malchuth. Appositè omnia ad Sensum Cabbalisticum. Corona summa verò explicitè in personarum computum non venit, sed Sapientiæ involvitur. Atque sic Christus in compendium redigisse videtur totam Cabbalam, discipulis suis in pietatis potissimum praxi exercendis, sufficientissimum. Cui usui autem inserviat hæc Adami primi notio, longè à Microprosopo distincta, quamvis eodem prænomine, quod sæpe fit, insignita alio loco disquiri poterit.

II. Incongruum esse dicitur, tribuere Adamo primo temporale quoddam initium. Ubi Considerandum:

(1.) Annon distingui possit inter notionem temporis, è motu & gyratione corporum cœlestium exorti, cujus initium cum effluxu & efformatione materiæ fuit: & inter notionem temporis eminenter ita dicti, purgato nimirum termino ab omni imperfectione, quod applicari posset omnibus antecedaneis æonibus secundum magis & minus.

(2.) Utrum absolutè repugnet purgatissimæ rationi, alicui divinorum modorum qualecunque tribui initium? Cum primò immensæ illæ æternitatis periodi ab humanâ mente neutiquam possint ordinari; deinde in sacris literis quoque expressè id non negetur: imò tertio principium efficiens modis illis omnibus, ambabus manibus concedatur: quartò in Antiquatibus Cabbalisticis tale quid sæpé innuatur. Quinto Logos à Philone saltem dicatur primogenitus, non simul existens.

(3.) An non natura divinitatis (quia à creatura comprehendi nequit) obvoluta ineffabili existentiæ suæ veritate, variis per

per continuatam œconomiam sese exhibeat repræsentationibus quibus suo modo competere queat initium? & annon inter illas referendi quoque sint hi gradus Cabbalistici, non denegata illis interea æternitate sensu scripturæ atque Judaico accepta?

(4.) Annon descriptio succedentium sibi hoc modo emanationum, prioritatem & posteritatem ordinis saltem involvere posset, non temporis, donec deveniatur ad mundum creationis.

(5.) Huc videntur referri posse, quæ adducit Rittangelius ad Libr. Jezirah. p. 76. ex R. Sehabthi: Vidimus, inquit, necessarium esse in hoc Capite explicare mysterium unum ex mysteriis sapientiæ, quæ concernit modum Emanationis Numerationum, & est illud. Ecce hæc est summa omnium, quæ explicavimus in Capitibus præcedentibus in negotio Innovatorum & Veterum, quòd 10. Numerationes emanarint & non creatæ aut innovatæ sint; sicuti innovatum est corpus primi Hominis. Et ecce adhuc erit hic adversario oris dilatatio ad disceptandum & dicendum: Si ita? Emanatio earum est ipsa innovatio earum, quia fuit tempus aliquod, antequam emanarint; & in illo ipso tempore non fuerint in existentia: postquam vero emanarunt, tum demum extiterunt. Ergo fuit tempus, &c.

III. Absurdè dici asseritur: Deum aliquando fuisse ἐκτὸς τοῦ λόγου: Ubi considerandum:

(1.) Annon distingui possit inter τοῦ λόγου Existentiam, atque ejusdem repræsentationem?

(2.) Annon lusus sit in termino τοῦ λόγου, nunc nudum attributum, nunc alterum τοῦ λόγου suppositum denotante?

IV. Incompetibile dicitur æterno Dei filio, principium habere & finem. Hic considerandum:

(1.) Sermonem esse de Ubietate non de duratione.

(2.) Annon exinde explicari queat locus Joh. 14, 28. Pater major me est?

(3.) Quid

(3.) Quid sit absurdi, si dicatur Filium Dei alicubi non repræsentari?

V. Distributio Adami primi in membra, crassa dicitur imaginatio. Ubi considerandum:

(1.) Hæc omnia spiritualiter intelligi; quod ut appareat non fuisse insolitum Antiquis, apposui hic latinitate donatum librum, qui dicitur Idra Rabba; quique etiam compendium est rerum Cabbalisticarum, sed antiquum.

(2.) Sic & Scripturam S. sæpissime loqui.

(3.) Hunc esse morem philosophandi penes orientales; prout & in Hermete Trismegisto videre est.

(4.) Ordine membrorum non nisi ordinatas divinorum nominum atque attributorum classes effigurari.

(5.) Huc pertinere quod dicit Dionysius Areopag. Hierarch. cœl. c. 1. Ἐπεὶ μηδὲ δυνατὸν ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς τινι, πρὸς τὸν ἄϋλον ἐκείνου ἀναπέμπειν τῶν ἀγγελικῶν ἱεραρχιῶν μέλοντός τε τὸ θεμιτὸν, εἰ μὴ τῇ κατ' ἀνθρώπινον ὑλώδους χρεωγραφίᾳ χρήσασθαι, &c. vide & c. 2. ib. p. 1.

VI. Olam Hannikuddim comparatur cum Spiritu Naturæ. Ubi considerandum:

Non descendi hoc loco ad ima hæc, quæ ad mundum Factionis, sed de summis adeoque iis quæ ad mundum Tohu, seu abolitum pertinent, sermonem esse: de quo plurima in Libro Emek Hammelech, seu Vallis Regia, cujus aliquot tractatus latinitate donatos his apposui.

VII. Quæritur quid sint mundi 4. Emanationis, Creationis, Formationis, & Factionis; & quomodo differant?

Hæc explicabo verbis R. Moscheh Kordueri, qui ita habet: Sect. 16. Pard. c. 1. f. 92. a. אצילות Emanationis significatio desumta est ex illis verbis: Num. 11, 17. ואצלתי מן הרוח & separabo de Spiritu, qui super te. Sensus autem est, rem ita se habere, ut virtus Emanativi in emanato sit, nec tamen Emanativum ullum patiatur defectum, sicut cum quis lucernam ab alia accendit, non tamen deficiente prima. Sic in infinito, defectus nullus

 est

est post factam Emanationem, prout nec superfluitas sive ante sive post eam; Nam vis illius in hoc protenditur. Alludit autem vox Aziluth ad vocem אצל, quæ denotat rem propinquam; denotaturque quam proxima adhæsio radicum cum Causa sua, Jamque adeò Sephiroth quæ quàm proximè assunt scaturigini causæque suæ, nominantur Decem Numerationes Aziluthicæ seu Emanationis. Unde omnia valdè tenuia, (quæ tamen propè causam suam constituta, aliquantulum incrassescunt) de nomine Aziluth participant: quare & Prophetia LXX. Seniorum ita agnominatur, quod omnes Spiritum S. à Mose hauirent, ipsique quam proximi essent, sicut propinqua admodum sunt splendor Lunæ, lumenque solis matutini, donec tandem existant unum.

בריאה Creatio convenit cum illo Num. 16. 30. Et si creationem creaverit Dominus &c. Sensusque est, talem esse rei essentiam, ut manifestior sit quam Aziluth; (incrassescendo quasi:) hæc autem incrassatio rerum fieri nequit, nisi per amotionem & separationem à tenuitate &(subtilissimâ) spiritualitate: Cum ergò negotium devenit ad statum creationis, necessum est, ut separentur & amoveantur Essentiæ à causâ causarum penitus occulta, & omni crassitudine vacuâ. Et quamvis Essentiæ (per quas intelligit Animas humanas:) non participent de crassitie corporea, quod absit! nihilominus remotiores sunt à definitionibus divinitatis; suntque naturæ separatæ & affirmationi subjectæ & alterabiles atque terminatæ: unde necessariò amotæ atque separatæ fuerunt à radice. Vel denominantur à Briah ex significatione בְּרָא cum Pathach, quod significat Extra, foris: ex significatione Præscindendi, ut denotetur rem separatam esse à scaturigine sua, quamvis non omninò sint separatæ quod absit!

יצירה *Formatio* convenit cum illo Jes. 26, 3. יצר סמוך תצור שלום Figmento fulto custodies pacem. Tale quid enim adhuc crassius est, & manifestius quam Briah, sicut & dicitur: Gen. 2, 7. Formavit Dominus Deus hominem pulverem de terra; ubi de pulvere adhibet vocem formandi: Sic quoque: Jes. 43, 21. Populum istum formavi mihi: Sensusque majorem ubique crassitudinem indicat.

עשיה Factio, rem denotat adhuc manifestiorem tribus prioribus, nomenque per se clarum est: vox faciendi enim crassitiem rerum designat insignem.

Ratio autem quod eo ordine hæc tria ponantur, involvitur illi dicto: Jes. 43, 7. Omnis qui vocatur in nomine meo & ad gloriam meam, creavi eum, formavi eum, etiam feci eum.

Nominibus ita præfatione hac expositis, nunc quoque de re ipsa dispiciamus; deque illius essentia.

Res ergò ita se habet: quod Sephiroth, quoad substantiam suam cum primæ sint, quam proximæ sint Causæ causarum; sintque Emanatio tenuis, quæ occulta fuit in scaturigine sua; cum verò beneplacuisset ipsi manifestata est; unde unitæ sunt cum radice sua quam perfectissima unitate. Istæ ergò insigniuntur nomine Aziluth. Post puram hanc sanctamque Emanationem placuit Benedicto, secundam creare Essentiam respectu Aziluth; quæ est Briah: Et hæc dicitur Thronus gloriæ; (Mundus Animarum) ubi etiam decem Sephiroth inveniuntur; cujus rei hæc est ratio, quod omnia quæcunque sub decem Numerationibus constituta sunt, graduatim per decades enarrentur, prout Sephiroth ipsæ. Decem autem hæc quæ in Briah sunt, Thronus sunt atque vestis Decadi Aziluthicæ, quæ decade hac Briahticâ vestitur. Ipsæ autem ramositates emanantes è decem Sephiroth (Superioribus) atque resplendentes intra Thronum hunc, deinde Sephiroth Briahticæ vocantur. Nolim autem sic intelligi, quasi dicam, Ipsam Briam, quæ Thronus est (Animarum scilicet tota species,) esse decem Sephiroth Briathicas, id enim non volo; sed decem illos ramos Sephirothicos in Briam propagatos, illamque collustrantes decem Sephiroth Briathicas esse affero; quæ tamen reipsa nihil sunt aliud quam decem Sphiroth Aziluthicæ: cum autem protensæ sint in Briam usque,

usque, quæ Thronus est, hinc est quod Briathicarum nomen habeant.

Post Thronum hunc formavit decem Turmas Angelorum, quæ insigniuntur Nomine Metatronis, quoniam Metatron Angelus Princeps faciei (divinæ spectator continuus) ipsarum est Præfectus, singulis panem distribuens constitutum, influentiamque suam atque vitam, ita ut omnes ab ipso sua hauriant. Iste igitur inter Angelos est instar Cordis in corpore, quod sedes est vitæ, unde vitam suam omnia hauriunt membra. Hinc Metatron generale nomen factum est totius generis Angelici. Atque iste est qui vocatur Mundus Formationis. Rami autem protensi à decem gradibus Briathicis, de quibus supra, & in hoc refulgent, eoque vestiuntur; decemque Ejus gradus vestimenti vicem illis præstant, appellanturque decem Sephiroth Jezirathicæ.

Post istam Jeziram adhuc fecit Asiam, id est omnes res factas ab initio puncti Factionis; usque ad punctum Abyssi, in quo comprehenduntur Klippoth, seu Cortices maligni. Totum autem hoc vocatur Asiah. Et quia Lux occulta à Mundo Jezirathico atque Angelico profluens, protenditur in Mundum Asiathicum usque, hinc isti decem Corticum nomine insigniuntur, nec quicquam in istis est, nisi virtute rerum Sanctarum; Quod autem Sanctitas in istos quoque descendat hæc est ratio, ut scilicet deprimantur, & humilientur. Illa autem vocatur nomine decem Sephiroth Asiathicarum. Ubi non dico, Asiam esse decem Sephiroth Asiathicas, sicut nec Jeziram decem Sephiroth Jezirathicas, nec Briam decem Sephiroth Briathicas, nec Aziluth similiter appellari, alias enim quadraginta existuræ essent Numerationes; cum tamen in Libro Jezirah dicatur; decem esse & non novem; decem & non undecim. Sed id volo, substantiam Briæ esse Thronum, & Jeziræ, esse Angelos, Asiæ autem Corticem esse & quicquid sub isto est in cœlis & Planetarum gyris: Lucem autem quæ protenditur è substantia Sephiro-

Sephirotharum pro modo ipsarum, ut provideatur superis atque inferis; (lux earum etenim extenditur à summitate mundorum usque ad punctum ultimum:) sic explico: Splendor lucis earum protensus in Briam decem Numerationum Briathicarum, in Jeziram Jezirathicarum, in Asiam, Asiathicarum appellatur: Semper enim radii à Luce suprema protensâ proveniunt; & illi sunt ipsæ Numerationes; nec dubium est, quin in Briah, Jezirah, & Asiah virtus illarum decem existat; & Decas Aziluthica per Briathicas intermedias in Jezira & Briathicæ per Jezirathicas in Asiâ, vestiantur. Unde discimus decem Asiathicas non existere nisi per tres gradus superiores Emanationis, Creationis & Formationis, nec decem Jezirathicos nisi per duos gradus Emanationis scilicet & Creationis, nec decem Briathicas nisi per gradus Emanationis. Hæc ille.

Idem ib. cap. 2. Ipse (scilicet Æn-Soph) est vita earum (scilicet Numerationum,) & ipse substantia earum, quod ita non est in Briah, multò minus in Jezirah; Lux etenim protensa & Briah non sunt unum; nec vita Lucis protensæ & Briah ipsa unum sunt; nullibi enim vera est ipsorum unitas nisi supra in Numerationibus Aziluthicis; & hæc est virtus Emanativi in emanato, quod illa ipsa sit extensa in vasis sine separatione ulla ne momentanea quidem; Sed in Briah Jezirah & Asiah unitas est partium. Jam verò ad Regem unum cum Emanantibus à se cultus noster & oratio nostra, & benedictiones nostræ, & laus nostra, & observatio præceptorum nostrorum, & studium in lege nostra, & unio nostra, & psalmi nostri, ad ipsum, ad ipsum inquam revera, tendunt, & non ad modos ejus, nisi quatenus substantiæ ejus inhærescunt, & quidem ut capere eum possit oratio nostra, & ut ipse possit terminari Nominibus & vocabulis & sermonibus: Infinitum enim in propria notione non est terminabile ullo Nomine nec cognominari potest vel cognomine vel Nomine, ullo: sed beneficio modorum ejus emanantium, possumus ipsum cognominare, nominibus pro natura singu-

singulorum nominum singulis Numerationibus tributorum. Omnia autem Nomina sacra & omnia cognomina eorum, & Tetragrammaton & Plenitudines ejus, omnia inquam substantiam ejus respiciunt mediantibus Numerationibus ejus emanantibus. Sed in Briah, Jezirah, & Asiah, non est nomen ullum è nominibus Tetragrammati & plenitudinibus ejus, nec Nomen ex Nominibus reliquis, quod non expungatur nec cognomen ullum è Cognominibus Benedicti, nec ista attribuuntur his: In his enim nulla est potentia nec vis; Tantummodo in extenso in media Briah lumine cognominatio quædam fit, &c.

VIII. Solutio Problematis, Quare mundus hic non citius nec tardiùs sit conditus? per Successionem Emanationum, refutatur. Ubi considerandum:

Annon Problema possit intelligi de momento Creationis supposito prius qualicunque initio Emanationum: aliud enim foret, si interrogaretur: quare hoc momento cæperint Emanationes primordiales & non antea &c. & aliud, si quæstio hæc sit: Postquam semel instituit Emanationes suas Deus; quare æon hujus mundi corporei isto momento cœperit, & non prius &c.

In Caput II.

Consideratio prima.

I.

MOdi Emanationum Rectilineus & Circularis crassi dicuntur; quasi illæ forent corpora. Ubi perpendendum:

Annon, si extensio statuipotest generale attributum omnis substantiæ, De immortat. animæ l. 1. c. 2. §. 11. 12. etiamextensionis modi, inter quos sunt rectilineum & curvilineum, omni substantiæ possint attribui, modo termini in sua sumantur Eminentia, ab imperfectione penitus liberati.

II. Absurdum esse dicitur, statuere, Primum Ens in uno loco emittere sapientiam, in alio non &c. Ubi considerandum:

(1.) An-

(1.) Annon Deus statui possit in quolibet puncto sui esse sapiens implicite; sapientiam manifestam autem creaturis ita distinctè repræsentasse, ut citra confusionem notionum commodè ab illis possit cognosci? videantur quæ supra è Korduero de Aziluth sunt tradita.

(2.) Ad evitandam hanc absurditatem Judæos in Infinitum multiplicare Numerationes, singulas decades in alias distribuendo Decades, & has in decades iterum, & sic in infinitum: ut ne unicum quidem punctum concipi possit in Deo, manifestato, in quo non reperiatur notio quoque sapientiæ &c.

III. Non admittititur Numerationes omnes terminari amplitudine. Ubi considerandum:

Annon, supposito Emanationes in creaturas incipere cum Briah, & Trinitatem Christianam exhaurire totam Decadem Aziluthicam, tam summæ tres, quam septem imæ Sephiroth futuræ sint terminatæ, suo modo? quamvis interminatæ maneant quoad unitatem Essentiæ, cum qua sunt ubique.

IV. Evacuatio infiniti intra se ipsum evertitur, quod Deus non sit corporeus; & quod inde videatur impugnari posse ejus infinitas; unitas &c. Ubi perpendendum:

Evacuationem istam à Judæis ita explicari; non quasi spatium istud Deo plane sit vacuum; sed quod gloriosissima infiniti luminis copia ibi saltem sit diminuta, sicut cum evacuato vitro fragrantis olei pleno non planè tollitur sed saltem diminuitur fragrantia.

Et annon Deus sicut mutavit modum præsentiæ suæ, quaquondam fuit in rubo ardente, in Arca fœderis, in monte Sinai, in loco transfigurationis Christi &c. ita etiam diminuere potuit modum præsentiæ suæ intra hoc vacuum? præsertim cum & nunc alio modo præsens dicatur universo; alio sanctis, alio beatis &c. Et profectò hac hypothesi materia in centrum relegatur angustum, cum contraria hypothesis eandem in circumferentia

rentia Emanationum collocet amplissimam, conceptu sanè difficillimo.

In Caput II.

Consideratio secunda.

I.

INfluxus lineæ lucidæ infringitur per dilemma de orbium luce, utrum primaria sit an secundaria. Ubi considerandum:

(1.) Extremitatem orbis primi statui consistere ex Lumine ambiente orbem hunc, quod suo modo est secundarium; sicut cum intra vitrum noctu detinetur candela, lumen externũ secundarium est. Et propterea tamen non ponitur adhærere concavo infiniti, ut evitetur notionum confusio; in qua profecto nemo nisi valde delicatulus, si cætera stare permittantur, absurditatem inveniet.

(2.) Voluntaria statuitur effiguratio istius Dei influentiæ, atque arbitraria, non mechanicè necessaria, unde ipse sic potuit limites sibi statuere, prout commodum judicavit bonitas ejus rebus productis. Nec absurdum est Emanationes istas quam diu durat Aziluth, etiam per cæteros mundos continuata Deum esse ipsum; cum absurdum quoque foret Filium atque Spiritum Sanctum in Triade Christiana, esse Deum; Essentia enim Dei his characteribus, qui à nobis hypostatici dicuntur, ita sese definivit; ut sese tamen non excluserit.

II. Incredibile dicitur radios secundarios lineares illuminare orbes, cum Concavum infiniti id melius præstare possit. Ubi considerandum:

Annon Deus libere possit inhibere influentiam luminis sui ubicunque & quandocunque velit; sicut in Christo factum, in quo tota plenitudo divinitatis habitabat: & œconomias communicationum suarum pro suo distribuat arbitrio? Unde si sic

sic voluisset pro commoditate rerum productarum, quid absurdi?

III. Ridetur, Deum dici factum orbes. Ubi considerandum:

An magis risu dignum sit hoc, quàm quòd sit Pater & Filius & Spiritus egrediens; item quòd sese repræsentaverit ut homo, ut ignis, ut fumus, ut lux, &c. in gratiam contemplaturorum omnia.

In Caput II.

Consideratio tertia.

I.

QUæritur, annon conceptus τῶν Sephiroth generatus sit ex hypothesi Sphærarum Aristotelicarum, movente suspicionem vocum sono & rerum ordine. Respondeo. Cum circulorum hypothesis in Zohar inveniatur, qui conscriptus esse judicandus est illis temporibus, cum in Judæa scholæ Judaicæ adhuc essent celeberrimæ; Paganicâ quacunque Philosophia, quam olim tantopere abhorruerũt, vix cognita inter ipsos tunc temporis, nedum admissa; non ausim affirmare quæstionem. Quod autem Recentiorum plerique Astronomiam suam, cui olim studere ipsis non licuit, ex principiis Peripateticis consarcinavere, antiquioribus non præjudicat; & decas Numerationum Asiathica non Sphæras denotat materiales, sed radios divinitatis illuc transmissos, ordineque denarii contemplandos.

II. Rationem dari non posse dicitur; quare prima Numeratio appelletur Kether, cum infinitate careat tam durationis quam amplitudinis ratione. Hic notandum:

Primam Numerationem Coronam dici, (1.) propter summitatem, & quod sicut corona super caput, ita corona super Numerationes reliquas emineat: (2.) Propter excellentiam & splen-

splendorem, quem numerationibus conciliat, sicut corolla homini: (3.) Propter non adhærentiam; sicut enim corona quamvis capiti sit imposita, ad caput tamen non pertinere videtur: ita Kether, quamvis Numerationibus immineat, ad Numerationes tamen à quibusdam non computatur ob abstrusissimam naturam; substitutâ in locû ejus ad complendum denarium loco debitô Daath. Quod autem ad denotandam infinitatem ita denominetur penes Judæos non inveni.

III. Durum esse dicitur, Coronam statui sapientiâ carentem, hâc scilicet ad secundum Orbem relegata, &c. Hic observandum:

Numerationes nullibi statui sociarum suarum participatione vacuas; sed Coronæ v. g. decadem suam tribui specialem, ut de specialissimis his nihil dicam: Unde & in Corona, ubique Sapientia reperitur, & ita porro.

IV. Admitti posse tres primas numerationes correspondere cum Triade Christianorum & Platonicorum. Ubi notandum:

Me ad convincendos & convertendos Judæos plures invenire analogias inter secundam (inclusis prima & tertia) sextam, (inclusis quarta, quinta, septima, octava, nona, pro more Cabbalistarum) & decimam Numerationem cum allegata Triade, quæ alio tempore evolvi possunt, quam trium superiorum.

V. Septem inferiores esse classes Metaphysicas ut Numeri Pythagorici sunt. Ubi dico:

Suo modo id simul de omnibus dici posse: ita tamen, ut sicut Numeri certa ratione per se sunt aliquid, & deinde multa admittunt cognomina Pythagorica; & sicut Dii gentilium habebantur pro re quadam, & deinceps sub illorum Nomina tanquam classes quasdam Physicas, Ethicas, Politicas, multa referebantur: ita & Numerationes statuantur esse aliquid, nempe effluxus divinos, variis repræsentationum modis gradibusque limitatos, variisque nominibus, distinctioris cognitionis gratiâ discretos, unam tamen si simul sumantur cum Infinito Dei essentiam constituentes:

His positis admitti poterit, quod pro Locis communibus simul adhibitæ fuerint à Theologis ad varietatem divinorum Nominum diversasque de divinis attributis allegorias, analogias, & parallela alia certo ordine distribuenda atque locanda.

In Caput II.
Consideratio quarta.

I.

VAnissimam esse multiplicationem illam decadum. Ubi notandum:

Observasse me id fieri ad denotandum (1.) Istos modos indefinitos esse, & ab humani mentis speculatione non posse terminari; unde augusta quædam ipsis accedit majestas, atque veneratio; sicut si quis dicat singulos vortices suas habere stellas fixas, singulas stellas fixas suos planetas primarios, quosdam horum suos secundarios, singulos horum suos habitatores: vel potius sicut, si quis totam illam altitudinem quo Saturnus à Terra distat in tot distribuat terræ semidiametros istasq; in tot milliaria, & hæc in tot gradus, istos verò in tot minuta, prima, secunda, tertia, &c. quæ tandem ad admirationem commovent animum. (2.) Ad denotandam omnium modorum substantialium cum ipso Infinito conformitatem, in attributis, in communicatione & propagatione sui, cæterisque omnibus, exceptis præsentiæ modis: (3.) Ad denotandam modorum inter se participationem, veramque non attenta nominum graduumque multitudine, unitatem. (4.) Ut denotetur Deum ubique esse eundem, omniaque ejus attributa ubique ipsi debere tribui, variata licet œconomiæ suæ manifestatione.

II. Quod Orbibus tribuantur Epicycli homocentrici, & cætera ratione concinnitate, atque ædificatione carere. Ubi notandum:

(1.) Epicyclorum notionem, quippe qui Eccentrici sunt,

in hac Hypothesi, in qua homocentrica omnia, non inveniri, excepto canali cylindraceo, qui tamen & ipse, uno saltem axe constat.

(2.) Ædificatione non carere ista, si ab animo purgato tractentur, præeunte Paulo 2.Cor.4,6. Gal. 4, 24. sqq. 2. Cor. 3,18. Eph. 4,13. c. 5,32. Et crediderim hanc esse aliquam divitiarum illarum cognitionis partem, de qua 1.Cor.1,5. Eph. 1,8.17. Phil. 1,9. Col. 1.10. c. 3,16. occultæque Sapientiæ Dei, in quantum mysterium de Christo illustrant, de qua 1. Cor.2,7.

In Caput II.

Consideratio quinta.

I.

COnceptum Adami primi in sua membra divisi ratione carere. Ubi observanda, quæ supra In cap. I. Consider. 2. assert. V.

II. Intolerabilem esse extravagantiam ad Adamum hunc primum accommodare locum Gen.1,26. Ubi consid.

(1.) Hunc modum accommodandi usitatissimum esse Cabbalistis.

(2.) Observari etiam in allegationibus Novi Testamenti, Matth.1,23. ubi litera Prophetæ Jes.7,14. procul dubio puerum sui temporis designat, ut ℣.16. ib. videre est. Matth.2, 15.17. Quæ cum similibus à Judæorum vulgo non ampliusita poterunt exagitari; si ipsis antiqua hæc accommodandi apud Cabbalistas consuetudo, opponatur.

(3.) Si quis ad probandam vel illustrandam hypothesin Pythagoræam de motu terræ alleget Gen.1,16.19. quis modus allegandi ille foret?

(4.) Annon hic usui esse queant, quæ traduntur Mystery of Godlin. l.7.c.7.n.3.4.

In Caput II.

Consideratio sexta.

I.

VIderi per punctum vacui medium intelligi terram, unde augeatur suspicio de hypothesi Aristotelica huc illata. Ubi Consider.

(1.) Annon intelligi potiùs debeat totus mundus Factionis, cum omnibus corticibus suis?

(2.) In medio mundi Factionis potiùs locari abyssum magnam seu tenebras Carceris Spirituum, tanquam aliquid à Luce Infiniti quam remotissimum.

II. Quæritur: An in quacunque Decade Epicyclica terra detur? Resp. Epicyclorum notionem hic nullibi admitti: sed homocentrica statui omnia; ut supra dictum. Unde omnis de tot terrarum distantiis disproportionatis & magnitudinibus difficultas cessat.

In Caput III.

Consideratio prima.

I.

QUæritur quid intelligatur per Nephesch, Ruach & Neschamah? Hic adscribam verba R. Mosis Kordueri Pard. Sect.31.c.1. Neschamah seu Forma hominis dividitur in tres partes, quæ sunt Nephesch, Ruach & Neschamah; & Nephesch est vehiculum רוּחַ Ruach, sicut Ruach vehiculum est Neschamæ. Emanatio autem omnium trium est à Sephiroth superioribus, quæ sunt radices omnium radicum. Differunt autem emanatione sua: Nam Neschamah emanat à Binah, ut designatur Jobi 32,8. וְנִשְׁמַת שַׁדַּי תְּבִינֵם Et anima Schadai intelligere faciet eos. Ruach autem emanat à Tiphereth, atque sicut Tiphereth Thronus est & habitaculum Binæ, ita Ruach thronus est & habitaculum Neschamæ. At Nephesch emanat à Malchuth,

chuth, unde Nephesch thronus est & habitaculum τοῦ Ruach, sicut Malchuth sedes atque habitaculum est τοῦ Tiphereth, (quæ confirmantur ex Zohar Parasch. יגש, & Tikkunim) Et ecce virtute Benedicti, tres istæ virtutes, nodo connectuntur firmissimo atque validissimo, pro cujusvis gradu, habentes functiones pro servitio atque opere suo.

Et mox adducit locum ex R. Jehuda Chajit; his verbis? tres formæ proveniunt à 3. gradibus Aziluthicis à quibus influentiam habent τὸ λειχεὰν, τὸ ἀνάστημα, καὶ τὸ φωνεῖν sub arcano τοῦ Nephesch, Ruach & Neschamah. Et cap. 2. dicit: Quod si ita est fieri deberet, ut sublato homine à mundo, omnes tres partes istæ elevarentur ad fontes suos. Verum enim verò res ita se non habet: tradit enim R. Schimeon ben Jochai, habitaculum τοῦ Nephesch esse in sepulchro, τοῦ Ruach in Paradiso inferiore, & Neschamæ in Paradiso superiore.

Et in fin. c. 2. Quod in genere dictum est Neschamah, Ruach & Nephesch esse è Binah, Tiphereth, Malchuth, intelligendum, de Luce Binæ manifestata in Briah, & Luce Tiphereth, manifestata in Jezirah, & Luce Malchuth manifestata in Asiah; quæ dicuntur Thronus, Metatron, & Sandalphon, qui est rota (Ezechielis 1. 15.)

Et init. c. 3. ib. Invenitur autem aliquando Nephesch Asiæ sine Ruach Jeziræ, & sic Ruach Jeziræ sine Neschamah Briæ, quia non omnes dignos se præstant spiritu vel Neschamâ.

Ex his satis apparet hypothesis de differentia trium in homine animarum, quibus raro dicitur accedere Chajah, tanquâ legalis vitalitas, ex Aziluth, & Jechidah, tanquam additamentum singulare ob benefacta, è summis gradibus, innuente Ps. 22, 22. Atque ista sententia de tribus formis in homine distinctis, quæ & inter Christianos Doctores haud adeo est infrequens, non alio magis argumento stabiliri mihi videtur, quam quod à contrarietate actionum animæ simultanearum desumitur, concupiscentia scil. appetitus sensitivi & repugnantia mentis: quarum actionum Accidentia, seu potentiæ nudæ quomodo possunt esse principia? præsertim si suppositorum dicantur Actiones. Istarum Formarum ergò analogiam ad superiora quoque adhiberi, quid mirum? cum corporis similitudines illuc eleventur. Spiritualia autem in superis omnia censeri debent diminutam saltem variis gradibus divinam præsentiam referentia. Et si fortè nimia ubique minimorum adhibita sit cura, quàm facilè per Christum Dominum nostrum instructi, si quid superest, contrahere & ad usum debitum accommodare poterimus?

In Caput III.
Consideratio secunda.

QUæritur: An fortè alludatur ad Spiritum Naturæ per Ruach & Nephesch in superioribus?

℟. Spiritum naturæ sub nomine Sandalphon in Asiah sola commorari. Controversiam autem, utrum rationis iste sit capax, an vitæ saltem sensusque & imaginationis, huc non pertinere arbitror.

In Caput III.
Consideratio tertia.

I.

ABsurdum esse vasa fieri potuisse absente & evacuato Deo; qui res non destruat sed producat. Ubi notandum:

Supra jam dictum non absentem ibi esse Deum, sed diminutioris saltem adessentiæ modo præsentem: autorem tamen & effectorem omnium, quæ extiterunt.

II. Dicere præsentiam Lucis infinitæ destructuram fuisse vasa, idem esse, ac vasa fingere lignea, &c. & Infinitum Igneum. Ubi notandum:

Idem saltem innui ac si dicatur, præsentiam Dei naturalem in arca fœderis, per præsentiam gratiosam esse immutatam; variato scil. modo adessendi.

In Caput IV.

I.

QUæritur: Utrum Adamus primus sit Deus an creatura? ℟. Esse conceptum distinctum Dei quatenus ut causa prima in actu causandi consideratur. Si porrò quæritur: an causa sic in actu constituta sit æterna? ℟. Causam nihilominus æternam manere quamvis actus causandi sit voluntarius.

II. Quomodo hic Adamus primus causa possit esse mundorum, à quibus tam procul abesse dicitur? ℟.

Præsentem ubique esse prorogatione radiorum suorum; uno verbo præsentem revera, quamvis aliis, ob variatum præsentiæ modum, nominibus expressum.

III. Quid ista figmenta possint ad fidem creationis confirmandam?

℟. Ad minimum in ipso creatore primaque causa statim distinctè proponi, quid sit in illo quod amari, quodque metuir debeat: & talia si proponi nequeunt tyronibus ad fidem creationis commovendis; arcere tamen adultos contemplationis assiduitate ab adhæsione cum rebus terrenis, & eorum fortè non parum promovere cum prima causa unionem.

In Caput V.

INspirationes Dei non esse nugatorias & inuitles. Ubi considerandum:

Inspirationes tamen Dei angelos proponere ut aquilas, boves Leones; Deum ut hominem, ignem, nubem, &c. Omnia probanda, quod bonum est, tenendum.

Epistola ad eundem.

REverende plurimum atque Clarissime Domine, Domine honoratissime. Ad Doctiss. Tuas Considerationes Cabbalisticas tam Anglico, quam latino idiomate ad me transmissas, præmissa gratiarum actione debita, amicam dirigere volui responsionem; in qua tamen non quid ego de re ipsa statuam, vel asseram, proposui: suspendere enim malo quantulumcunque judicium meum, quam immaturos exhibere conjecturarum fructus; sed qua potissimum ratione, si stare deberet hypothesis illa, ab absurditatibus liberari posset. Cæterum his imitari me posse mihi videor Cabbalistarum disputationes; qui proposito problemate quodam, singuli suas proponunt sententias citra contentionis fervorem; illibato interim textus Sacri tenore; unde & Tuas eò libentius legi opiniones, (quarum ultimis de effectu Vaticiniorum, descensu animarum, & appellatione divinissimarum beatitudinum prout à Dionysio Areopagita vocantur, totus accedo,) quod ad enucleandam veritatem insigne illas pondus habituras existimem. Si autem in responsione mea pro elimatissimo judicio tuo aliquid inveri poterit, quod tolerabile sit, erit profecto quod gaudeam; optarem enim, multas ob rationes, ut aliqua horum ita retineri possent, ut ne tamen vis inferatur principio animæ nostræ discretivo. Omnia fiebat omnibus Paulus, ut omnes converteret: hic scopus si & nobis fuerit, satisfactum reor charitati quoad hæc. Cætera dirigat, qui omnia gubernat Dominus; cujus gratiæ Te commendatum, cum apprecatione cœlestis adjutorii, ad omnia pro Ecclesia Domini suscepta laudatissima studia Tua, Valere velim, & favere ulterius

Cl. T.

addictissimo semper

Tractatus de Anima R. Moscheh Korduero.

Pardes Tract. 31. Præf.

TRactaturis de Homine, i.e. de forma ejus, quæ est Neschamah ejus & Ruach atque Nephesch ejus, agendum erit de tribus potissimum: nimirum primò de Loco Animæ & quid in hoc mundo agat, & quid prosit ipsi Creatio ejus. Secundò de unione ejus cum corpore materiali, cum ipsa sit naturæ subtilioris & magis spiritualis quam Angeli ministri: tertiò de peccato & pœna & violatione supremarum radicum, deque violatione sui, atque sic de succisione plantarum.

Annotatio ex Eodem; Tractatu de Palatiis 24, cap. 10.

DEclaraturus quare Anima superior sit Angelis, præmitto, res omnes superius in cœlis, & inferiùs in terra, emanasse è loco quodam superiore, unde cavent Pii ne ignominiosum quid dicant, de ulla creaturarum. Res autem ita se habet: Quatuor Elementa superiora sunt hæc: Gedulah elementum Aquæ, Gebhurah elementum ignis, Tiphereth elementum spiritus, Malchuth elementum terræ; ista unita sunt in unitatem verissimam atque firmissimam. Atque per 4. hæc elementa superiora Emanata tenuiora, extiterunt 4. elementa ordine sequentia, nempe post Aziluth, in Briah, in Jezirah & Asiah, succedentia de gradu in gradum, à causa ad causatum, ab Aziluth nempe ad Briam, & ex Briah ad Jeziram, & ex Jezirah ad Asiam.

Et quatuor isti gradus in singulis quoque gradibus ipsis per se inveniuntur, ita ut in Aziluth per se sit אצילות sive Aziluth, Briah, Jezirah, Asiah; quamvis omnia sint Aziluth: sic quoque in ipsa Briah est Abia, cum omnia tamen sint Briah; &

& sic in omnibus gradibus. Quod ut intelligatur, consideretur simile ab aurifice desumtum, qui singulas argenti species in quatuor subdividit genera: quorum primum est Argentum purum omnibus carens scoriis; alterum, argentum est uno gradu purissimo vilius; tertium tale est, cujus medietas scoriæ sunt: quartum, cujus maximam partem scoriæ constituunt. Quæ cum ita facta sunt, fieri tamen nequit, ut argentum purum, nil sit nisi argentum æquale, ab omni scoriarum participatione liberum, sed necessariò & in illo 4. diversæ species invenientur, à gradibus puritatis suæ denominandæ, secundùm proportionē primorum 4. generū; e.g. Argentum purū cui non sit simile, quæ portio minima erit totius massæ, deinde argentum purum quoque, sed non ut primum, cujus puritas nulli amplius competet; sic & tertia portio existet, quod purum similiter dici poterit, nec tamen ut secundum, quartum denique cui tantillum scoriarum immixtum sit, quod æstimari tamen non debeat. Et hac ratione quatuor has portiones & secundò, atque tertiò, dividere poterit; eodemque modo & cæteras. Ita & Abia se habet: Nam Asia Aziluthica, prior est Aziluthe Briathica, & Asia Briathica Jezirathicâ prior est, & Jezirathica, Asiathicâ. Et ex quatuor catenis graduum horum concatenati sunt omnes mundi, ab Aziluth ad Briam, à Briah, ad Hechaloth seu palatia Angelica; ab Hechaloth, ad Klippoth, seu Cortices externos: (Angelos malos) à Klippoth ad substantiam cœlorum, ubi Planetarum orbes, & ab illis ad elementa hæc crassa, & ex iis composita, oculis nostris obversantia. Hinc patet, quod Aziluth radix sit Briæ, & Briah, radix Jeziræ, & Jezirah Asiæ; quodque mundus iste participet contiguitatem corticum, qui sunt Principes, quorum usus impurus est. Septuaginta principes enim non usque adeò puri sunt: Principes autem Jezirathici Angeli sunt; sed septuaginta principes (populorum) intermedii sunt inter orbes Planeticos, & Currus: Throni autem Numerationes participant, sicut istæ, sub-

ſubſtantiam Infiniti, quæ protenditur è vitâ ipſarum. Inde conſequitur, quatuor hæc Elementa eadem quoque eſſe, quæ in cœlis ſunt, ſi iſta ut Sephirothica conſiderantur: Nam Quatuor Elementa Cœlorum eadem ſunt, quæ in Jezirah, & ſic uſque ad ſumma; propter continuatam verò dependentiam incraſſeſcunt, & manifeſtiora fiunt; quod fit ſecundum majorem vel minorem elongationem à Scaturigine ſua.

His poſitis, nihil eſt in mundo cui non affluat è ſupernis influentia & lux quædam, quamvis illa differat pro diverſitate deſcenſus à Poſterioribus, (ſeu Malchuth,) quæ ſunt anteriora reſpectu cæterorum graduum inferiorum. Sic ergò hæc incraſſeſcunt & manifeſtiora atque quaſi corporea fiunt, de gradu in gradum, prout congruit materiæ illi turbidæ; ita ut nihil penitus inveniatur in hoc mundo, in quo non ſit aliquid ſpirituale, & vitale, ſecundum proportionem corporeitatis & materialitatis ſuæ, & pro gradu diſtantiæ ſuæ à fonte & latomia rerum omnium: Et quando craſſa iſta materia ſic elevatur ut propinqua fiat tenuiori ſuæ materiæ, tum allucet ipſi lux aliqua materiæ illius elevatioris. Quemadmodum ſi magna quædam lucerna accenſa ſit in media Baſilica; illa certè ob Baſilicæ magnitudinem non illuſtrabit omnes angulos Baſilicæ, niſi modico ſaltem lumine, ita ut alter alterum ibi videre nequeat: qui verò accedet ad lucernam, majore atque copioſiore luce colluſtrabitur; ita ut ſi proprius ad vaſculum ejus acceſſerit caligare incipiant oculi ejus nimio perſtricti fulgore. Ita & hîc ſeſe res habet.

Et f. 180. b. Homo igitur præter collectionem partium ſuarum Animam habet puram exciſam è loco ſacro. Unde Sapientes noſtri felicis mem. dixerunt: Iiſraëlitæ non ſunt ſub Planeta, vel Angelo, vel Seraph; iſta enim (inferioris gradus) cauſata ſunt; & illorum anima ſuperior eſt angelis, ſicut & in Sohar dicitur, Par. Breſchith p. 120. quod inter Manſiones (Paradiſi inferioris) ſeptima (ſupra omnes Angelorum Manſiones

nes conſtituta,) ſit attributa animabus juſtorum, quæ ibidem delectentur ſplendore ſuperno, deliciisque ſummis. Lux autem quæ iſtis affunditur eſt Lux Domini benedicti, quæ omnes mundos illuſtrat. E contrario verò Angeli aliquid hauriunt influentiæ, à Juſtis; unde ſi quis juſtus eſt in hoc mundo, etiam Angeli bonitatem de manu ejus participant. Et hæc eſt ratio, quod Iiſraëlitæ, vivente adhuc Moſe, influentiam ſuam acceperint à Schechinah ipſa: poſtquam autem peccaſſent, dicitur: Exod. 23, 20. Ecce Ego mittam Angelum meum, &c. quoniam deflexerant gradum Excellentiæ ſuæ ſub iſtud, quod ipſis erat inferius: quare Moſes acquieſcere nolebat, reſpondens: Exod. 33, 15. Niſi facies tua ambulaverit, ne facias nos aſcendere hinc.

Angeli verò quantum ad collectionem partium, quæ in eis ſunt (vehiculum ſcil. illorum) attinet, puri omninò ſunt, elementisque ſuperioribus valdè propinqui; qua conſideratione homo ab illis eſt remotior, nec tanta, qua angeli, præditus collectarum partium excellentia. Angelus tamen ſecundum interiora ſua non eſt niſi Lux ſimplex, ſicut alia, Luce influente imprægnata: Homo autem non ita, quippe in quo Anima munda eſt, ita, ut ſi Anima hæc prævaleat partibus materiæ ejus, ipſi affulgeat Lux ſuperna excellentior luce illa, quæ angelo affluit; eò quod anima ejus ſit Aziluth, Briah, Jezirah, Aſiah, ut opus non habeat aliquid accipere, per ullum cæterorum graduum, ſed ipſa per ſe idonea ſit, ut ſuſcipiat influentiam è loco Scaturiginis ſuæ. Hæc ibi.

CAPUT I.

De Loco unde emanent tres Animæ partes.

AD explicandum punctum propoſitorum primum de Animæ Loco, multa invenimus in verbis R. Simeonis Jochaidæ f. q. p. Dividitur enim Neſchamah, ſeu Forma hominis in tres

tres partes, quæ sunt Neph. Ruach, & Neschamah, & Nephesch est vehiculum רוח Ruach, sicut Ruach vehiculum est Neschamæ. Emanatio autem omnium trium est à Sephiroth superioribus, quæ sunt radices omnium radicum. Differunt autem emanatione sua; quia Neschamah emanat à Binah, ut designatur Jobi 32, 8. ונשמת שדי תבינם Et anima Schadai intelligere faciet eos. Ruach autem emanat à Tiphereth, atque sicut Tiphereth Thronus est & habitaculum Binæ, ita Ruach thronus est & habitaculum Neschamæ. At Nephesch emanat à Malchuth, unde Nephesch thronus est & habitaculum רוח Ruach, sicut Malchuth thronus est & habitaculum תפארת Tiphereth. Atque ita Emanationem horum exponit R. Schimeon Jochaides f. q. p! in Sectione ויגש in Sohar f. 113. d. his verbis: Discipuli, omnia gradibus constant alio super alium constitutis, Nephesch, Ruach, Neschamah, gradus gradu superior: Nephesch primò, qui gradus est infimus, ut dictum alibi; deinde Ruach, qui super Nephesch quiescit, & super se consistentem habet Neschamam, gradum omnibus superiorem; ut stabilitum alibi. Nephesch iste est Nephesch Davidis (de qua 2. Sam. 5, 8. i. e. Malchuth,) cui constitutum ut acciperet Nephesch ab illo Flumine, qui promanat & egreditur. Ruach constitutus est super eo, nec potest subsistere Nephesch nisi per Ruach, illum scil. qui locatus est inter Ignem & Aquam (nempe Tiphereth, qui inter Gebhurah & Gedulah,) Et ab isto Ruach nutritur hic Nephesch. Ruach autem subsistit per statum gradus alterius superioris, quæ est Neschamah, unde Nephesch & Ruach sustentantur, ita ut cum participavit Ruach, tunc participet & Nephesch, & omnia sunt unum, & adhærent sibi invicem, Nephesch רוח Ruach, & Ruach Neschamæ, & omnia unum sunt. Hæc ille. Quorum sensus est, quod Neschamah sit Binah, Ruach, Tiphereth, & Nephesch Malchuth. Atque sic exponitur in Tikkunim, his verbis: Lucerna Domini Neschamah hominis, Proverb. 20, 27. נר Ner Lucerna, denotat Nephesch, Ruach,

Ruach, quæ sunt emanatio à Schechina, & columna media, comprehendente sex Numerationes; Neschamah hominis verò Emanatio est à Matre superna; hæc ibi. Et ecce, Virtute Benedicti tres istæ virtutes nodo connectuntur firmissimo atque validissimo, quælibet secundum gradum suum, habentes functiones, pro servitio atque opere suo. Oritur autem quæstio: Cum tres istæ partes emanent à Binah, Tiphereth & Malchuth, cur dici soleat, quod Anima Abrahami fuerit ex parte Chesed, atque sic Isaac ex parte Gebhurah; & Jacob ex parte Tiphereth; & sic porrò? Quam quæstionem R. Jehudah Chaijat proposuit R. El-Kastoli, qui sic respondit: quod interrogasti de eo, quod dixerunt Magistri nostri b. m! Abrahami scil. Nephesch attribui dextræ, & Isaaci sinistræ, & sic plures, suis metris; Unde dubium formasti, cum quilibet homo consistat ex tribus gradibus Nephesch, Ruach, & Neschamah; Nephesch è Malchuth, Ruach è Tiphereth, Neschamah è Binah emanantibus; quomodo hæc possint consistere? Circa hæc jam nosti, frater, singulos gradus includi sibi invicem, ita ut momentum eorũ finale in initis eorum applicetur, unde quælibet (Numeratio) totam Aziluth complectitur; Et quia tres illæ formæ è tribus gradibus Aziluthicis proveniunt, à quibus functionem habent [illegible], & [illegible] sub arcano [illegible] Nephesch, Ruach & Neschamah; hinc istæ ipsa inveniuntur in qualibet Numeratione. Hactenus ille. Sensus autem verborum ejus hic est, quod tres isti gradus sint ex Binah, Tiphereth, & Malchuth, quæ in Chesed sunt: quodque ita Isaac sit ex parte Gebhurah, & Jacob ex parte Tiphereth. Alii tamen aliter, atque sic explicant: Quod sc. Neschamæ Abrahami sit ex parte Chesed Binathicæ, & Neschamah Isaaci ex parte Gebhuræ Binathicæ, & Neschamah Jacobi ex parte Tiphereth Binathici: deinde Ruach Abrahami Patris nostri f. q. p! ex parte Chesed Tipherethicæ, & Ruach Isaaci ex parte Gebhuræ Tiphereticæ; & Ruach Jacobi ex parte Tiphereth Tipherethici:

& tan-

& tandem, Nepheſch ex Cheſed Malchuthica, vel Gehhurah Malchuthica, vel Tiphereth Malchuthico. Nobis autem alia adhuc ſupereſt via: quod nempe quælibet anima conſiſtat è Decade; atque ſic exponit R. Simeon Jochaides ſ.q.p! cujus verba in Raja Mehimna Zohar Par. כי תצא f. 134. d. hæc ſunt: Sunt & alii Domini Arcanorum Legis, Domini Metrorum, qui accipiunt Neſchamas ex parte Malchuth Sanctæ, quæ conſiſtit è decade Sephirothica: unde quicunque illam accipit, illaque dignus evadit, dignus fit decem Numerationes participare, absque ſeparatione, & non Novem. Si enim acciperet Malchuth ſolam, cœteræ novem ab ipſa ſeparatæ eſſent; quia autem ibi nulla eſt ſeparatio, Autor Libri Jezirah dixit: Decem & non novem. Si autem dicere velles, denarium tranſcendi: exemplum ſit in Nomine expoſito per יוד הא ואו הא in quo Jod cum illo unitum, denarium non tranſcendit, unde decem ſunt, & non undecim. Hucusque ille.

Annotatio ſuper hæc verba ex Pardes

Tract. 1. c. 5. f. 7. d.

SEnſus horum verborum hic eſt: Cum dicit: ſunt & alii, id reſpicit quod dixerat, Eſſe inter Practicæ vitæ homines quosdam, quorum Neſchamah ſit Ancilla, ex parte Briæ; nunc ergò pergit, alios eſſe, quos dicit Dominos Arcanorum Legis, i.e. qui in Lege divina ejuſque myſteriis ſtudent: & quia per hos etiam intelligi poſſunt ii, qui arcanis Deciſionum, expoſitionum allegoricarum, diſcurſuum hiſtoricorum, & ſtatutorum, atque judicialium traditionum, & ceremoniarum ſecundum ſenſum literalem tantum invigilant, ideo de his dicit, mercedem illorum duplicatam eſſe. Eſt tamen modus his omnibus præſtantior, iſtique nondum digni fiunt tali animæ excellentia, niſi pertingant ad myſteria Numerationum, quæ ſunt arcanum Divinitatis, atque iſti vocantur Domini metrorum, quia quicunque ſtudet Cabbalæ, in Metris ſeu modis divinis ver-

verſari dicitur, & quæ illuc pertinent. De his dicit, quod accipiant Animam ex parte ipſius Malchuth: non ex parte Metatronis, ſervi, nec ex parte Ancillæ; Pergitque talem dignum fieri Animâ, conſiſtente è denario. Cum autem dubium eſſe poſſet, annon fortè & cæteræ animæ conſiſtant è denario, item annon fieri poſſit, ut talis anima non conſiſtat è denario, & quomodo una anima ab alia diſtingui debeat, iſta quidem in medio relinquit, id autem aſſerit, quod Malchuth, i.e. anima, quæ provenit ex parte Malchuth, conſiſtat è denario neceſſario, propterea quod Numerationes non poſſint ſeparari ſintque connexæ atque adunitæ invicem; ita ut cum Malchuth dicitur, reliquæ numerationes neceſſario ſimul implicentur. Quod ità ſe non habet in Anima provenientè ex parte Metatronis, vel Ancillæ, qui ſunt Mundus ſeparatus, poſtquam deſcenſus factus eſt ab Aziluth; & iſta aſſertio non verificatur niſi in Aziluth, & non in his. Unde non conſtat denario ulla anima, niſi quæ è Malchuth eſt. Cum autem dicimus, Animam è Metatrone vel Ancilla provenientem non conſiſtere è denario, non id intendimus, quod denarius ibi planè non involvatur, prout verba ſonant; impoſſibile enim eſt ullam operationem è ſummis derivari, nec tamen complecti totam decadem; tunc enim appareret ſeparatio; Atque hæc eſt ratio, quare quidam laborent aliquo corporis vitio, qualia ſunt mancum eſſe, & ſimilia, qui ſunt defectus oſtendentes malignitatem operum eorum, qua rupturam cauſati ſunt in loco ſacro & ſeparationem; unde anima eorum non extenditur in illa membra eorum corporea, daturque ruptura, & defectus, & omnia quidem pro ratione loci ruptura violati, ita nempe derivantur nævi ipſorum; unde nævus, qui ab initio creationis ineſt, defectum oſtendit, cauſantem metempſychoſin. Animam autem vel operationem ejus non comprehendere Decem Numerationes planè impoſſibile eſt; & ſi quis dicit Animam Metatronicam vel Ancillarem, non negat illam eſſe è ſuper-

nis,

nis, quod absit! omnes enim animæ è supernis deducuntur, semperque denario constant, nec separantur: Differentia autem quæ inter animas Malchuthicas & reliquas intercedit, hæc est; quod reliquæ animæ quidem consistant è decade, sed ita tamen, ut decas ipsa in illis non appareat ullatenus, & ratione tantum illic adesse concludatur, quamvis per se quoque illam complectantur: Anima Malchuthica verò, è decade Sephirothica, quæ in Malchuth, emanavit, & Malchuth in ipsa apparet, cum decem suis Numerationibus, & ipsa cum illis est unita. Hæc ibi.

Quoniã igitur omnis anima consistit è denario, fieri potest, ut sicut Homo operibus suis debitis intendere & roborare potest unum aliquod divinorum metrorum ad op? quoddam manuũ suarum, ut deinceps omnes reliqui modi involvantur negotio istius metri secundum vehementiam influxus ejus: Ita quoque si homo velit intendere aliquam animæ suæ partem ejusque operationes, verbi gratia, si sibi proponat Tiphereth; tum intendat in sese virtutem Tipherethicam; atque inveniet partem Animæ suæ Tipherethicam sic illuminari, ut illa tandem fiat radicalis, & cæteræ partes tantùm quasi adjuncta ejus sint. Et hinc intelligi potest, quod de Abrahamo dictum est: de quo in libro Bahir ad versum: Lapis quem respuerunt ædificantes, factus est in caput anguli; talis est expositio: quod scil. Abraham Pater noster propulerit Malchuth, atque sic & Isaac & Jacob. Si autem Anima eorum emanavit ab illa, quomodo propulerunt eam à se: ita quoque si Anima Abrahami emanavit ex parte Chesed, tum necessariò vehiculum fuit ב Chesed; quod si ita, quid dicitur de propellendo? Responsio autem petitur ex iis quæ diximus, quod nempe homo possit intendere in anima sua partem aliquam quam libuerit, secundum opera sua; Patres ergò noluerunt adhærere, nisi locis sublimibus, intenderuntque in anima sua, Abraham quidem portionem Chesedicam, Isaac portionem Gebhurathicam; & sic omnes homines, de quo alibi. Atque hac ratione Israelita transmigrare potest in Sacerdotem, vel Levitam, secundum roborationem portionis cujusdam quam intendere meretur operibus suis ante transmigrationem suam.

Præterquam autem quod Anima consistat è denario, alio modo eadem quoque consistit è 4. Elementis superioribus, sicut & corpus è 4. elementis consistit. Elementa animæ autem sunt Aquæ spirituales, ex parte Chesed, Ignis spiritualis ex parte Gebhurah, spiritus ex parte Tiphereth, & terra tenuissima ex parte Malchuth. Et sic docuit R. Schimeon Jochaides s. q. p. in Sohar, Sect. ראמא, his verbis: Dixit R. Simeon, ad id quod dixerat R. Chiskiah, Sanctum i. q. b. s! cum crearet Adamum, de pulvere Sanctuarii inferioris creasse illum, & de pulvere Sanctuarii superioris dedisse illi Animam: & sicut cum crearet illum de pulvere inferiore, adjungebat illi tria genera elementorum mundi, sic etiam cum crearet eum de pulvere superiore, adjunxisse illi tria genera Elementorum mundi, atque sic perfecisse Adamum. Hactenus ille. Cum enim Anima è Denario consistat, decem illi respectus semper quidem in ea sunt; apparitio tamen illorum quatuor magis in ipsa viget, donec respectus isti quatuor magis magisque in illa illustrentur præ reliquis è decade. Eodem modo res se habet in ipsis quoq; Numerationibus: quamvis enim quælibet illarum consistat è decade sua, tamen è quatuor quoque, quinque septem, &c. consistit, nempe cum præter denarium in ipsa prævalent septem modi, donec isti illustriores fiant omnibus: Exemplum sit in Tiphereth: quamvis enim iste constet sua Decade, ut reliquæ Sephiroth, nihilominus tamen dicitur constare sex terminis; & sic in reliquis Numerationibus omnibus. Præter generalia verò ista in Anima existentia, in substantia ejus quamplurima specialia alia inveniuntur.

Caput II.

Quonam revertantur post obitum partes Animæ?

POstquam capite præcedente explicuimus Emanationem trium partium Formæ humanæ è loco sublimi Binah, & Tiphereth & Malchuth, quæstio oritur, annon, si res ita se habet, sublato homine ex hoc mundo, meritò singulæ istæ partes reverti deberent ad Scaturiginem suam, suaque Elementa spiritualia? Ubi sciendum istud ita non fieri; Enarrat autem R. Simeon Jochaides f. q. p! mansionem Nephesch esse in sepulchro, & mansionem Ruach in horto inferiore; Neschamæ autem mansionem in horto superiore. Ubi quæri potest, quare sic fiat? Verba autem R. Schimeonis in Sohar sunt ista: Traditio. Mille & quingenti odores quotidie ascendunt ex horto Eden, quibus fragrantes redduntur illæ vestes pretiosæ illius mundi, quæ in Coronam præparantur à die Hominis. Dixit R. Jehuda: Quot sunt vestes? Respondit R. Eleasar: Montes mundi in hoc discrepant; Verum tres sunt; una qua vestitur Ruach, qui est in Horto Terræ; & una, qua vestitur Neschamah, in Fasciculo Viventium, inter Purpuram domus Regiæ; una autem est vestis externa, quæ subsistit, & non subsistit, videtur & non videtur; hac vestitur Nephesch, qui vadit & circumvolitat in mundo; in Sabbatho autem, singulisque Neomeniis vadit atque adunitur ר' Ruach in Horto terreno, qui est inter Cortinam pretiosam; ab illo discit atque cognoscit, quicquid cognoscit, circumvolitansque manifestat illud in mundo. Huc usque ille. Inde planum est, quod principalis ר' Nephesch mansio sit in mundo hoc, ר' Ruach autem in Horto Eden inferiore, & Neschamæ superius. Atque sic etiam exponitur in Sect. אחרי מות, p. 126. his verbis: Tres mansiones paravit Sanctus, (benedictus sit ille!) pro Justis. Unam, qua

qua merentur non tolli ex hoc mundo; & cum in necessitate constituti sunt filii mundi, viventesque in angustiis sunt; hi sedent fundentes preces pro illis, abeuntesq; notificant rem illis qui dormiunt in Chebron; eosque excitant, abeuntque in Hortum Eden terrenum, ubi Ruchim Justorum vestiuntur Coronis lucidis, & Consilium ab illis capiunt, decernuntque quid faciendum, & Sanctus, benedictus sit ille! facit quod isti volunt, placaturque mundo: Et isti Nephesch in Justorum inveniuntur in hoc mundo, ad protegendum viventes. Atque id vocatur Nephesch; qui non auferitur è mundo, ut animadvertat, & notificet, & protegat generationem; Et istud est, quod mortui sciunt angustias mundi, & pœnam peccatorum; & de hoc scriptum est: Gen. 17, 14. & excidetur Nephesch illa de populis suis.

Mansio secunda est hortus Eden, qui in terra in quo Sanctus i. q. b. s! fabricavit habitacula sublimia atque pretiosa, ad modum hujus & ad modum superioris mundi, & palatia duplicis formæ, quorum non est Numerus, & arbores herbasque, aurasque (in Soh. & fragrantias) quæ quotidie elevantur: Et hoc in loco habitat qui dicitur Ruach illorum Justorum, & mansio istius Ruach hic est. Quilibet autem Ruach vestitur veste pretiosa ad modum hujus mundi, & ad modum illius mundi superni.

Mansio tertia est supremum illud habitaculum Sanctum, quod appellatur *fasciculus viventium* (1. Sam. 25, 29.) ibi enim delectatur gradus ille superior Sanctus, qui Neschamah dicitur, & hic illa hæret, ut afficiatur deliciis summis: de ea scriptum est: (Jesch. 58, 14.) *Tunc delectaberis in Domino, & equitare faciam te super excelsa terræ.*

Traditio alia. Quando mundus opus habet misericordia, danturque Justi qui illâ digni sunt; ille Nephesch qui reperitur in mundo ad protegendum illum; hic Nephesch inquam, ascendit, abiensque circumvolitat in mundo, remque noti-

notificat רוח Ruach, & Ruach ascendit coronatus, & notificat Neschamæ; Neschamah autem Sancto i. q. b. f! & tunc Sanctus i. q. b. f! placatur mundo: tunc descendit è summis deorsum Neschamah; idque notificat רוח Ruach, & Ruach נפש Nephesch. Singulis autem Sabbathis & Neomeniis omnes gradus aduniuntur, simulq; coronantur, donec ita copulati veniant ad adorandum Regem Summum, postea redeunt ad loca sua, atque istud est quod scribitur (Jes. 66, 23.) *Et erit à tempore mensis in mensem suum, & à tempore Sabbathi in Sabbathum suum veniet omnis caro ad incurvandum se ad facies meas, dixit Dominus.* Et quandò mundus opus habet misericordia, viventes abeunt, idque notum faciunt illis Nephescbis justorum, flentque super sepulchris eorum isti, qui digni sunt id illis notificare. Quam ob causam? quia disponunt voluntatem suam ut jungatur Nephesch cum Nephesch, tunc excitantur Nephescbim Justorum, sumtisque alis abeunt, volitantesque ad dormientes in Chebron, illis afflictionem mundi aperiunt; Et omnes ingrediuntur per illam Horti Edenis januam, & רוח Ruach id significant; atque cum illis Ruchin, qui in horto Eden coronantur, Angeli sublimes abeunt, cunctique rem aperiunt Neschamæ; & Neschamah id proponit Sancto; i.q. b. f! & omnes misericordiam exorant pro viventibus, & Sanctus i.q. b. f! parcit mundo propter ipsos; & propterea dicit Salomo (Eccles. 4, vers. 2.) *Et laudavi ego mortuos, qui jam sunt mortui, supra vivos, qui & ipsi vivi adhuc.* Quæ omnia latiùs ibi deducuntur; ut & in multis aliis locis Libri Sohar.

Jam igitur, quare non elevantur Nephesch & Ruach ad radices suas superiores, cum tamen inde emanarint? Ad hæc dicendum: Quod nulla Neschamah Emanata descendat in mundum inferiorem nisi ut Creationis, Formationis & Fabricationis fiat particeps, quæ notiones non separantur; id volò, non existere Aziluth in mundo nisi dependeant ab illa dicti gra-

gradus: Vestis enim Aziluth est Briah, & vestis Briæ, Jezirah; & Jeziræ vestis Asiah. Unde necessariò Neschamah Aziluthica vestem aliquam habere debet; quæ est Neschamah Briathica. Atque hæc magis invenitur: quis enim dignus est Aziluthica? Jam verò qui in se habet Neschamam Briathicam, appellatur servus Domini: in quo autem fuerit Neschamah Aziluthica, Filius vocatur. Sic enim rem exponit R. Schimeon Jochaides f. q. p! in Tikkunim, his verbis: Ex parte (throni) Gloriæ creata est; Dixerunt Israëlitæ ad Dominum mundi: sumusne tanquam servi, quod ex parte Gloriæ emanavit? Dictum est ad eos: num tanquam filii? hæc ibi. Et sic etiam explicatur in Libro Raja Mehimna. Neschamah Jezirathica & Asiathica non invenitur penitus; quoniam Ruach est Jezirah ad Neschamam Briathicam; Nephesch autem Asiah, ad Ruach formatum. Et sic exponit R. Simeon Jochaides f. q. p! in Tikkunim his verbis: Faciamus hominem: congressi sunt Ophan (Rota, mundus Asiah, ob Sandalphon qui dicitur Ophan) & Angelus (Metatron, seu mundus Jezirah,) & Thronus (seu mundus Briah,) atque dixerunt: Faciamus hominem; nam ex compositione nostra Neschamah ex throno, & Ruach ex Angelo & Nephesch ex Ophan (Rota desumetur,) ut fiat ad imaginem nostram, &c. Hæc sufficiunt ad propositum nostrum. Idem ulterius explicatur loco alio in Tikkunim: *Non capies matrem cum filiis* (Deut. 22, 6.) Ova sunt ex parte Rotarum; pulli ex parte Pueri Metatronis, filii ex parte Throni; iste enim est tabernaculum pacis, atque nidus Schechinæ, quæ est Mater superna, residens in throno, in tribus numerationibus superioribus: Columna media complectens sex numerationes, residet in Metatrone; Mater inferior residet in Rota, de qua dicitur: (Ez. 1, 15.) *Et ecce Rota una in terra.* Item: Schechinah ex parte Throni vocatur aquila, & ex parte Pueri (Metatronis) Columba, & ex parte Rotæ, Avicula: Schechinah autem est illa *similitudo hominis* (Ezech. 1, 26.) istorum re-

 specta

ſpectu (pergit textus Deut. 22, 7.) *Dimittendo dimittes;* Veni, Vide: Eſt Angelus, qui Præfectus eſt iſtis avibus, Animabus ſcil. quæ vocantur Aves; cui nomen Sandalphon; & quando Iſraëlitæ obſervant iſtud Præceptum, & abiens mater exturbatur; filii autem vociferantur; ille patrocinatur avibus; dicens coram Sancto, i. q. b. ſ! ſcriptum eſt, *Et miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus*, (Pſalm. 145, verſ. 9.) quare decreviſti ſuper hâc ave, ut exturbetur è nido? Atque ſic Metatron patrocinatur avibus ſuis, quæ ſunt Ruchin; nam quæ ex throno, ſunt Niſchmathin: Ex iſto animali (Metatrone Animale Ezechielitico) ſunt Ruchin, ex Rota autem Nephaſchin; ſuntque Briah, Jezirah, Aſiah. Sabbatho autem & die feſto, deſcendit ad illos Neſchamah, Ruchinque & Nephaſchin per viam Aziluth, quæ ſunt Spiritus Sanctitatis; huc uſque ibi. Hic per Thronum intelligitur Briah, & per Metatronem Jezirah, Sandalphon autem eſt Rota, cujus beneficio Sanctus i. q. b. ſ! habitare facit Schechinam (ſeu Majeſtatem) ſuam in mundo, & de illa dictum eſt (Ez. 1, 15.) Et ecce Rota una erat in terra: Iſte eſt veſtitus Schechinæ, quo veſtitur in Aſiah;

Neſchamoth igitur proveniunt ex parte Lucis manifeſtatæ, atque veſtitæ, & protenſæ cum ſubſtantia Numerationum in Briah; Ruchoth verò, ſunt ex luce veſtitâ in Jezirah, & Nephaſchoth ex Luce veſtitâ Aſiâ; ſive Rota; Adeoque cùm ſimpliciter dicitur, Neſchamam, Ruach & Nephaſch eſſe Binam, Tiphereth, & Malchuth, id innuitur; quod Lux Binæ manifeſtetur in Briah, & Lux Tiphereth in Jezirah, & Lux Malchuth in Aſiah, quæ appellantur Thronus, Metatron & Sandalphon ſive Rota: Unde ſequitur, Neſchamam, quæ è Briah, veſtiri ⁊ Ruach, qui è Jezirah, iſtum verò, ⁊ Nephaſch qui ex Aſiah; Aſiah autem eſt mundus iſte, ſecundum omnes ſignificationes ejus, prout in Sohar multis in locis dicitur. Per Pur-

puram

puram autem de qua in oratione R. Eleaſaris, intelligitur Briah, veſtis pretioſa Regis, ut dictum alibi. Cùm itaque Lumina iſta alibi non fundentur, niſi in lumine è modo dictis Notionibus profulgente, inde fit, ut homine ex hoc mundo ſublato, ſingули illius gradus omnino elevêtur ad radices ſuas, quæ ſunt Briah, Jezirah & Aſiah: Atque ſic Ruach abit in hortum, ibi enim Jezirah in palatiis Sanctis: Nephaſch autem circumvolitat in hoc mundo longè lateque, juxta (naturam &) myſterium illius luminis, quod in hoc gradu emicat, quodque eſt Aſiah.

Cùm verò tres iſtæ Virtutes ortû habent ex gradu Aziluthico (tum illis tribui poteſt analogicè, quod ſuprà dictum) de Sabbathis & Neomeniis. Atque hoc iſtud eſt, quod dicitur Toſephoth Neſchamah, (augmentum Neſchamæ,) quod eſt quaſi augmentum aliquod Lucis, ſuperadditum ipſi ex parte Kether. (Coronæ.) Atque iſta eſt (Scaturigo) Briâh ſuperior: Binah enim involvitur Briæ, ſed ſupra ſe habet Kether (Coronam) & Chochmah (Sapientiam.) Revera autem hoc ipſum nihil eſt aliud quam Æn-Soph (Infinitum) quod huc influit per myſterium Emanationis earum. Exinde derivatur additamentum Neſchamæ: & quoniam duæ illæ (Numerationes ſupremæ) non involvuntur Briæ, ſicut dictum, hinc R. Schimeon Jochaides, ſ. q. p. quibusdam locis tradit, additamentum Neſchamæ provenire ex Kether (Corona.) Quando igitur Neſchamah eſt Aziluthica, tum ſanè illa elevatur ad radices ſupremas juxta myſterium & naturam Aziluth. Propterea ratione dierum perfectorum dicitur (Exod. 20, 9.) *Sex diebus operaberis.* Ubi invenitur connotatio ſervitutis: quoniam homo tantum ſervus eſt, cùm Neſchamah ejus eſt ſolummodo ex Briah; id quod nec in perfectioribus aliter ſe habet. Aliquando igitur eò uſque exaltantur Nephaſch, & Ruach, & Neſchamah coadunita invicem, ut ſubvehantur ad radices (ſummas) cùm ſcil. radii ſunt promicantes è Luce ſuperna. Quando igitur uniuntur mundi, ſurculi quoque radicibus inſeruntur, ſicuti colligantur

 & co-

& coaduniuntur in palatiis, atque adeò elevantur ad Radicem ſuam excelſiſſimam; idque per myſterium precationis, prout alibi docetur. Ita ſe res habet circa Nepheſch, Ruach & Neſchamah, atque ſic quoq; hæc proponuntur in Sohar, Section. Thruma, his verbis fol. 64. col. 1. Nepheſch, cui paratur quies, cum ambiens huc illuc oberrat, occurrit illi (Animarum collocandarum Præfecto, cui nomen) Jeduminam ejusque Satellitibus, qui ſuſceptam per omnes Paradiſi portas introducunt, monſtrantes eidem Gloriam Juſtorum & Gloriam Spiritus ejus (c. quo antea vixerat) Illa verò eidem adhæret ſuaviſſima quiete intra illum veſtitum ejus: Atque tum edocetur negotia mundi hujus. Et cum Spiritus ille aſcendit, ut coronetur intra Neſchamam excelſam ſuperiùs, iſte Nepheſch c. ipſo adunitus ab eodem illuminatur ſicut Luna, cùm lumen accipit à Sole: Spiritus autem copulatur cum illa Neſchamah, quæ coronatur intra ultimum terminum Machſchaha (Cogitationis) quod eſt myſterium Nepheſch ſupernæ: Illa Nepheſch autem unitur cũ Spiritu ſic exaltato, qui cum ſublimi illa Neſchamah unitur: Hæc autem Neſchamah copulatur cum Infinito: Atq; tum quietem habet ſuper omnia, & unionem omnium, ſuperorum & infernorum: Atque hæc eſt quies illa Nepheſch inferioris, unde ſcriptum eſt (1. Sam. 25, 29.) *Et erit Nepheſch Domini mei colligata in faſciculo vitarum cum Domino Deo tuo.* Hæc ibi. Ex his lumen habent, quæ dicta ſunt de unione & & inſertione furculorum, deque elevatione eorum ad Scaturiginem ſuam, ut dictum. Aſiah enim unitur cum Jezirah, & Jezirah cum Briah, Briah cum Aziluth, & Aziluth cum puncto ſupremo.

CA-

CAPUT III.

Dari homines, in quibus eſt Nepheſch ſine Ruach, multò magis ſine Neſchamah; dari que altos, in quibus & Ruach ſit, aliosque iterum, in quibus & Neſchamah. Item quæ ſit ratio duorum Angelorum comitantium hominem, & unde influentiam habeant & emanent, atq; adeò natura figmenti mali & figmenti boni.

QUanquam Cap. præcedente aſſeruimus, non dari Neſchamam Briathicam niſi veſtitam Ruach Jezirathico; nec dari Spiritum Jezirathicum niſi veſtitum Nepheſch Aſiathica; non tamen ita ſe res habet vice verſa: Inveniri enim poteſt Nepheſch Aſiathica ſine Spiritu Jezirathico, atq; ſic Spiritus talis ſine Neſchamah Briathica: quoniam nó omnes digni ſunt Spiritu, ſicut nec omnes digni ſunt Neſchamah. In quantum enim homo appropinquat Conditori ſuo, in tantum affunditur ipſi de Spiritu; & prout magis dignum ſe præbet, ſic Neſchamah quoque ipſi affluit; & ſi ad ultimam ἄκρον perducat cultum ſuum, derivatur in illum Neſchamah Aziluthica, ita ut appellari queat Filius familias Sancti illius q. b. ſ. Veruntamen Gradus iſti non conferuntur ipſi, niſi ſtatutis temporibus pro menſura puritatis ejus. Et ſic exponunt rem in Sohar Sect. Vajikra, his verbis: fol. 42. col. 2. Homo ſanctificet ſeipſum inferiùs & ſanctificabunt eum deſuper; & cùm ſanctificatur homo ſanctitate Domini ſui, ſuperinduunt ipſum Neſchamah ſancta, quæ eſt hæreditas Sancti i. q. b. ſ. & congregationis Iiſraëlis & tunc hæres fit omnium: Et tales vocantur filii Sancti, i. q. b. ſ. ſicut dicitur (Deut. 14, 1.) *Vos eſtis Filii Domino Deo veſtro.* Atque id ſic eſſe determinatè ſtatuerunt. Hactenus ibi. Iſtud autem dicitur de Neſchamah Aziluthica: & propterea loquitur de hæreditate Sancti i. q. b. ſ. & congregationis Iiſraëlis: Illa enim prodit ex unione Tiphereth & Malchuth Aziluthico-

thicorum; Exinde enim appellantur filii; ut dictum suprà Cap. præced. Unde Sohar quoque jungit hæc: Et illi vocantur filii, &c. Occurrit tamen & alia insuper explicatio R. Schimeonis Jochaidæ s. q. p. Sect. eadem his verbis: Datur quidam qui dignus Neschamah, & datur quidam, qui dignus est exuscitatione Spiritus, & alius datur, qui non dignus est nisi Nephesch. Hæc ibi. Similis explicatio occurrit in Sect. Achare moth his verbis: fol. 32. col. 2. Dixit R. Jos. Omnibus hominibus est Nephesch & datur Nephesch infimo Nephesch superior: si dignum se præbet homo in ista Nephesch, Coronam quandam ipsi affundendo applicant, quæ vocatur Ruach, juxta illud (Jes. 32, 15.) *Donec effundatur super nos Spiritus de excelso:* Tunc excitatur homo exuscitatione alia sublimi ad contemplandum statuta Regis Sancti. Si dignum se præbet homo in statu illius Ruach, tum coronant eum cinctura coronæ Sanctæ supremæ, quæ omnia complectitur, & Neschamah dicitur. Nimirum juxta illud (Job. 4, 9.) *A Neschamah Dei, &c.* Hæc ibi. Hic notandum, quòd R. Jose in ista Oratione adhuc aliam explicationem memorabilem adjungat, dari nempe, qui nequidem ipso Nephesch digni fiant. Cum autem clarissimum & notorium sit, hominem si ipsi non sit Nephesch, non posse vivere; præterea duplicis Nephesch mentionem facit. Alia enim est Nephesch vitalis & naturalis, quæ est vehiculum Nephesch Divinæ, prout dicetur. Poterit igitur vivus esse homo, quamvis in ipsum non emanet Nephesch; quoniam vita ipsi suppetet ex Nephesch vitali: Cum igitur tunc dignum se præbet, tunc affluit ipsi Nephesch Divina; & si ulteriùs dignum se exhibeat, Spiritum quoque ipsi affundunt: & deinceps si ulteriùs inveniatur dignus, affluentiam Neschamæ ipsi conciliant, ut suprà expositum. Ulteriùs dilucidatur hæc natura in Sohar Sect. Vajigasch his verbis fol. 113. col. 4. Tres gradus comprehenduntur in hominibus, qui dignos se præbent in cultu Domini sui. Primò enim in tali est Nephesch, quæ est præparatio

paratio sancta, ut homo rectè conformetur per illam. Si homo eò pervenit, ut purificetur per hanc; tum congruus fit, ut coronetur Spiritu, qui est gradus Sanctus, mansionem habens super Nephesch ad excitandum hominem. Qui dignum se præbet, ut elevetur per Nephesch & Ruach, ingressusque ulterius præparatur ad ministerium Domini sui ritè peragendum; super illo residet Neschamah gradus superior sanctus omnibus prædominans. Qui coronatur gradu sublimi hoc sancto, perfectus est in omnibus, & ex omni parte, ut dignus sit mundo futuro. Et hæc est dilectio Sancti i. q. b. s. juxta illud (Pr. 8, 21.) *Ut hæreditatem tribuam diligentibus me Jesch,* (est) *&c.* Quinam sunt ibi diligentes? Illi in quibus Neschamah sancta est. Hæc ibi. Et hinc sententia nostra pulcherrimè dilucidatur. Ulteriùs quoque in Sohar narratur, quòd R. Schimeon Jochaides s. q. p. convivium paraverit in honorem R. Eleasar filii sui, cum eidem tribueretur Neschamah. Nec minùs hæc materia in Tikkunim exponitur his verbis: Veni, vide. Quàm primùm homo nascitur, Nephesch illi tradunt de parte brutali: quoad sortem puritatis verò ex illis, quæ vocantur vitæ sanctitatis: si magis se præstat dignum, Spiritum illi præbent animalium Sanctorum. Majori præstantia prædito, ob partem ex animantibus istis acceptam, dant Neschamam de loco throni. Et tria hæc sunt serva & servus, & ancilla filiæ Regis. Si ulteriùs mundatur, conciliant illi Nephesch è via Aziluthica ex parte filiæ unicæ, & tum illa vocatur filia Regis. Plura merenti Spiritum tribuunt è via Aziluthica de parte columnæ mediæ, & iste vocatur filius Sancti i. q. b. s. sicut scriptum est (Deut. 14, 1.) *Vos estis filii Domino Deo vestro.* Majora merito tribuunt Neschamam de parte patris & matris, &c. Hucusque ibi, & hæc sufficiunt proposito nostro.

Ex hinc patet pro mensura studii hominis in hoc mundo, derivari super eum Neschamam ejus, Ruachque & Nephesch ejus;

ejus; omnia scil. pro mensura cultus ejus. Quomodo autem in his deficiat homo, ut hoc in corpore ista non accipiat, juvante Deo, explicabitur alibi.

Dantur autem casus, ut Neschamah affundatur illo tempore, cùm homo præceptum aliquod adimplet, aut in aliqua parte studii legis ardenter versatur; tunc Providentia ipsi Neschamam tribuit, ejusque affluentia ipsi tribuitur, prout ipse fuerit constitutus circa aspirationem ad statum perfectionis.

Præter tres illas partes adhuc aliæ dantur, qui sunt Angeli illi comitantes hominem in custodiam ejus. De illis enim dicitur Psalm. 91, 11. *Quoniam Angelis suis mandabit de te, &c.* Atque sic sentit R. Schimeon Jochaides in Libro Sohar: ubi in partes scinduntur R. Schimeon & R. Pinchas super numero eorum, R. Schimeone duos esse, & R. Pinchaso 3. esse asserentibus (qui indigitentur verbis illis) Quoniam Angelis suis mandabit de te. De illis enim dicitur, Job. 33, 23. *Si fuerit pro eo Angelus*; Ecce unus: *Advocatus*; Ecce duo: *Unus ex mille*; Ecce tres. Et alio loco tradit, illos esse separatos ab homine, ipso peccante. Et de illis dicitur, Jes. 57, 18. *Et reddidi consolationes ei & lugentibus ejus:* Qui sunt Angeli isti lugentes super eo, & separantes sese ab eo, secundum opera ejus mala. Ratio autem est, quia modò occultantur ipso operante, modò manifestantur circa opera ejus: Ex hac ratione, quoniam emanarunt cum emanatione Neschamæ ejus. Quando enim Neschamah emanat ex copula Sancti i.q.b.s. & Schechinæ ejus, Angeli isti emanant cum ea. Atque sic tradit R. Schimeon Jochaides his verbis: Gen. 1, 19. *Producant aquæ reptile animæ viventis:* Hoc est fœdus stabile sanctum flumen promanans & prodiens, & a quæ ejus multiplicantur, &, ut ita dicam, vermiculant vermiculationem & multiplicem progenerationem Neschamarum pro illa vita: Ex illis Neschamis autem, quæ in hanc vitam ingrediuntur, prodeunt multi surculi, & immensæ copiæ oberrant per totum mundum: Et quatenus Neschamah exit

exit in hunc mundum, ista avis, quæ volitat & egreditur cum illa Neschamah ex ista arbore: simul cum ipsa exit. Quot egrediuntur cum singulis Neschamis? Duo: Unus à dextris, & alter à sinistris. Si dignum se præbet, isti custodiunt eum; sicut scriptum est, Psalm. 91, 11. *Quoniam Angelis suis mandabit de te:* sin minùs, accusant ipsum. Dixit R. Pinchas, tres esse constitutos curatores super hominem; quia scriptum est. Job. 33, vers. 23. *Si fuerit pro eo Angelus Advocatus, &c.* Ibique profertur R. Schimeonem assensisse R. Pinchaso. Nec dici potest, Angelos istos aliud quid esse, quam id quod Rabbini nostri b.m. appellarunt figmentum bonum & figmentum malum, quoniam in Libro Sohar expresè traditur, eos ipsos quoque eadem hæc figmenta esse. Hæc autem sunt verba libri modò dicti: R. Jehuda exorsus est: Quoniam Angelis suis mandabit de te, &c. Hujus textus explicatio determinatè statuta est. Eadem enim hora, qua homo venit in mundum, statim ipsi applicatur figmentum malum, ut accuset hominem istum perpetuò sicut dicitur: Genes. 4, 7. *Ad ostium peccatum cubat.* Quid hoc est, peccatum cubans? Hoc est figmentum malum. Et David quoque peccati nomine id appellat, quoniam incitat hominem ad peccandum coram Domino suo. Scriptum est enim Psal. 51, 5. *Et peccatum meum coram me est semper:* Nam figmentum hoc malum non recedit ab homine à die nativitatis ejus perpetuò. Et figmentum bonum accedit ad hominem ab illa die; qua incipit mundari. Quando autem incipit mundari, prout decet? Cùm est filius 13. annorum: Tunc associatur homo utrique, ita ut alterum à sinistris, & alterum à dextris ipsi adsint. Et hi sunt duo illi Angeli, revera ipsi præfecti, semperque cum ipso inveniuntur. Si itaque homo incipit purgari, figmentum illud malum subigitur ab eo, & dextra prædominatur sinistræ, & ambo sociantur ad custodiendum hominem in omni via, qua ambulat, sicut dicitur, Ps. 91, 11. *Quoniam Angelis suis mandabit de te.* Hactenus verba ejus. Exinde

manifestò apparet, quòd duo illi Angeli, de quibus suprà erat quæstio, sint figmentum bonum, & figmentum malum. Eadem quoque Section. sic ait R. Abba: Illo tempore, quo homo ambulat in semitis Legis, omnesque viæ ejus decenter dispositæ sunt, multi advocati pro ipso exurgunt, ut mentio ejus fiat in meliorem partē. Exorsus dixit Job. 33, 23. 24. *Si fuerit pro eo Angelus Patronus, &c.* Et misertus fuerit ejus, & dixerit: Redime eum, &c. Veni, vide. Hoc in textu invenies declarationem rei. Dicitur: Si fuerit pro eo Angelus. Si plura non scriberentur, benè foret: dicitur autem Angelus Patronus. Quis est iste? Hic est Angelus ille præfectus homini ex parte dextra, de quo intelligendus locus, Ps. 91, 7. *Et myrias à dextra tua.* Sed quod additur, Job. 33, 23. *Unus è mille.* Illud est figmentum malum. Ille enim est unus *è mille illis, qui sunt ex parte sinistra.* Psal. 91. 7. Quare remotio decernitur superius, sumtaque venia ascendunt. Quare si homo ambulat in via veritatis, & illud figmentum malum agit cum ipso, sicut scriptum est: Prov. 12, 9. *Melior est, qui floccipendit se & servus est Ei:* Tunc illud ascendit sitque Patronus ejus, & dicit coram Sancto i. q. b. s. de meritis hominis hujus. Tunc S. i. q. b. s. dicit: Job. 33, 24. *Redime eum, ne descendat in corruptionem, &c.* Hæc inde pro re præsente exscribere volui. Atque hinc manifestum est, per duos illos Angelos intelligi figmentum malum, & figmentum bonum. Et sicut dictum est suprà, Figmentum malum pariter cum Neschamah emanat, sicut figmentum bonum cum eadem profluit: Figmentum enim malum provenit ex parte Gebhuræ, estque Angelus Sanctus, & vehiculum ejus tantum impurum est, ipseque vestitus est facultate immunditici. Atque sic multi Angeli Sancti se habent, qui præfecti sunt potentiis alienorum, quæ sunt vehiculum eorum. Ista facultas dilatatus quatuor corticibus immundis, qui sunt Aven, Maschchith, Aph & Chamma (iniquitas, exitium, ira & fervor:) Ipsum autem procedit ad sinistram hominis & inequitat 4. istis. Sic etiam

etiam figmentum insidet vehiculo sancto, quod est facultas Michaelis, Gabrielis, Urielis, & Raphaelis; ipsumque quatuor istis insidet ad dextrum hominis latus. Homo autem inclinat se ipsum in alterutrum latus estque in manu ejus facultas, ut præponderare faciat lancem peccati præ latere justitiæ, & vice versa; prout hæc diducta in Lib. Raja Mehimna.

Caput IV.

De Imagine & quomodo à Radicibus suis & Scaturigine sua prodeat.

Hic tractandum de natura imaginis, de qua in Sohar multis in locis. Est autem imago hæc res aliqua quarta, quæ nec est Nephesch, nec Ruach, nec Neschamah; sed magis manifesta illis; prout inveniuntur quidam pii, qui assequuntur similitudinem hoc in mundo. Quomodo autem se habeat & qua ratione formetur, exponitur in Sectione Æmor fol. 44. col. 3. his verbis: In Libro Salomonis Regis invenitur: Cum copula maritalis exercetur inferiùs, Sanctus i. q. b. s. demittit figuram quandam forma hominis configuratam, & ad modum imaginis exsculptam, quæ assistit penes illum congressum: Et licentia datur oculo, ut videat, videt homo super caput suum imaginem quandam configuratam ad modum personæ humanæ; & in illa imagine procreatur. Et antequam imago illa accedit, quam demisit Dominus ejus super caput ejus, ibique inveniatur, non procreatur homo. Atque illud est, quod dicitur: Gen. 1, 27. *Et creavit Deus hominem in imagine sua.* Imago illa paratur ipsi, antequam exeat in mundum, cumque prodit, sub illa imagine adolescit, & in illa imagine ambulat. Idipsum est quod dicitur: Psal. 39, 7. *Veruntamen in imagine ambulavit vir.* Et hæc imago desuper advenit: Quando enim Spiritus illi prodeunt è locis suis, singuli exornantur coram Rege Sancto ornatu pretioso, nempe Personam hominis re-

præsentantes, prout illa in hoc mundo visitur: & ex illa figura, ornatuque hoc pretioso prodit hæc imago. Estque tertium quid à Spiritu, illoque prior in hunc mundum venit, tempore nimirum concubitus: nec ullus datur homo in mundo, in quo non inveniatur hæc Zelem seu Imago. Israelitis autem, quoniam Sancti sunt, hæc imago Sancta est, illisque è loco Sancto advenit; cum aliis, qui cultum habent alienum, imago hæc descendat è speciebus illis malignis, atque latere impuritatis. Unde non licet homini miscere imaginem suam, cum imagine hominis gentilis, quoniam illa sancta, hæc verò impura est. Hæc ibi. In quibus verbis observandum est, quod dicitur, imaginem tertium quid esse à Ruach puro atque sancto: Habet enim locum secundùm à Nephesch & quartum à Neschamah. Cumque porrò dicit de tempore, quo Spiritus illi prodeunt è locis suis, &c. omnino loquitur de modo, quo producatur existentia ejus: Sic enim se habet constitutio animæ, sicuti cùm aurifex formaturus est fusile quoddam pro arbitrio suo, fusurusque argentum in hunc finem: tum sanè antequam figuram debitam operi suo conciliet, necesse est, ut priùs locum aliquem effiguret, in quo efformetur figura illa, & postmodum concrescet in aëre figura illa, argento in hunc finem destinato impressa. Animæ tamen spirituales sunt, seu quoad partem Ruach, seu quoad partes Nephesch atque Neschamæ. Postquam igitur beneficio concubitus directionem suam adepta est influentia partibus istis debita, tum notio quædam quarta hic requiritur, juxta quam istæ concrescant in figuram hominis, quæ configuratur in aëre Horti. Typus autem atque modulus ille aëreus, in quo effigurantur figuræ istarum partium in formam hominis, vocatur Zelem; quæ vox derivatur à significatione effigierum typorumque atque modulorum, quibus artifices utuntur: Atque ad hunc modum se habet modulus iste, in quo effigurantur formæ partium suprà dictarum. Unde non immerito tertium quid à Ruach, & quartum à Neschamah, atque

que secundum à Nephesch dicitur. Nephesch enim configuratur in modulo imaginis & Spiritus in medio Nephesch, Neschamah autem in medio Spiritus, & hæc est illa forma, de qua loquitur Sohar loc. suprà dicto, quòd nempe Spiritus exornentur coram Rege Sancto, personati sub forma hominum, quodque ex ista forma atque ex ornatu hoc pretioso prodeat ista imago. Per naturam moduli enim partes suprà dictæ consistunt; & modulus eorum est imago hæc. Quare quamprimum homo rem habet cum uxore sua, propere adest imago ista, ut illius beneficio effiguretur infans tanquam in modulo pro forma personæ illius necessario, ut dictum suprà.

Atque hæc est natura istius Zelem, quæ dicitur Zel, seu umbra, quoniam quasi umbram constituit super capite hominis, ut dictum, atque huc illuc versatur. Veruntamen sicuti conformationem antecedit, sic quoque abscedit ante mortem die trigesima; prout tradit Sohar Sect. Vajechi fol. 117. c. 1. his verbis: Dixit R. Jose: Cùm appropinquant dies hominis illius, per 30. dies præconio id divulgant de ipso in mundo, imò & aviculæ cœli id de ipso divulgant; sique fuerit justus, per 30. dies quoque præconium de ipso habetur in Paradiso. Sicque traditum est: Toto hoc spatio 30. dierum durante anima ejus egreditur ex eo per singulas noctes, elevatáque contemplatur locum suum in mundo altero, inscio tamen homine illo, nec considerante hoc, cùm non habeat dominium in animam suam totis illis 30. diebus, sicut antea: secundùm id quod scriptum est: Eccles. 8, 8. *Non imperat homo in Spiritum, ad prohibendum Spiritum, nec est potestas in die mortis, nec dimissio in prelio.* Dicebat R. Jehuda: Ex quo incipiunt 30. illi dies, imago hominis obtenebratur, & forma, in qua apparuerat in terra, diminuitur. Hæc ibi. quæ tamen latiùs ibidem deducuntur. Similia autem occurrunt alio quodam in loco ejusdem Sectionis fol. 120. col. 3. his verbis: R. Chiskia exorsus est; Genes. 15, 12. *Et factum est Sole occumbente & sopor accidit super Abra-*

ham

ham, & ecce terror tenebrosus magnus cadens supra eum. Veni, vide. Hæc dies dies est judicii gravioris, quod avocat hominem ex hoc mundo. Sic enim traditum est: Illa dies, qua exit homo ex hoc múdo, dies est judicii magni, quâ obscuratur Sol & Luna, sicut scriptum est Eccl. 12, 2. *Antequam obtenebrescat sol & lux, & luna & stellæ, &c.* Hæc est Neschamah Sancta, quæ amovetur ab homine 30. diebus, antequam exeat è mundo: illaque die apparet, quod imago auferatur ab eo, nec conspici possit ab eo. Quare autem hæc aufertur ab eo? Quoniam ablata est Anima sancta: Hinc & ista discedit ab eo, nec apparet. Nec dicendum: homine moriente, & debilitato animam illam ab eo discedere: siquidem dum adhuc persistit in vita sua inque robore suo, Neschamah ab eo tollitur, nec illuminat spiritum, nec spiritus illuminat Nephesch: tunc imago ab eo aufertur, nec affulget ipsi. Ex illa die undiquaque præconium de ipso divulgatur, vulgantibus & cœli aviculis: quoniam Neschamah ablata est & Spiritus non illuminat Nephesch; atque tunc Nephesch debilitatur & consumitur, & omne desiderium corporis rollitur ab eo atque recedit. Hæc ibi. Ex quo pariter apparet, discessum hunc imaginis cum reliquis partibus contingere 30. diebus ante obitum. Alio tamen in loco Sohar sic non loquitur, sed id fieri nocte festi Hoschanæ asserit: ubi verba ejus sunt hæc: fol. 198. c. 3. 4. Veni, observa. Illa die qua judicium exsuscitatur in mundo, cum scil. Sanctus i. q. b. f. sedet super throno judicii ut judicet mundum, decet hominem excitare in se conversionem, convertique à peccatis suis. Illa enim die parantur Scripturæ, omnesque inveniuntur in scriniis cœlestibus, quæcunque scriptæ sunt. Si dignum se præbet homo, ita ut convertatur coram Domino suo, Schedulæ decretorum de illo conscriptæ lacerantur: & Sanctus i. q. b. f. parat homini illi diem expiationis, diem conversionis: si convertitur à peccatis suis, bene habet: sin minùs, tum jubet Rex obsignari decretorum Schedulas. Væ isti! Tum enim & conversio

versio tolli ab isto petit. Si tamen dignum se præstat conversione perfecta prout decet, benè habet: sin minùs, negotium suspenditur, usque ad ultimam diem festi, quæ est octava festi: sique perfectum se exhibet conversione coram Domino suo, decretorum Schedulæ lacerantur, nec remoram faciunt. Sin talem se non præbet; Schedulæ illæ è domo Regis ablatæ, in manus Prætoris (cœlestis) traduntur: quibus ita traditis profectò actum est de eo, nec revertuntur decreta in domum Regiam. Tunc imagines auferuntur ab eo, nec ampliùs cum eo inveniuntur. Quo facto profectò ultima voluntas Regis de eo executioni mandatur, ut gustet herbam mortis. Atque illa nocte festi ultima Prætores sese parant & decreta tolluntur: quibus ablatis imagines auferuntur, ita ut non ampliùs reperiantur. Si autem inveniuntur, indicium est vel mutatam super eo esse sententiam, vel morbis malignis hunc plectendum minuendamque sententiam. Idque sic se habere constitutione sancitum est. Et hæc dicta sunto. Hucusque ibi. Ex his apparet, ablationem imaginis fieri nocte Hoschanitica. Videtur autem dicendum esse, ablationem illam omnino fieri nocte ista obsignationis, sicut ultimo hoc loco traditur, & præterea alibi. Amotio autem hæc alium in finem non fit, nisi ut debito tempore remonstretur homini, quid geratur tempore obsignationis: Postmodum enim revertitur umbra super caput ejus donec adveniant 30. dies mortem ejus antecedentes, atque tunc sic amovetur, ut non redeat ampliùs. Traditur quoque in Sohar, ex umbra hac fieri imaginem quandam, ambasque coaduniri. Verba autem ejus hæc sunt, Sectione Æmor fol. 198. col. 3. Veni, observa. In hac imagine sancta ambulat, homo & adolescit, & inde fit persona formæ excelsæ, imago alia quæ coadunantur invicem, ita ut una suscipiatur in altera. Quamdiu inveniuntur, homo ille corpusque ejus in statu debito conservantur, Spiritu ipsum inhabitante: cùm autem appropinquant dies, auferuntur, altera ascendente ad alte-

alteram, ita ut ipse incustoditus relinquatur. Tunc evenit, quod scriptum est: Cant. 2, 17. *Donec aspiret dies & fugiant umbræ:* ubi umbræ duæ intelliguntur, &c. Exhinc intelligitur, quod detur imago imaginis.

Unde apparet, in homine hoc in mundo quoad formam ejus inveniri septem virtutes; quarum tres sunt Nephesch, Ruach, Neschamah; duæ, figmentum malum, & figmentum bonum, quæ sub nomine Angelorum suprà descripsimus, quorum numerus, juxta mentem R. Pinchas ad ternarium ascendit: quibus accedunt tandem duæ imagines, ita ut septem in universum vel octo sint juxta Pinchasum: Quamvis fortè R. Pinchas & R. Schimeon non admodùm discrepent: Non tantùm propterea quòd R. Schimeon hîc dicat, rectè dictum, quodque R. Schimeon duas esse asserens benevolè resalutet adversarium; sed quòd duo fortè sint & tres, eò quòd Angelus sinister, qui est figmentum malum, duas per vices agat partes, accusatoris nim. & quandoq; advocati, ut adeò duæ in ipso occurrant virtutes, duorumque loco unus ille haberi possit: Ut rectè adeò dixerit R. Schimeon Jochaides, & R. Pinchas, ille duos, hic 3. esse asserens; quæ tamen in unum recidunt. Cumque hactenus de forma hominis tam in genere, quam in specie locuti simus, nunc exponendum nobis erit, quid emolumenti habeat, quod in mundo hoc imo degat, cùm habitaculum ejus tam sublime sit.

Caput V.

Cui bono Anima in hunc mundum descendat.

EXpoituro mihi, quid emolumenti habeat Anima hoc in mundo, præmittendum est, hæc esse de Anima fundamenta, quòd ascendere debeat è mundo Operum ad mundum mercedis. Antequam enim descendat Anima, multa sanè desunt ipsi, quamvis in loco elevato satis, inque sublimitatibus mundi degat. Res autem ita se habet. Nulla est animæ existentia ante generationem superiorem: Post istam generationem autem nuda nihilominus est, nec vestitur nisi postquam descenderit in hortum Eden inferiorem, ubi vestis ipsi datur pura ex aëre Horti Eden: Atque sic gradus singuli elevandi aliquando tunc descendunt atque vestiuntur. Postquam autem hoc in mundo operam dat operibus Legis, tum digna fit veste pulchra, quæ vocatur tunica Magistrorum; estque vestimentum legis præceptorumque, quibus operam dat in hoc mundo. Hac igitur in veste ascendere meretur, ut videat faciem Domini Exercituum, Regemque & Patrem suum. Antequam enim hunc in mundum veniat, nuda est, & ex hoc mundo egressa progredi ad Regem nequit, nisi vestita vestibus Legis & præceptorum. Vestis enim aërea Paradisi simplex admodùm est & alba tantùm, omni decore vacua: Debebat autem esse byssina & purpurina, quæ sunt vestes decoris, nimir. spirituales, è præceptis constantes, quæ sunt tenuia & spiritualia, ita ut in illis admoveri posset altari per Sacerdotem magnum.

De vestibus autem istis videri potest R. Schimeon Jochaides, s.q.p. in Lib. Sohar Sect. Vajakhel, ubi sic ait: Ista duo vehicula intrant in palatium occultum horti, quod vocatur aloës, & ibi sunt reconditæ 12. species aromatum, de quibus scriptum est: Cant. 4, 13. *Nardus & crocus, calamus odoratus & cinnamomum, &c.* Suntque 12. species aromatum inferiorum. Et ibi sunt omnes illæ vestes animarum, quæ dignæ sunt iisdem vestiri singulæ pro meritis suis. In illa veste delineata sunt omnia illa opera bona, quæ hoc in mundo fecit: Inque ea hæc extat inscriptio: Hæc est vestis N.N. Hanc igitur vestem accipiunt, & illa anima justorum eadem vestitur ad similitudinem formæ hujus mundi, &c. Beatus ille, qui dignus est his vestibus, quibus vestiuntur justi in horto Eden; Illæ constant ex operibus bonis peractis ab homine hoc in mundo, juxta præcepta Legis. Et in illis persistit anima in horto Eden. Cùm autem

autem anima ascendit ad illam superiorem firmamenti portam, parata ipsi sunt vestimenta alia pretiosa atque sublimia, quæ constant è Beneplacito & destinato animi proposito erga legem atque è precibus: Cùm igitur ascendit ille, qui coronandus est, ista corona coronatur; aliqua autem pars ipsi residua manet, ex qua fiunt vestimenta lucida, quibus investitur anima, ut ascendat sursum. Et quanquam diximus, istas vestes, derivari ab operibus; non tamen derivantur nisi à via bonæ voluntatis (in ipso textu Sohar legitur: Non nisi à bona intentione Spiritus) &c. Luminare tamen Sanctum ait, vestes inferiores in horto terreno derivari ab operibus; superiores dependere à Spiritu, & à bona voluntate & intentione cordis. Quæ ut rectiùs intelligantur, sciendum, essentiam Neschamæ, Nephesch & Ruach, dum adhuc insunt radici suæ, antequam emanent, non esse terminatam existentia quadam definita; sed existentia ipsorum dicitur respectu extensionis & influxus eorum in fœminam, illa se habet ad instar lucis, aquæ, cœli: Id volo, quod ibi planè nullam habeant existentiam, sicut se habet semen, quod subsistit per tenuem quandam virtutem extensam in illud è cerebro, ubi nulla est seminis substantia nisi ad instar lucis, potentia nimirum congrua, è qua fieri possit semen: donec defluat in locum excoctionis: Per descensum suum autem efformatur in sanguinem, & in loco excoctionis demùm maturatur & convertitur in semen, cumque devenit in uterum, ex ipso fit forma illa. Et ita se habet Neschamah; Quæ in Binah est ad instar lucis: qualiter etiam se habet influentia congrua pro Ruach in חיה, & influentia congrua pro Nephesch in Malchuth. Nam per unionem demum influentia hæc redigitur in formam Neschamæ, & Ruach & Nephesch: Et per copulam sanctam atque puram è natura hac informi fit essentia formata.

His præmissis non difficile erit intelligere, quid commodi habeat Neschamah, si actu effluat è radice sua; quoniam hac

hac ratione adipiscitur formam. Animæ enim sunt progenies Dei, & pater & mater earum sunt חיה & Malchuth. Id saltem ulteriùs quæritur: Postquam jam emanarunt de radicibus suis in hortum superiorem, quò primùm prodeuntes naturam animæ sortiuntur; quare deinceps de horto delitiarum descendant in turpem hunc mundum: cùm longè foret melius, si ibi manerent. Hic enim subjecti sunt periculo deperdendi omne præmium; & quicquid à Deo boni illis tribui potest, in eo consistit, ut rursum eleventur in locum illum, unde excisæ sunt, unde sanè nullum animæ emolumentum, cum idem jam habuerint ante descensum suum; jam verò appropinquantes materiæ huic turbidæ omnino corruptionem aliquam patiuntur: Non est enim justus in terra, qui faciat bonum & non peccet? Ad hæc responderi potest ex prædictis. Cùm enim superiùs esset ante descensum in mundum hunc Asiah, nuda sedebat sine ulla veste, non visura Regem patrem suum ante descensum in hunc mundum: Tunc autem digna fit *tunica clavata* Gen. 37, 3. 2. Sam. 13. 18. quod est indusium Magistrorum. Sic enim vestiuntur filiæ Regis palliis, ut accedere queant ante faciem Regis. Præter istam duplici ulteriùs vestium specie opus habet, una nimirum pro Paradiso inferiore, & alia pro Paradiso superiore; idque propter duas ejus naturas, Ruach nempe & Neschamah: Ista enim tenuior, est in Paradiso superiore, & in Paradiso inferiore est Ruach, ut suprà memoratum.

Deinde alibi jam diximus de spiritualitate literarum earumque ascensu, & unione cum radice sua: Unde precum tempore, cum quis orat sine attentione mentis, oratio illa opus est adhibitione mentis carens; unde cùm ascendere vult ultra hortum Eden, non potest, eò quod opus ibi deficiat. Abhinc autem & ulteriùs exuendum est corpus & materialitas, quod est opus, scandendumq; ad naturam spiritualem, qualis est cogitatio & adhibitio mentis: Intentio enim est anima operis. Un-

de oratio illa è Paradiso superiore ejicitur, nec locum invenit ascendendi. Datur tamen etiam oratio, quæ ex parte ascendit in Paradisum; non tamen meretur progredi ad gradus intimiores. Sunt etiam qui dicunt tractando de Anima, ascensum fieri pro ratione operis, ita, ut si opera sint spiritualia & subtilia, ipsa deinde pro ratione vestis suæ magis magisque elevetur (cùm gradus superiores etiam sint subtiles atque tenues) ascendatque de gradu in gradum, quousque admittit natura vestimenti ejus, non admissa nisi eò pertingat meritum ejus ulteriùs pro ratione intentionis ejus. Et hinc intelligi poterit, quod dixit R. Schimeon Jochaides tract. de Palatiis in materia precum: Nimirum Orationé etiamsi admittatur in palatio primo, ulteriùs tamen examinari in palatio secundo: dariquè rationem, quare cùm dijudicata sit in palatio primo digna esse ascensu, tamen non admittatur in palatio secundo, & sic in palatiis cæteris. Item aliquando fieri, ut extrudatur è palatio quodam, postquam ibi antehac jam fuerat recepta; eò quòd condemnetur ex parte judicii. Ubi tamen dici nequit, quòd pravè judicaverint in palatio priori: Quamvis enim justificetur pro natura tenuitatis palatii unius, judicanda tamen ulterius est in secundò palatio, an etiam qualitates operum ejus congruant spiritualitati palatii secundi: Atque sic in cæteris gradibus. Et ex his intelligi poterit, quot rationes reddere teneatur homo à tempore mortis suæ usque ad revivificationem, sicut in Sohar traditur. Et sic quoque clarius intelligitur natura diei judicii magni; & quare, postquam jam judicatæ sunt & ad præmium admissæ in Paradisum, tamen iterum subjiciendæ sint judicio ad reddendum rationem: Nimirum ut appareat, utrum in ipsis reperiatur [illegible] illa meriti ad genuinum mundum venturum requisiti, qui demum post resuscitationem erit. Et sic quoque intelligi poterit, quod dixerunt M.N. b.m. Quòd nempe Moses audiens, quòd S.I. q. b.f. Abibam appellaret filium suum, sic allocutus sit Deum: Ostendisti

stimihi studium legis ejus; ostende mihi præmium ejus. Ubi vidit, quod carminaretur caro ejus pectine ferreo. Objicient autem an tale studium tale deceat præmium, responderit ille: Sile, sic ascendit in intentionem. Nimirum S.I. q.b.f. exactissimè agit cum justo pili instar; quia pro mensura operum ejus bonorum Anima ejus elevatur in gradus suos, ita ut etiamsi peccasset minimum in mundo peccatum, & minima laborasset macula, tamen non admittatur ad dignitatem gradus majoris, eò quòd exactitudo operum ejus eò non pertingat. Unde nisi puniretur & purificaretur ab illo, jacturam pateretur immanem, perditis operibus bonis, & meritò spiritualitatis eorum, (quæ gradatim ascendunt) propter peccatum illud: Quod tamen fieri non deberet: Unde Deus mundare illum studet, ut ingredi queat ad gradum illum operum ejus. Hinc cum justis accuratissimè procedit. Hic igitur erat gradus R. Akhibæ, cujus opera pertingebant usque ad intentionem summam: Hinc pœnam ejus tam magnam esse oportebat. Quantò enim altior est locus, in quê elevanda est anima, tantò major ob peccatum est pœna ejus. Unde Deus Mosi ostendebat, quòd eum pecterent pectine ferreo, ita ut gradus animæ ejus eò reperiretur insignior. Cùm enim esset perfectè justus, & tam insigne ejus studium in Lege; hinc tanta etiam præparatione opus habebat, ut anima ejus extolli posset in gradum operum ejus, quæ summum merita erant locum. Hinc admiranti Mosi Deus respondebat: Sic ascendit in intentionem: Id est, sic ascendit gradus operum ejus bonorum in gradum intentionis: Ut autem ad illum ascendere posset citra labem, hac priùs opus erat pœna.

Sed redeamus ad priora. Oratio igitur gradatim ascendens elevatur secundùm gradũ applicationis animi atq; intentionis in oratione illa vel opere præcepto adhibitæ. Opus enim non ascendit ultra Paradisum inferiorem: Nam ibi est mansio corporis. Abhinc autem & superiùs deficit virtus corporea, nec ido-

idonea est ad ascensum nisi anima orationis, quæ est intentio & qualitas ejus spiritualis. Atque eadem quoque ratio est circa præcepta: Attentio enim precum & operis juxta præceptum peracti sunt anima eorum, sicut dixerunt Magistri nostri b.m. Oratio sine attentione est sicut corpus sine anima. Et quoniam non omnes animæ similes sunt sicut nec omnes devotæ meditationes similes; hinc pro modulo talis devotionis magna erit anima. Et hoc ipsum est, quod suprà jam est monitum: Nempe parata ipsi esse vestimenta alia pretiosa, quæ constant de Beneplacito & attentione cordis circa Legem & Orationem, &c. Quando enim ascendit oratio, iisdem coronatur, & aliqua remanet portio. Notum enim, hunc esse finem precum, ut benedictiones superadducat mundo atque influentiam: Et quamvis illa toti mundo prosit; nihilominus de illa influentia atque luce, quæ descendit per preces, inibi relinquitur portio quædam, ex qua luce deinde fieri debet vestis tali animæ, cùm ascensura est in locum suum. Atque hinc intelligi poterit natura illarum vestium: Non enim è præceptis vestimentum ipsi fit, sed in quantum ille qui orat, vel opus aliquod juxta præceptum peragit, meretur, in tantum ascendit opus ejus vel oratio ejus per gradus superiores: Et palatia ista recipiunt; & inde ea suscipit Malchuth: Atque tunc istius virtute excitatur maritus, eique affluentiam largitur de gradibus superioribus, & propter illius dignitatem multa ipsi affluit influentia atque benedictio. Et de illa luce affluente tribuitur oranti portio sua, faciuntque quasi vestem. Et istæ sunt tunicæ Magistrorum atque præcepta, quæ stant coram Rege mundi, ut hominum merita propalent dicendo, Ego ab hoc vel illo prodii. Ergo pro virtute influentiæ per preces ejus producit quis dignus fit luce per lucem vestis suæ. Et hinc patet, quod etiam vestes illæ è luce constent superna nempe è luce Septrarum: Quanquam magna inter illas sit differentia: Anima enim per copulam maritalem prodit, sed vestes illæ è copula

Malchuth & נוה proficiscuntur, si nempe illa influentiam fortiatur multam atque bonam, lucemque magnam.

Caput VI.

Adhuc alia quædam de Vestibus, & de Israëlitis consideratis post statum cessantis impuritatis eorum, quare non intrent in Paradisum: item de Adamo primo, deque iis, qui non moriuntur in quo consistant gradu.

Huc pertinet adhuc alius quidam textus è Sohar Sect. פקודי cujus hæc sunt verba: Anima non ascendit, ut appareat coram Rege Sancto, donec digna fiat vestiri vestimento hujus mundi, & omnia sint juxta naturam illius loci, quò vadit. Atque id certum est, quòd non ascendat nisi in illa veste lucida. Et veni, vide. Adam primus, cùm adhuc in Paradiso esset vestitus erat veste superna: Quæ est vestis Lucis supernæ. Cùm autem ejiceretur è Paradiso & applicandus esset ad statum hujus Mundi; scriptum est: *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas עור pelliceas.* Prius enim habebant tunicas אור Lucis, quæ erat lux de lumine superno, cujus usus datur in Paradiso; de Paradiso enim lux affulget talibus superna, quæ inibi lucet, quaque utuntur illius incolæ: Hinc Adam primus cùm intraret in hortum, vestiebatur à S. I. B. vestimento illius lucis, atque illuc introducebatur. Et nisi priùs vestitus fuisset illa luce, non ingressus fuisset illuc. Postquam autem extrusus esset inde, opus habebat veste alia, &c. nempe prout opus erat. Sicquoque eodem modo hîc factæ sunt vestes ministerii ad ministrandum in Sanctuario, ad intrandum in sanctum. Jamque decisum est à nostratibus, quòd operabona, quæ homo peragit in hoc mundo, producant de Luce splendoris superni vestem aliquam, qua quis potest instrui & parari pro illo mundo, ut apparere possit coram Rege Sancto. Et de illa veste qua vestitur, frui quis potest & contueri speculum lucidum, sicut dicitur:

Ps. 27, 4. *Ad videndum amœnitates Domini & ad visitandum palatium ejus.* Unde Anima vestitur in utroque Mundo, ut sit perfecta in omnibus; nempe in hoc Mundo inferiore, & in Mundo superiore. Hinc s. e. Psal. 140, 14. *Veruntamen justi confitebuntur nomini Tuo, habitabunt recti cum vultu Tuo,* nempe in illo mundo. Hactenus textus in Libro Sohar. Hic primò dicit, animam non ascendere, &c. Nempe quoniam anima nuda est, antequam ex hoc Mundo abeat in vestibus suis honorificis. Quæ sunt vestes operum. Quòd autem dicit, id fieri veste hujus mundi, ista denotant eam vestem, quæ fit per opera peracta juxta præcepta in hoc Mundo: Hanc autem non potest accipere, nisi priùs veniat supervestienda hoc in Mundo, in quo præcepta & opera peraguntur. Porrò tradit hominem vestiri de luce superna, quam ipsi superinducunt opera, sicut & nos suprà diximus. Porrò dicit, opera illa de luce aliquid conferre, quæ etiam concordant cum assertis nostris, quòd nempe per preces & opera legalia uniantur Sephiroth & effundant lucem magnam; quodque de Luce illa portio homini reservetur, donec ascendat & illa superinvestiatur. Deinde hinc etiam intelligi poterit natura creationis Adami primi: Illius enim cultus consistebat in contemplatione & intentione, & studio atque intellectu occultorum de mysteriis præceptorum sublimium tantùm, quoniam non opus habebat veste de mundo operis, qui est Paradisus inferior, ut suprà dictum. Atque id confirmatur explicatione M.n.b.m. qui (Gen. 2, 15.) exponunt verba: Ad colendum per præcepta affirmativa, *& ad custodiendũ*, per præcepta negativa: Ubi quæri posset; quomodo Adam ibi potuerit arare, quoniam præceptum est: Deut. 22, 10. *Non arabis simul cum bove & asino?* Quæ quæstio etiam occurrit, circa spicilegia, angulum agri, & decimas pauperum, &c. Et responsio est, sensus ibi latere mysticos & spirituales: Et præceptum illud de aratione cum bove & asino; hunc sensum habet: Non combinabis duos istos cortices, ita ut illos secteris ipsis-

ipsisque vim tribuas vivendi. Et talis est aliorum quoq; præceptorũ sensus, qui pleniùs explicatur in Soh. Istud igitur est fundamentum illius cultus Paradisiaci: Opera autem hæc crassa locum ibi planè non habent. Postquam autem ejectus esset è Paradiso, tum sicut anima induta est veste corporea; sic & Lex corporeo induitur vestimento. Si cui autem corpus materiale exuitur, tum Lex quoque corpus suum deponit ut in genere & in specie quam subtilissimè secundùm sensus internos intelligi queat. Atque hoc est studium justorum in Paradiso. Et sic alia occurrit quæstio: Nimirum, cùm inter Iisraëlitas, dum starent super monte Sinai, cessaret impuritas ipsorum; quare non intraverint in Paradisum inferiorem, & quare coacti fuerint ulteriùs inhabitare mundum hunc? Ubi responsio est, quòd homo cùm expelleretur ex horto Eden, perdiderit vestem suam & remanserit nudus: Nam ab eis auferebatur אור Lux, & remanebant spiritus nuduli, veste carentes, donec Deus illos vestiret tunicis עור tenebrosis de aëre mundi hujus. Tunc aliquanto temporis spatio homo hoc in mundo persistit, donec per opera sua & impletionem præceptorum iterum vestiri queat in Paradiso, ut dictum suprà. Quamvis igitur inter Iisraëlitas cùm starent in monte Sinai, omnino cesseret impuritas eorum; nihilominus tamen si ingressi essent in Paradisum, nudi inibi stetissent sine veste, quoniam nulla adhuc impleverant præcepta, sine quibus nulla fit vestitio. Nec dici potest, illos potuisse ingredi illuc in vestibus hujus mundi, quia quamvis homo subtilissimi sit corporis, in Paradisum tamen intrare nequit cum materia hac turbida vivus, nisi exuerit vestem istam, atque ista fuerit absumta, ut vestiri queat vestibus illius mundi: Quoniam & Elias inter Angelos elevatus non retinebat vestem corpoream, qua indutus fuerat in mundo hoc, & sic alii quoque. Quomodo enim Sponsus inter Paranymphos & Paranymphus inter novos conjuges stare posset veste indutus aliena? omnes enim æquales ibi esse debent. Et si quæras, quæ sit

diffe-

differentia inter eos, qui vivi recipiuntur in Paradisum & justos hujus mundi? Scito, quòd illi, quibus degustanda est mors, ex parte adhæreant morti & cortices, qui sunt mors prædominentur illis, sicut toto dominantur in orbe; unde cum terra sint, in terram reverti coguntur, ita ut terra absumat corpus eorum: Unde etiam justissimi non digni sunt, ut vestiantur in Paradiso, antequam consumtum sit corpus eorum. Longè igitur excellentior est talis quidam justus, qui non cogitur degustare mortem: Illius enim corpus absumitur quidem, sed exustum virtute aëris puri & sancti, ita ut veste sua indui queat citra gustum mortis: Ibi enim cortices non sunt.

Caput VII.

De Vestium communicabilitate.

HIC inserendus est textus alius è Sohar Sect. אחרי מות cujus hæc sunt verba: Traditum est, quòd opera bona, ab homine hoc in mundo peracta, fiant ipsi vestis pretiosa in mundo illo. Quod si quis autem cesset benè agere inque eo prævaleant opera mala, ita ut, observante Deo, mala ejus opera præpolleant, ipsèque sit impius, & inveniatur peccare coram Domino suo, ut etiam pœniteat eum benè prius egisse; talis perit penitus in mundo hoc & in mundo venturo. Quid autem Deus facit ex bonis ejus operibus, quæ rectè fecerat? Quamvis enim pereat ipse peccator, bona tamen illa merita non pereunt. Si igitur justus aliquis est, qui in viis Regis superni quidem ambulavit, aliqua tamen vestium parte deficiat, illi Deus ab impii illius operibus defectum suum supplet, ut ornari queat pro mundo illo. Et hoc ipsum est, q.s. Ijob. 27, 17. *Parabit impius & justus induet.* Atque hoc vocatur tegumentum peccati. Quæ cum clara sint per se, ulteriore explicatione non egent. Talia igitur opera imprimis dantur justis illis, qui tolluntur in juventute sua, non impletis præceptis omnibus.

Caput VIII.

De Anatomia hominis eiusque membris.

§. 1.

CErtum est, quod prout dispositæ sunt res inferiores, ita superiores his adhærere desiderent, quod egregiè demonstari potest ex opere tabernaculi. Quoniam enim omnes illius partes tam generales, quam speciales designabant res supernas vehicula nempe superiora; hinc mundi illi currusque superni huc tracti ad typos istos influentiam contribuebant: Et quamvis typi per se essent mortui, tamen ob res designatas vita ipsis accedebat superna; unde Schechinah seu præsentia Domini in ibi habitabat, & gloria Domini tabernaculum implebat. Sic etiam cum corpore se res habet: Quòd si enim hoc assimilabitur rebus spiritualibus; tum spiritualia corporeæ huic moli quàm intimè adhærebunt illamque amplexabuntur. Ratio est, quod inferiora habitaculum sunt superiorum. Et sicut causatum desiderat ascendere ad Causam suam: Sic etiam causa desiderat ut causatum prope ad ipsam accedat. Et in hoc consistit connexio mundorum. Quod si enim Causa ascendere & causatum descendere studerent, nihil in mundo subsistere posset. Ex hac causa in Lege dicitur: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et hæc una est ex illis rationibus, quare Infinitum unitum sit cum modis suis ab ipso distinctis, de quo alibi. Juxta hæc igitur unio spiritualium cum corporeis non difficulter à nobis explicabitur. Atque sic etiam se habent gradus in tota illa concatenatione de Aziluth in Briah, de Briah in Jezirah, de Jezirah in Asiah, ubi forti omnia ligantur vinculo.

§. 2. Sic etiam anima concatenationes habet Causæ & causati, juxta gradus alibi dictos: Et corpus vehiculum ejus, quod Deus ipsi creavit, eidem simile est in omnibus partibus suis. Ut igitur aliquid dicamus de structura corporis, hic repe-

tendum est, quod tota Aziluth contineatur in Chesed, Din & Rachamim, Benignitate, Judicio & Miseratione, quæ sunt Gedulah, Gebhurah, Tiphereth, quibus singulis 72. sunt ramuli, qui omnes efficiũt 216. quibus si addatur scaturigo numeri 72. quæ sunt 32. semitæ Sapientiæ, tunc producitur numerus 248. quæ sunt 248. membra hominis; 248. virtutes supernæ, quæ sunt 248. præcepta affirmativa, 248. lumina ex parte Chesed.

§. 3. Porrò in homine sunt 365. venæ, juxta numerum 365. luminum, quæ in Gebhurah, quorum respectu data sunt 365. præcepta negativa: Et hi duo numeri efficiunt 613. quæ sunt 613. præcepta, quæ dependent à Nomine Tetragrammato, sicut uvæ à racemo. Et hæc de membris in genere. Specialium autem magnus est numerus. Capite enim designantur 3. priores & menynges, atque cranium, cutisque desuper Coronam Summam designat: Inque ea sunt capilli, ad denotandam radicem ejus supernam: Isti enim sunt mundi & canales prodeuntes è virtute Infiniti, quæ in ipso occulta latet. Et ut appareat singulorum pilorum capitis excellentia succum quilibet habet per se, assuctionem per se, unde validitas & vehementia elucescit influentiæ supernæ, à qua omnia emanata suum hauriunt influxum: Scaturigo autem summa Infinitum est. Hinc quilibet capillus per se subsistit, nec opus habet socio suo: Non enim invenitur egestas in loco divitiarum. Et notum est, quod quilibet capillus mundus quidam sit per se: Et quilibet radicem habet occultam, qua unitur cum Causa sua, sicut in ipso pilo apparet, cujus portio cuti inserta carnis naturæ propior est.

§. 4. Cerebrũ autẽ sub menynge in 3. dividitur partes quibus designatur triplex natura, quæ in Chochmah, quæ sunt Chochmah, Sapientia, Thebhunah Intelligentia & Daath, Scientia. Sic craniũ multa habet receptacula & cameras, quibꝰ designantur mundi occulti in mysterio 620. columnarum Lucis, quæ in Ke-

Kether. A cerebro autem dependent sensus, qui sunt; visus יה auditus, יהו olfactus, יהוה loquela. Porrò dicunt Anatomici, à Cerebro descendere 32. semitas in corpus, quibus designantur 32. semitæ Sapientiæ; Et hinc derivantur 32. scaturigines de capite in 32. dentes, qui etiam denotant 32. semitas Sapientiæ. Et dentes dividuntur ad modum spiritualium: Quatuor dentes superiores, & 4. inferiores, & duo canini superiores, & 2. inferiores, efficiunt 12. & quinque molitores ex parte dextra, & 5. ex parte sinistra efficiunt 10. in superioribus maxillis, & totidem in inferioribus. Et quia 5. sunt hinc, & 5. illinc & 6. in medio, hinc denotant duo He & Vav in medio, sicut in Tetragrammato, & Jod est Cerebrum omnibus imminens: Exinde enim omnes 32. emanant. Et quia invenitur הוה in dentibus superioribus, & הוה in dentibus inferioribus, hinc maris & fœminæ typus effulget; Et septeni imminent septenis, sicut 7. infundibula, 7. nempe canales candelabri superioris, sub mysterio influentis, & 7. brachia candelabri inferioris recipientis: Et hi sunt Tiphereth & Malchuth: Et spiritus qui inter eos è linea media, quæ coadunit eos prodiens virtute loquelæ. Et hinc intelliges, quare dicatur: Israëlitæ non loquentur כוב mendacium, quæ vox cum literis efficit 32. Porrò ore designatur Binah, & palato Chochmah. Et sicut attingi nequit Sapientia, ita etiam palatum in sese privatum est omni gustu. Sex annuli arteriæ asperæ denotant 6. Numerationes quæ in linea media. In facie sunt duo poma genarum, sicut poma superna, unde influentia descendit in Malchuth, quæ vocatur ager pomorum: Et color eorum ruber est, juxta illud: Amicus meus candidus est, & ruber. Et barba designat barbam Aharonis. Et duo oculi denotant duo Jod, nasus v. Vav medianum in litera א. Duæ nares designant duas influentias, quæ derivant è Tiphereth, dextra Benignitatem & sinistra severitatem. Porrò duo oculi etiam designant duo He, quæ singula constant è tribus Vav, qui sunt

tres Patres. Et pupilla oculi denotat Jod, quæ intra He: Albugo autem oculi naturam Malchuth designat, quæ vocatur mare. Et tunicæ oculi denotant 7. Numerationes: Et lux quæ in eis, Coronam designat: Et pupilla interior est Jod, quatenus combinat Binah, ejusque fundamentum est Chochmah; & si quis accuratè inquirat, ibidem inveniet Nomen cum plenitudine Jodin. Generalius oculis denotantur Chochmah & Binah, & Naso Daath intermedia, Fronte verò Corona summa. Et barba denotat Chesed, nempe mundos illos à Corona derivatos, sub mysterio 13. mensurarum miserandi, de quibus & Barbæ configurationibus videatur Idra. Collum deinde Binah est palmæ affinitate, cui etiam similis est statura corporis, ubi per transpositionem è קומה statura, fit מקוה cisterna aquarum: Ipsum autem corpus est Tiphereth, & duo brachia Gedulah & Gebhurah & sic cætera.

Caput IX.

Quæ ratione Anima unita sit corpori, & quomodo veniat in Mundum hunc.

§. 1.

PRæter elegantem hanc corporis structuram ibidem quoque habitat spiritus vitalis, qui non est ille, qui de altiori emanavit loco, sed natus in ipso corpore è subtili quadam materia, in quantum nimirum illa attenuari potest. In hoc vitali spiritu residet Nephesch, & in Nephesch Ruach, & in Ruach Neschamah. Hic porrò sciendum, omnia quæ homo agit, sursum ferri: Et sic etiam halitus oris se habet: ex illo enim fiunt literæ & spirituale quid, quæ ascendunt de causa in causam, usque ad locum debitum, ubi uniuntur cum radice animæ illius. Et hoc est mysterium novorum cœlorum & terræ novæ, quæ fiunt ab iis, qui noviter aliquid detegunt in Lege. Et huc etiam spectant preces. Et sic quodlibet opus intentione opus habet; & quò major est intentio hominis, eò major fit spiritualitas ejus. Cùm igitur quis copulatur cum socia sua perfecta intentione ad unionem Sponsi cum Sponsa directa, qua mediante in se derivare possit animam aliquam de Sanctitate, tunc sanè destinatur semini ejus anima quædam de animabus sanctis, præsertim si præmiserit preces debitas, ubi intentio duplicatur: Ex illo enim opere tunc corpus aliquod prodit & gutta idonea pro sancta illa anima. Et sicut ex unione maris & fœminæ corporali corpus provenit aptum animæ introducendæ: sic ex unione pulchrarum animarum, si tales sint in mare & fœmina perficitur intentio eorum, ut anima introducenda admodum proveniat decora. Desiderata igitur hæc intentio est gutta illa, quam elevat Angelus ille præfectus huic negotio impregnandi: Non enim gutta corporea hic intelligenda est: Nec nt conceptus de tali gutta, quæ perit, sed de cupiditate illa, qua homo incalescit ad emittendum semen. Cum igitur elevatur gutta ista sancta spiritualis ante Dominum exercituum, Judicem supernum, tùm judicatur super illa secundum intentionem suprà dictam, & decretum fit, & anima introducenda isti guttæ applicatur intimè. Et hinc quoque patet, quare consultum sit ducere filiam sapientis, ut nempe puriorem habeat animam, & meditari possit Divina. Et huc pertinet illud, quod dicitur de eo, qui sanctificat seipsum tempore concubitus. Porrò hinc elucescit, quare licitum sit coire cum gravida & lactante, quòd nempe si ad generationem corpoream non conducat talis concubitus, ad spiritualem tamen conducat, quoniam ob bonam intentionem talium conjugum uniùtur Sponsus & Sponsa in Divinitate, sicut per cætera opera. Et h. e. mysterium de Abraham & Sara, qui progenerarunt genituram supernam, animas nempe sanctas pro proselytis illis, de quibus dicitur: Genes. 12, 5. *Et animam quam fecerant in Charan.* Et huc etiam spectat materia de spurio, & similes. Cùm igitur gutta illa ante Regem devenit, infunditur ipsi anima.

ma. Et in Sohar traditur, quòd homo amore flagrans erga conjugem suam immittat in ipsam radium quendam de spiritu suo; & spiritus ille persistit in corpore ejus & incrustatur. Sic igitur anima illa superna demissa in prolem vestitur gutta illa spirituali intra animam uxoris, atque hæc imprægnatur, non tantùm per se, sed & quoad animam suam. Alia autem est ratio, cùm imprægnantur masculi; sicut Pinchas imprægnabatur anima Nadabi & Abihu, ut in Sohar traditur, & sicut Adam primus coadunebatur Abrahamo, Isaaco & Jacobo juxta assertum libri Sohar in Raja Mehimna & Tikkunim. Talis enim imprægnatio spectat ad mysterium μετεμψυχώσεως. Deinde anima in corpore sic habitat. Nephesch radicaliter habitat in spiritu vitali, qui est res Physica, qualis & in brutis datur, non vero emanans desuper, sicut 7. partes hominis, de quibus suprà; unde aliqui ipsum appellant Nephesch brutalem; quod brutis quoque vim tribuat vitalem. Nihil autem intelligit, sed vapor tantùm est fumosus, in cavitate cordis habitans & per totũ corpus dispersus: Et hic est vitalitas producta è subtiliatione materiæ in gradum figuræ hominis, sicut apparet in illis hominibus, qui procreantur per studium libri Jezirah. Et cùm spiritus hic vitalis habitaculum sit pro Nephesch, necesse est, ut similis sit ipsi Nephesch emanatione productæ per intentionem suprà dictam: Membra igitur ejus interiora pulcrè sunt ordinata, ut suprà explicitum est. Ad vitam deinde hanc opus est, ut extendatur & propagetur ad instar imaginis, quæ in corpore est. Et quoniam Nephesch illa admodum est tenuis; hinc opus habet re quadam etiam tenui, qua investiatur: Hic est sanguis tenuis in arteriis cordis detentus, quæ sunt arteriæ vitales pulsum habentes. Et quoniam iste ex vita hac propellitur in venas nondum compaginatis ossibus & nervis, sinè subsistere non posset, & facilè infirmaretur; hinc deinde opus est structura ossium, quæ quasi pontes sunt, super quibus provehi possunt venæ illæ. Et quia ossa dura sunt & inæqualia,

lia, carne opus est, qua coæquentur, unde tandem forma illa humana supernæ similis, intra quam venæ latent hepatis, in se quasi mortuæ, nec alii fini destinatæ quam rigando huic horto carneo. Porrò spiritus ille vitalis in homine permanet, etiam somni tempore, [illegible] ab homine aufertur Nephesch ejus, ut rationem reddat coram Creatore suo: Atque tum spiritus ille vitalis interea œconomiam conservat humanam: de quibus videatur Sohar S. Lechlecha. Et sicut spiritus iste vitalis vehiculum est gradûs Nephesch, ita Nephesch vehiculũ est ד״ר Ruach & Ruach Neschamæ: Eaque omnia per Zelem imaginem illam suprà descriptam. His positis nemo mirabitur, quomodo anima, quæ tenuis & spiritualis est, uniri queat cum corpore, quòd spissum & materiatum est.

Caput X.

De corruptione Animæ & excellentia pœnitentium.

Sunt qui dicunt non esse peccatum in Neschamah, sed tantùm in Nephesch, eò quòd in tota Sectione de Sacrificiis nihil inveniatur de Neschamah vel Ruach, si fortè peccaverint; sed si Nephesch peccaverit: Item: Et Nephesch peccans moriatur: Non enim datur mors, nisi quoad Nephesch, unde dicitur: Job. 14, 22. *Et Nephesch ejus super ipso dolebit.* Ruach enim etiam tollitur quamprimum homo incidit in manus peccati. Sed hæc sententia non ab omnibus probatur. Et verum quidem est, quod excisio & perditio competant ד״ר Nephesch, non autem cæteris partibus, sicut etiam in Sohar latiùs explicatur, quòd nempe pœna peccatorum hac in parte luatur, quòd de excisione intelligendum. Cæteræ autem partes inquinantur tantùm, & deinde purificandæ sunt ab immunditie sua per fluvium ignis. Hinc igitur & ex aliis locis libri Sohar patet, quòd etiam Neschamah corrumpatur & inquinetur. Sicut enim è summis emanat Neschamah; ita character essentiæ

ejus

ejus effiguratus manet in loco illo, unde excisa est, ituris tenuissimis & pulcherrimis: Gradus autem ejus ordine descendunt ad instar scalæ, donec descendat in mundum istum infimum: de quibus hæc extant in Tikkunim: Vestigium Neschamæ effiguratum est superiùs, sicut definitum est de Jacobo, quòd figura ejus exsculpta sit in throno Gloriæ, unde omnes animæ excisæ sunt: Atque illa figura furium designata typus est istorum quæ infrà sunt. Et de typo illo superno, deque iis quorum figura infrà est, dicitur: *Et ecce Angeli Dei ascendunt & descendunt in ea.* Nimirum ascendunt & contemplantur effigiem animæ in luce existentis inque sculptura; & illa exhilarantur: Sed & descendunt & contemplantur typum effigiei inferioris visuri an non mutata sit à forma superna. Hæc ibi. Hinc patet, quæ sit animæ cognatio: Unde summa illa Neschamah, quatenus per gradus suos affinis facta est corpori, quamvis à corpore semotior sit, omnes tamen corporis operationes persentiscit iisque necessariò corrumpitur. Sicut enim gradus sunt in Sanctitate, ita gradus sunt in impuritate; & sicut homo cùm peccat, virtutem impuram in se derivat, ita similem derivat in Neschamam suam. Nam etiam in immunditie natura datur subtilior, quæ quasi Aziluth est impura: Unde qui seipsum inquinat, Neschamam suam inquinat, atq; corticibus involvit tam tenuioribus quam crassioribus. Et sicut in virum probum Sanctitati adhærentem per opera ejus multa pro illius Neschamah affunditur influentia è loco superno juxta gradus suprà dictos, unde intellectus ipsi datur atque Sapientia, ut videre est in Prophetis & iis qui loquuntur agitati Spiritu Sancto, qui usque adeò adhærent Creatori suo, donec spiritus ille attrahatur super animam eorum, eidemque inspirantur mysteria superiùs accepta & verba Sapientiæ occultæ: Sic etiam in impuritate est. Quamprimum enim peccat homo, virtus quædam immunda in ipsum habet dominiũ pro majori vel minori gradu operis ejus mali; Quod latiùs deducitur in Sohar Sect. Kedoschin, & Sect. Naso, ubi hæc: Cum homo ambulat in viis legis, attrahit sibi Spiritum Sanctum supernum, s. d. Donec effundatur super nos Spiritus ex alto. Sed cùm homo deflectit viam suam, attrahit sibi Spiritum de parte adversa, quæ est pars immunda, quæ excitatur ex parte foraminis Abyssi magnæ, ubi sunt mansiones spirituum immundorum, qui noxii sunt hominibus & vocantur noxæ Mundi. Hæc igitur impuritas est corruptela illa, cui succumbit Neschamah. Et corruptela hæc non abluitur nisi conversione. Dum enim quis revertitur ad Deum suum & seria ducitur pœnitentia, prout magis vel minùs involutus fuerit cortici, seque ipsum humiliat, donec confringat cortices illos, intra quos peccato suo introiit; tunc redire potest Neschamah ejus in locum sanctum gradumque spirituale assequi. Et hinc intelligi potest, q. d. Ad locum illum, ubi pœnitentes consistunt, non pertingere perfectè justos. Si enim quis corticibus involutus illos perfringat & prosternat, ipsosque & potentiam eorum humiliet & confringat, magnus sanè gradus est, quoniam præter conversionem suam perfectam reditumque ad locum pristinum, hîc reperitur subactio & confractio corticum, quæ non reperitur penes justum, qui planè non peccavit; quamvis enim hic se probè gerat, tamen nihil destruxit alieni, nec confregit cortices, quorum vis adhuc integra manet ad nocendum aliis coram Domino suo. Et de his multa habet Sohar Section. Vajikra in textum illum: Psalm. 51. *Sacrificia Dei, &c.* Et res ista non est vilis, sed potiùs fundamentum & columna mundi. Sic etiam Abrahamum oportebat descendere in Ægyptum ad subigendum vim corticum illisque involvi & inviolatum egredi. Nisi enim ingressus esset, non potuisset fieri vehiculum Chesed. Vid. Sohar Sect. Lechlecha, ubi etiam de Israëlitis, quare in Ægypto detenti fuerint, & de terra Sancta, quare fuerit,

rit sub Cananæis. Sic & Bathscheba prius data fuit Uriæ, antequam illam duceret David, de quo plura in Sohar Section. Noach.

CAPUT XI.

De Violatione Summarum Radicum.

EXposita corruptione animæ in seipsa, nunc dicendum etiam est de corruptione & violatione, quæ suprà contingit. Cùm enim Cap. præcedente dictum sit, in quantum natura animæ in supernis inveniatur, sciendum jam est, per operationes ejus omnia violari cum certa tamẽ differentia. Sicut enim cùm quis Nephesch suam tali peccato violat, quod morte non plectitur, in se non attrahit virtutem quandã usq; adeò impuram, sed ex parte tantùm, qui est gradus aliquis corticum: Dantur enim cortices etiam tenuiores & molliores. Sic etiam è contrario. Quanta igitur oneratur influentia, tãta superiùs oritur violatio. Cortex enim dominium acquirit in loco illius peccati, ad quem pertinet præceptum. E.g. si quis transgreditur præceptũ aliquod levius, circa mores, tum cortex dominium acquirit super locum illum, ubi invenitur natura animæ ejus superna. Prout quis submittitur cortici infrà, sic idem quoque suprà fit. Non tamen putandum est, corticem subintrare locum sanctum. Sed hæc est mens, Judicium sic exposcere: Hæc anima avulsa est & hinc ejicienda è loco sancto; dominium enim in illam habet cortex tenuis. Quòd si autem quis graviori succumbat peccato, erga Sephiram quandam, ut cortex etiam dominium habeat in Neschamam illam subtilem supernam, tum hæc ejicitur è loco suo, & hinc violatio exoritur superiùs, atque truncatio plantarum, quoniam locus ille vitium passus est, & Neschamah intra cortices abiit. Et sicut de operibus bonis

bonis vestes fiunt justo; sic de operibus malis sordidæ vestes fiunt peccatori, de quibus intelligendus est locus Zach. 3, 3. ut latius deducitur in Sohar. Et ex istis vestibus argumentandum ad violationem superiùs exortam in gradibus sanctis. Ista enim vestis *portio hominis est ex omni labore ejus.* Cùm enim impius v.g. orat, cortices sic contra ipsum insurgunt dicentes: Ecce preces istius in usum nostrum fiunt. Atque tunc influentia pro ipsis dimanat, ut ita *ancilla hæres fiat Domina suæ.* Et hæc de violatione.

FINIS.

THESES CABBALISTICÆ.

צמצום

1.

DEUS creaturus mundos Contraxit præsentiam suam.

אויר קדמון

2. Unde spatium quod dicitur Aër primus.

רשימו עילאה

3. In hoc remanserunt Vestigia Lucis divinæ.

אויר קדמאה

4. Quæ etiam dicuntur Aura prima.

טהירו עילאה

5. Et splendor supernus.

6. Nutu divino autem descendit Jod ultimum Nominis 63.

7. Et in Aerem primum Lucem immisit aliquantò crassiorem.

8. Mundi enim non poterant provenire ibidem ob nimiam tenuitatem & lucis copiam.

9. Mox autem regressa litera Jod ad sublimia, secum elevavit aliquid de supra dictis Vestigiis.

10. Per Lucis autem evibrationem & recessum, nec non Lapsum, Benignitas denotatur & Judicium.

11. Regresso Jod, aliqua pars de Aëre primo aliquantum condensata est, ortaque Sphæra splendoris.

12. Qui splendor postmodum extensus est intra Aërem, donec istius spatium paulatim impleretur.

13. Cùm autem nec in hoc splendore subsistere possent mundi ob nimiam lucis copiam & tenuitatem; nutu divino iterum descendere debebat Jod; ad alterandam Lucem.

14. Quia autem primitùs omnem Lucem suam in Aëre primo reliquerat, nec jam vires ipsi suppetebant ut descendere;

ret; hinc Lucem assumebat He præcedentis, descendensque splendore perfisso intra Aërem primum lucebat; atque iterum recedebat.

15. Ex hoc regressu altero extitit intra splendorem Sphæra alia, quæ dicitur Corona; in qua potentialiter latebant omnes Sephiræ.

16. Ut autem Sephiræ illæ è potentia prodirent in actum, Dei nutu, Jod illud rediens perfissa Corona ibi lucebat mox iterum recedens tertiò.

17. Ex hoc lucis accessu atque recessu manifestabantur omnes reliquæ Sephiræ quasi condensatæ, ut dignosci possent: erantque intra Coronam figura Sphærica.

18. In tertio hoc Recessu Jod, Deo innuente, non penitus ascendit ut antea, sed fixum manebat in superficie Vasculi Coronalis.

מטי ולא מטי

19. Et quia producenda primùm erat Sapientia, è Corona, Eadem litera Jod Lucem atque Influentiam insignem vibrabat in illam Sapientiam: Apertâ ergo Sphærâ Coronæ prodibat Sapientia, considens subter fundo Coronæ, & intra se continens omnes Sephiras reliquas.

זין

20. Influentia illa luminosa Literæ Jod summitati Coronæ adhærentis lineam quandam constituebat lucidam, cujus initium prodibat ex ipsa litera Jod, finis autem ad Sapientiam pertingebat, eidem adhærens.

קו המודה

21. Pars ima hujus Lineæ ob nimiam Influentiam ex ipso Jod descendentem in Sapientiam, usque adeo adaugebatur & dilatabatur, ut illa extremitas quâ Sapientiæ inhærebat, excresceret in Naturam alterius literæ Jod, cujus imum in ipsam Sapientiam intrabat; corpus verò desuper eidem imminebat.

22. Prodeunte igitur Sapientia è Coronâ, hoc ipsum Jod

Jod, cum illâ protrahebatur, ita ut jam duo Jodin in eadem exifterent lineâ, pro derivandâ ulterius influentiâ.

23. Jod igitur hoc fecundum per apicem imum Sapientiæ infertum influentiam affundebat Prudentiæ cujus Sphæra intra Sapientiam erat, quæ inde vires acquirebat prodeundi, & intra fe colligendi reliquas Sephiras; & Prudentia prodibat cum cæteris intra fe contentis.

24. Hujus quantitas tertiam tantùm Sapientiæ partem exæquabat; qualitate autem Vafis, Sapientiæ admodum erat fimilis, multoque pollebat fplendore, hinc non fub fundo Sapientiæ penitus refidebat; fed poft illam declinabat verfus finiftram ejus defcendendo ad regionem pedum ejus.

25. Cum autem Lux fuperna nihilominus copiosè affloueret foli Sapientiæ Vafculo, & hoc per fe quoque multo abundaret fplendore, hinc etiam retrò Vafi Prudentiæ fua dabat commoda, ad illud fpontè inclinata.

26. Prudentia autem ob influentiam à tergo Sapientiæ ipfi accedentem facultate pollebat de fefe producendi omnia feptem Vafa reliqua, quæ concatenata ex ipfa prodibant.

עולם הנקודות

27. Primùm Bafileia & ultimò Benignitas ad inftar annulorum in catena fibi invicem adhærentium. Et hæc fuit ftatio illarum in Mundo Punctorum.

94. צֹאן 94. הלון

28. Egreffis ita 7. inferioribus, Influentia è Caufa Caufarum per fplendorem & Jod primum, atque fecundum, derivata è Fenestra Sapientiæ in Latere ejus exiftente in Prudentiam profluebat, unde Vafa reliqua ordine adimplebantur.

29. Nimirum Binah omnem Influentiam fuam affundebat Gedulæ, quæ cum tantam Lucis copiam fuftinere non poffet, fractum eft Vas ejus, influentiâ illâ ad Gebhuram prolapsâ; quæ & Ipfa confracta eft, & fic porro.

30. Vafa hæc confracta non tamen deftituta funt omni Luce,

Luce, fed aliquid hujus adhæfit lateribus fragmentorum, quæ vocantur Guttæ feu fcintillæ.

31. Fragmenta autem hæc delapfa funt in locum, qui deinde dictus eft אבינ׳.

32. Et ex illis facta funt Judicia, & Cortices, & bonum atque malum; cum fine fracturâ hæc omnia non nifi bona fuiffent; nec fuiffet liberum arbitrium.

33. Et fcintillæ illæ abforptæ funt in 4. gradibus רצוֹת.

34. Jefod non omnem influentiam ab Hod delapfam fimul accipere decreverat, fed aliquam faltem partem fufcepit, quam paulatim derivabat in Vas Bafileiæ. Portio autem reliqua nihilominus ipfi prævalebat, ut frangeretur.

35. Vas verò Bafiliæ, quamvis & fuftinere non poffet influentiam illam, tamen non frangebatur, fed tantùm comprimebatur, unde Lucem reliquam defcendentem non poterat admittere. Unde etiam tales inde non facti Cortices, ut de reliquis.

36. Vas tamen Jefodicum non confractum eft ftatim, ut reliqua, unde dicitur Vivum.

37. Peracta fic confractione, fragmenta delabebantur; Lux illorum verò furfum redibat in Binam.

38. Relictis tamen Veftigiis ubicunque pertranfierant Vafa & fragmenta, ad inftar arboris cum 7. ramis.

39. E quolibet autem Vafe facta funt 60. myriades fragmentorum.

40. Et in quolibet fragmento fuerunt 60. myriades Punctorum, quæ aliquando dicuntur Animæ.

41. Exinde autem exorti funt 4. mundi, nempe ubi advoluta eft Vaforum pars anterior, Aziluth, ubi dextra, Briah, ubi finiftra, Jezirah, ubi poftcrior, Afiah.

42. Quatuor ifti mundi autem primitus permixti erant invicem ad inftar Materiæ primæ.

43. Chochmah autem & Binah, vifo lapfu inferiorum, præ

præ metu contraxerunt vasa & dimiserunt aliquid Lucis; & ex illa portione quæ prodiit è Chochmah extiterunt Nobeloth Chochmah, ex altera, quæ de Binah, Nobeloth Binah; i. e. Decidua.

44. Lumina autem septem horum inferiorum quæ in Binam redierant, singula constabant è Decade sua. Binah G. igitur ex illorum congerie seligebat 7. Coronas H. eorum, illasque sursum mittebat per Chochmam F. in Coronam C. B. Basiliæ A. Coronalis.

45. Nam è 9. supernis A. Coronæ factus erat Adam primus occultus, unde ex Decade Coronali non supererat nisi B. Malchuth, cum sua Decade & Decadibus subalternis.

46. Et sic in Chochmam ibidem D. quoque mittebat 7. Chochmas.

47. Totidem Binas autem mittebat in Binam E.

48. Deus igitur producturus 4. Mundos, in debita perfectione, nutu vocabat Coronam C. Chochmam D. & Binam E. quæ in illa Corona f. d. A. ut primum prodirent in actum; quæ etiam prodeuntes Catenæ instar sibi invicem subnectebantur, perficiendæ in Personam.

49. Et quia in tribus illis Heptadibus H. I. K. in Coronam C. Sapientiam D. & Intelligentiam E. sublimatis, singulæ Sephiræ suas continebant Decades, hinc omnes illæ septem Coronæ Heptadis Coronalis a. constituebant Coronam unam f. in Corona C. Basiliæ B. Coronalis A.

50. Et septem Chochmæ illæ ejusdem heptadis b. constituebant Chochmam unam g. in eadem Corona C.

51. Et septem c. Binæ ejusdem Heptadis Coronarum unam constituebant Binam h. in eadem Corona C.

52. Et sic septem Gedulæ, d. & 7. Gebhuræ & reliquæ Heptades Sephirarum suas constituebant Sephiras.

A. Coro-

A. Corona in integritate relicta, è cujus 9. superioribus factus est Adam primus occultus; ita ut non remaneret nisi

B. Malchuth.

C. Kether.

f Kether.

h חב	g חס
i יד	
l לג	k גב
m חת	
o הס	n נב
p פ	
q מ	

D. Chochmah.

r רב	
t יב	s חס
u יד	
x אג	w גב
y יח	
z הס	v נב
β פ	
γ מ	

E. Binah

δ כב	
ζ יב	η חס
θ יד	
ι גב	κ פג
λ אח	
μ הס	ν גב
ξ פ	
ο מ	

H. Coronæ.

	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
a	כ	כ	כ	כ	כ	כ	כ
b	ח	ח	ח	ח	ח	ח	ח
c	ב	ב	ב	ב	ב	ב	ב
d	ג	ג	ג	ג	ג	ג	ג
	ג	ג	ג	ג	ג	ג	ג
	ח	ח	ח	ח	ח	ח	ח
	נ	נ	נ	נ	נ	נ	נ
	ה	ה	ה	ה	ה	ה	ה
	י	י	י	י	י	י	י
	מ	מ	מ	מ	מ	מ	מ

I. Chochmæ.

	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
e	כ	כ	כ	כ	כ	כ	כ
	ח	ח	ח	ח	ח	ח	ח
	ב	ב	ב	ב	ב	ב	ב

&c.

K. Binæ.

	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
	כ	כ	כ	כ	כ	כ	כ
	ח	ח	ח	ח	ח	ח	ח
	ב	ב	ב	ב	ב	ב	ב

&c.

F. Chochmah } In punctis quarum illa G. Binah } altior est hâc.

53. Atque sic exorta est Persona Kether C. tali Sephirarum ordine, qualis apparet in f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q.

54. Et hoc ordine constituebatur & Persona Chochmæ D. nempe è 7. Chochmis I.

55. Quod etiam faciebant 7. Binæ K. pro Binah E.

לא

STATIO.

C. Kether.

כ

ב	ח	
	אין	
	D. Chochmah.	
	כתר	
	כ	
	ב ח	אריך
		E. Binah.
ד		
ג ג		
ת		
ה כ	ג ג	[כ]
	ת	ב ח
		ד
'		

מ

רוש דלא אתידע

56. Statio autem trium illarum Personarum talis erat, ut pertingerent usque ad finem splendoris, locarenturque alia intra aliam, ceu vestem suam, eminentibus tamen supernis in hunc modum: Kether C. Regni B. Coronæ A. præ Chochmah D. eminebat unam tertiam; & Chochmah illam tegebat à Gedulah usque ad finem. Eminentia autem hæc, nempe Kether, Chochmah, Binah, Coronæ C. Regni Coronalis vocatur Caput quod ignoratur: item Cranium: item Caput quod non est Caput. Atque hinc sursum pergendo locum habet appellatio Æn-Soph.

ריש דאין

57. Binah autem quia quantitate quasi exæquat Chochmam, hanc superintegebat ferè totam, exceptâ tertia parte Coronæ ejus, quæ supereminet, diciturque Caput Non-Entis. Cohærent autem Arich & Ain faciebus ad invicem versis.

אריך

58. Ipsa autem Binah vocatur Longanimus.

59. Elevatio autem 3. illarum Sephirarum propterea facta est, ut cujuslibet rei quædam esset radix in supernis; & hæc

hæc est Radix Cerebrorum; ibidemque radix est omnium Animarum.

60. Postquam autem Binah sursum misisset 3. illas Heptades Coronarum, Chochmarum & Binarum, decidebant ab ea reliqua Lumina, sex nempe Vasorum fractorum, sequentium, & ab illis factus est Seir Anpin.

61. Antequam tamen id fieret, Deus voluit, ut familiaritas intercederet inter Chochmam & Binam Mundi Punctorum, qualis extiterat inter Easdem Sephiras è Corona productas: unde jussit ut se invicem amplexarentur, dextris ad sinistras applicitis.

62. Quo facto Flamma prodiit ab Arich ut conformarentur in Naturam Maris & fœminæ, & dissecuit eas (per media pectora) & hoc est mysterium Serraturæ: ita ut Binah relinqueretur cum sinistra Chochmæ, & Chochma cum dextra Binæ.

63. Cum autem nondum sibi constaret Natura Personarum, Nutu jubebat Deus, ut Arich extenderet quartam dextræ suæ, (i. e. Gedulam & quartam supernam Pulchritudinis à dextris versus Gedulam ejus) quæ quarta contegeretur à Chochmah Punctorum & hinc conficeret Persona Chochmæ: concurrente & de facie ad faciem Longo.

64. Nec minus, ut idem Longus è brachio suo sinistro (quod est Gebhurah, & quarta sinistra Pulchritudinis è medietate ejus superna) construeret Binam Punctorum, ita ut Gebhura & quarta illa Pulchritudinis contegeretur à Binah illa, quod sic factum: & Chochmah dicta est Pater, Binah autem Mater.

אין Chochm. Kether.	
כ	
ב ח	Arich-Bin.
ג ג	כ
ת	ב ה

è ג & ת ד Arich factal è ג & ת facta
Chochmah, Abba. | Binah, Imma.

65. Chochmah autem & Binah Longi cum Daath vocantur 3. concavitates Cerebrorum, item tria Cerebra; Et illarum Luce, ob nimium fulgorem non poterat uti mundus.

66. Cum autem ad structuram hanc etiam concurreret qui Non dicitur, à Capite nimirum usque; duæ quidem videntur Personæ tam in Chochmâ, quam in Binâ; duæ tamen non sunt, sæpè enim cohærent invicem; Persona igitur Chochmæ locum habet usque ad umbilicum Patris, & abhinc deorsum dicitur Iisraël senex: & Persona Binæ sic appellatur usque ad umbilicum Matris, & abhinc deorsum dicitur Tebhunah seu Intelligentia; uxor Iisraëlis Senis. Keneseth Iisraëlis autem est Malchuth Tebhunæ. Et sic etiam duæ videntur Personæ in Seir, qui supra umbilicum dicitur Puer Iisrael: & infra eundem Jaacob; nec minus in Regno ejusdem quæ uxor ejus, Rachel & Leah occurrunt.

67. Cùm autem hoc modo non conncinnarentur nisi Gedulah & Gebhurah cum medietate superna Pulchritudinis; hinc tertia inferior cum medietate Pulchritudinis inferiore plorabant, propter Lucem Tehiru, metuentes ne frangerentur, hinc jubebat Deus uttertia hæc inferior i.e. נהי & medietas in-

inferior ת reduplicarentur in medietatem ת supernam, & tertiam mediam, Gedulæ & Gebhuræ.

68. Conduplicatis ita נהי cum dimidiâ תת congregata simul cum illis ascendebant 7. Lumina Vasorum confractorum è Binah delapsorum.

69. Sex autem ex illis coibant in locum unum, nempe in Nezach Longi, dilatata per totam illius Decadem.

70. Malchuth autem, cujus Vas tantùm Compressum erat, secedebat in Hod Arich. Et huc pertinet actio Lunæ adversus solem; quod nempe duo Reges una non possent uti Corona, (i.e. simul stare sub medietate תת, quæ instar Coronæ super נה.

71. Jussit igitur Deus ut Seir ascenderet in umbilicum Arich, in תת Pulchritudinis, Malchuth verò illum sequuta, esset cauda omnium.

72. Cum autem Seir & Uxor ejus adeò essent in umbilico Arich, adhuc erant sub natura Guttarum. Ut igitur conformarentur ad Naturam Personæ, Deus mandavit Longo; ut unam Guttam traderet Patri, unde Gutta illa ascendebat in Daath Arich, quæ locanda è regione Jesodi ד Lo: quo cùm pervenisset, eam dabat Patri, per caviratem cerebri ejus; ex hinc eadem descendebat per medullam spinalem & 18. vertebras usque in נה ad Jesod Patris, ubi confiebat inde semen: quod excoctum pergebat ascendendo usq; ad orificium membri Paterni, quod est תת Jesod in Patre. Et tunc inclinabat se Pater versus Matrem sinistrorsum, & mater patrem versus, & hæc accipiebat semen hoc in collum suum uterinum, quod est Jesod Matris.

73. Notandum autem in Patre reperiri Tetragrammaton Joddatum h. m. יוד הי ויו הי, ita ut in capite atque fronte ejus sit יוד plenum, à dextris atque sinistris הי primum & ultimum, ויו autem in medio.

74. Ut igitur è gutta illa fieret Persona, Seir, Jod plenitudinis

tudinis He primi dextri in Patre affulsit illi guttæ, in utero matris existenti; nec minus fulgorem admovit plenitudo יה: & gutta illa coagulata est ad instar lactis.

75. Huc contribuit etiam splendorem Jod plenitudinis He ultimi, quod Judicium denotat, formavitque in ea incisiones membrorum Seir; & adhæsit ipsi Malchuth.

76. Mox etiam Vav plenitudinis יו irradiavit, cumq; formavit ut haberet sex extremitates.

77. Deinde Pater זו Seir dabat literam Daleth plenitudinis Jod, per Matrem, quæ in eo absorpta, & fulgorem emittens, efformabat Basiliam sub mysterio caudæ; seu personæ minoris.

78. Porrò Pater etiam Vav de plenitudine Jod matri præbebat, ut omnia membra Seir exactiùs formarentur, atque singula dignosci possent; ubi nempe Gedulah ubi Gebhurah, &c.

79. Tandem eidem etiam dabat crus He ultimi: atque sic conformabantur membra Seir, ejusque cutis, & caro, & ossa, atque venæ, nervique.

80. He ultimum autem jam remanebat ad instar Daleth, quæ dabatur uxori; ut perficeretur & ipsa. Atque sic Seir & uxor ejus è nomine עֵץ capiebant, 3. Jod. 3. Vav. & 2. Daleth; quæ sunt 56. Restant יהוה initialia.

81. Nec defuit Mater in structura Seir, sed & ipsa suam addidit portionem, cum 5. Gedulis & 5. Gebhuris suis.

82. Membra autem Seir facta sunt h. m. Chochmah & Gedulah, (quæ sunt 2. Chasadim priores) factæ sunt per mysterium osculorum, Pater enim matrem osculabatur facie ad faciem conversa, unde duplex osculum, & sic mater, unde iterum duplex osculum. Ex osculis ergò Patris (quæ sunt Chasadim) exortæ sunt Chochmah & Gedula זו Seir; quæ etiam Chasadim. Ex osculis autem Matris quæ Judicia, exortæ sunt Binah & Gebhurah quæ etiam Dinim.

83. Et quia singulis osculis adest halitus quidam ab ore egrediens, hinc ex uno halitu Patris factæ sunt medietates dextræ Coronæ & Daath זו Seir; & ex altero, Nezach Seir: dein ex uno halitu matris factæ sunt medietates sinistræ in Kether & Daath זו Seir, & ex halitu altero Hod ejusdem.

84. Et quia Halitus illi habent naturam spiritualem, hinc ex illis factæ sunt 4. Sephiræ illæ. Kether autem Chochmah & Binah nondum erant actu, sed saltem potentia, & præ subtilitate vix poterant dignosci. Ex universalitate autem omnium osculorum, facta est חוֹת: & ex Universo genere Halituum factum est Jesod, Ex loquela autem quæ ad Patrem solum refertur, ob mysterium blanditiarum, facta est Malchuth.

85. Et quia Kether Chochmah & Binah adhuc saltem materia prima erant, ad instar punctorum, jam dicendum, quomodo acceperint naturam Vasorum. Sciendum igitur quod cum 7. illæ Coronæ, & 7. Chochmæ, atque 7. Binæ ascenderet in Kether Basiliæ Coronalis, ex mundo punctorum, nempe ex Matre, hæ omnes ibidem reliquerint vestigium: sicut etiam tale vestigium reliquerunt in Patre in transitu nempe: Decidua igitur Patris & Matris coaluerunt cum punctis vestigii hujus, & simul delapsa sunt. Cum autem reduplicaretur tertia in tertiam in Arich, iterum collecta etiam ascenderunt Lumina vestigii hujus, sicut factum erat, in reliquis 7. Luminibus. Sed non commixta sunt cum iis, quæ è confractis provenerant, eò quod tenuiora essent.

86. Et è luminibus Vestigii hujus facta sunt Cerebra Seir; nempe Kether Chochma & Binah, quæ antea nondum poterant dignosci.

87. Notandum autem quod tempore partus demum Lumina hæc Pater dederit Matri, per Jesod Abba & Imma, Mater autem eadem dederit Seir & Uxori ejus, unde Vasa istorum cerebrina.

88. Sicut autem embryo in utero Matris non videtur habere Caput, cum illud lateat inter Genua, & tempore partus demum erigatur; Sic etiam Seir se habebat; quoniam puncta vestigii Vasis cerebrini præ subtilitate vix poterant dignosci.

89. Cum autem Seir & Uxor ejus prodirent atq; nascerentur è Matre, Uxor ejus cum ipso cohærebat à tergo erga pectus ejus; ita ut unum saltem constituerent tergum: postmodum autem dissecti sunt; atque hæc est vera illa serratura, qua tergum unum dissectum est in duo, quod si enim duo fuissent terga, videri poterat, non nisi separationem factam esse.

90. Et quoniam parvæ adhuc erat staturæ, nec pertingeret, nisi usque ad pectus Seir, i.e. sub tertiam supernam Tiphereth, hinc ut crescceret, Mater superna derivabat in eam lac suum, è duobus uberibus, quæ sunt אל & מי: & ubera hæc sunt Nezach, Hod, Binæ, ingredientia in cerebrum Seir & pertingentia usque ad Nezach Hod ejusdem. Et his uberibus Mater lactat Seir & Uxorem ejus, & hoc vocatur *Incrementum primum.* גדלות א

91. Cum autem transiret gutta quæ in Patre fuerat, in Matrem, tunc Malchuth Tebhunæ inde separabat sibique assumebat dimidium punctum de punctis Caudæ illius Guttæ; ita ut cum Seir de utero Matris prodiret, ipsi non adhæreret nisi dimidium punctum caudæ supra dictæ; quod erat mysterium Rachel, quæ adhærebat ז״ Seir à tergo è regione pectoris ejus.

92. Postea autem cum Mater influeret in Seir, Eadem ipsi quoque largiebatur medietatem puncti caudæ reliquam, quod erat mysterium Leæ. Et quia punctum hoc non inveniebat locum prodeundi è regione pectoris ejus, eò quod ibi esset Rachel; nec etiam inveniret locum ad ascendendum per foramen Cerebri, propter capillos Arich, superinstratos capillis Seir, ideo exibat per foramina Cervicis, ubi est punctum Lus; atque inibi formata est in Personam; ipsiusque pedes pertingunt usque ad caput Rachel. Unde patet, quod persona Leæ extendatur per tertiam partem supernam Pulchritudinis Seir: nam Lea & Rachel ambæ constant ex una tertia.

93. A tergo autem Seir est quasi foramen, & corpus Seir influit per illud: & foramen illud apertum est; & huic correspondet scrobiculus pectoris in homine.

94. Hinc prodit influentia in capillos Rachel, qui cum rubri sint sua natura, hoc affluxu opus habent ut dealbentur: sicut Arich capillitio suo dealbat capillos Seir, qui nigri sunt. Rachel autem oculis caret per se.

95. Et capilli Seir pertingunt usque ad foramen istud.

96. Ut autem perficerentur Vasa Cerebrina ז״ Seir, Pater & Mater primùm quidem amplectebantur Seir (ut supra dictum) dextris atque sinistris permutatis, deinde autem cuilibet, quod suum fuerat, redditum est: & postea Pater applicuit (vide Schema sequens.) Chochmam A. Matris ad Nezach suam B. & Mater Binam suam C. ad Hod Patris D, ita ut faciebus mutuo oppositis Nezach Patris B. obverteretur ז״ Hod Matris E. Et quia ז״ Nezach Patris B. etiam aderat Chochma ejusdem F. sicut in Hod Matris E. Binah ejusdem C. hinc è 4. his fiebat punctum unum. Chochmah enim & Binah sunt radix Cerebrorum in duobus vasis supra dictis.

97. Deinde hoc punctum dividebatur in tres partes, quarum una remanebat in Hod Matris E. una autem abibat in Nezach ejusdem G.

98. Nezach autem Matris G. in qua tertia illius puncti erat emittebat tertiam suam inferiorem H. נה״י scil. & adimplebat tertiam supernam חו״ב I. Chochmæ Seiricæ K.

99. Cum autem Chochmæ huic Seir K. adhuc deessent duæ tertiæ inferiores, hinc ut istæ complerentur, ascendit ter-

tertia superior, nempe חבר L. de Chesed Seir M. unde extitit גגת N. Chochmæ Seir K.

100. Quin etiam ascendit tertia altera גגת O. de Chesed Seir M. & supplevit tertiam imam נהי P. in Chochma Seir K. ita ut in Chesed Seir M. non nisi tertia ima נהי Q. remaneret.

101. Deinde Mater in Chochmam Seir K. demittebat tertiam secundam גגת R. suæ Nezach G. è qua fiebat חבר S. Chochmæ Seir K. חבר verò I. quæ antea facta erat ex נהי H. Matris descendere cogebatur, ita ut inde fieret גגת T. Chochmæ Seir K. Prior verò גגת N. descendere cogebatur, ut inde fieret נהי V. Chochmæ Seir K. נהי autem P. producta ex גגת Chesed O. descendens evadebat in חבר W. Chesed Seir M. Atque tunc etiam ascendebat נהי Q. è Chesed M. & inde fiebat גגת X. ejusdem Chesed. Quin imò etiam חבר Y. è Nezach Seir Z. elevata fiebat tertia ima נהי a. Chesed.

102. Tandem Mater etiam demittebat in Chochmam Seir חבר b. Nezach suæ G. ita ut inde fieret חבר c. in Chochmah Seir K. Prior a. חבר S. depressa fiebat גגת d. ejusdem Chochmæ K. Et גגת T. depressa fiebat נהי e. ejusdem Chochmæ. Et נהי prior V. exorta è חבר Chesed L. redibat in locum pristinum f. seu potius L. ita ut iterum esset חבר Chesed: unde חבר W. quæ fuerat exorta è גגת Chesed O. iterum fiebat גגת g. priori loco O. & גגת x è נהי Q. iterum fiebat נהי h. priori loco Q. & נהי a. è חבר Y ms Nezach Z redibat ad locum suum, ut iterum inde fieret חבר i. loco priore y.



103. Atque sic lux נהי H. è Nezach Matris G. non tantùm cerebrum Seir formabat, sed per omnia ejus membra extendebatur ad pedes usque.

104. Ratio autem hujus circulationis, & quare non simul ac semel omnia à Matre affluerent hæc est, nesc. frangeretur Vas Chochmæ Seir ob nimiam lucem.

105. Eodem modo etiam prodibat influxus ex Hod Binæ, s. Immæ E. in Binam Seir k. intermixtis nempe Gebhurah Seir l. & Hod ejusdem m. eadem penitus ratione. Nec aliter se habebat derivatio è Jesod Matris n. in Daath Seir o. concurrentibus הת Seir p. & Jesod ejusdem q. ut supra descriptum. Et sic magna illa Lux è Matre hic sufferri poterat citra noxam.

עיבור ב

גדלות ב

106. His factis Mater in uterum seu Jesod suum iterum colligebat lumen internum è Seir & uxore ejus, ut fieret particeps Usus rationis, & hæc vocatur Imprægnatio Secunda, unde illis Incrementum alterum, quo roborabantur membra eorum annexa 6. extremitatibus Matris atque Patris.

קטנות ב

קטנות א

107. Ut autem Mater illos capere posset in utero suo, opus erat ut Seir & Uxor ejus conduplicarentur complicatis invicem tertiis eorum h. m. ut à parte anteriore, נהי complicaretur cum Chesed & Gebhurah: nec minus הת medietatem imam reduceret versus medietatem supernam, ita ut Jacob coordinaretur Puero Iisrael. Qualis conduplicatio & fiebat à parte posteriore, ita ut Rachel obverteretur Leæ. Et ista conduplicatio vocatur Parvitas seu infantia secunda: cum enim primum adhuc essent in utero Matris locum habebat infantia prima:

108. Et imprægnatio hæc secunda durabat 12. menses, cum Gestatio prima tantùm durasset menses 9.

109. Mysterium autem Conceptus primi novimestris hoc est, quod Seir tum assugeret de Matre ista Nomina, nempe Nomen קסא, i. e. אהיה sub plenitudine Joddin; h. m. אלף הי יוד הי & Nomen בן è Tetragrammato יוד הה ו הה, quæ duo Nomina efficiunt 213. quibus adde 3. portiones Nominis אלהים, sic divisas אל ה ים & habebis 216. & si adjeceris Nomen עב fient 288. juxta valorem vocis ויעבר s. עיבור.

110. Mysterium autem Conceptus secundi Duodecimestris istud est, quod Seir assugeret Nomen קנא quod est אהיה Hehatum h. m. אלף הה יוד הה 151. cui si addis Nomen אדני 65. etiam habes 216. & cum עב 288. juxta valorem עיבור.

111. Datur tamen etiam tertius Conceptus septimestris (pro diversa ratione computandi) quo Seir assugebat Nomen קמג quod est אהיה Alephatum h.m. אלף הא יוד הא 143. adde כה 45. & numerum Tetragrammati 26. & duas portiones Tetragrammati h. m. divisas יה וה & habebis 216. & adjecto עב Patris 288. עיבור.

112. Cum ita Seir fuisset in utero per duodecim hos menses, prodiit ex eo cum uxore, ipse quidem membris jam perfectis & cum statura debita; uxori autem statura nondum aderat debita, & membra ejus tantùm erant ad instar cornuum cicadarum.

113. Ut tamen ipse quoq; Seir ulteriùs coronaretur Benignitatibus, Pater in Matrem immittebat 5. suas Chasadas, quæ sunt radix omniû Chasadim Seir, i.e. Internû de ejus Chasadim: Et mater easdem immittebat in Seir per Jesod suum, idque sic, ut quælibet de 9. Sephiris Seir acciperet dimidiam portionem Chesedæ, è 5. Chasadis. Dimidia autem Chesed residua erat, quæ dividebatur in tres portiones. Et è tertia prima dimidiæ hujus Chesedæ fiebat Kether pro Uxore Seir; & è duabus tertiis reliquis fiebat Kether pro ipso Seir, sub mysterio lucis reversæ.

114. Necesse autem erat ut Mater immissura 5. has Cha-

Chasadas in Seir sese inclinaret, quoniam Jesod ejus nimis breve est, nec æquale toti corpori Seir; idque fiebat sub mysterio Vasis Jesod ejus; unde corpus Seir contegebat usq; ad tertiam ejus supernam חת, illuc usque enim pertingebat illuminatio, Fundamenti Materni; Caput autem Seir manebat apertum.

115. Distributio autem 5. Chasadim illarum ita fiebat: una Chesed integra dabatur Chochmæ, & una Binæ, una quoque Gedulæ, & una Gebhuræ: & deinde Gedula medietatem suæ Chesedæ dabat לנ Nezach, quoniam illam integram non poterat sustinere; & sic quoque Gebhurah לנ Hod; Daath autem cum nondum esset sub natura Vasis, ideo nihil poterat participare de istis Chasadis, sed omnia ex ipsa profluebant, & tota illa Chesed devolvebatur in Tiphereth: sed nec hæc eandem totam sufferre poterat & medietatem dimittebat ad Jesod. Deinde vero & Chochmah medietatem de sua Chesed communicabat לנ Daath, quod & Binah imitabatur; sed nec tum Daath sustinere poterat utramque illam medietatem, unde unam ex illis demittebat ad Tiphereth, alteram pro se retinendo; jam enim ob vestigium antea inibi relictum, valebat: חת autem cum jam alteram medietatem acciperet, priorem dimittebat, in Jesod; sicut & Jesod priorem dimittebat; quæ ascendens inde in Hod egrediebatur in Rachel; & è tertia ejus fiebat corona pro capite Rachelis; reliquæ autem tertiæ duæ fiebant Corona Seir ipsius; roboratæ vestigio in Daath invento atque assumto.

116. Inseminatis his 5. Chasadis Patris in Seir & Uxorem ejus, curandum quoque erat, ut pruritus atque appetitus copulæ conjugalis inter eos exsuscitaretur, hinc & Matrem oportebat derivare in Seir Chasadas & Gebhuras supernas.

117. Istæ autem producebantur è percussione illa, qua percutiebantur duæ partes barbæ è 13. quæ in Arich, nempe Nozer, & Nakkeh 8. & 13. Nozer enim est Influentia superior & Nakkeh inferior, nempe duo apices barbæ, quarum prima paulo

paulo longior alterâ, & dextra vocatur superior. Et è percussione hæc exortæ sunt 5. Chasadim & 5. Gebhuroth. Et percussio hæc idem est quod congressus, cujus nomen hic non adhibetur, quia ibi insolitus est. Exortæ autem sunt 5. Chasadim è Nozer, & 5. Geburoth è Nakkeh; omnes autem simul constituebant guttam unam præcellentem admodum.

118. Arich autem 5. illas Chasadas dabat Patri, nimirum in Daath ejusdem, quæ est distributrix pro sequentibus: 5. autem Gebhuroth dabat Dæ Matris: & ex hoc influxu Arich in Patrem & Matrem excitabatur appetitus eorum, ita ut congrederentur. Quamvis enim semper cohæreant, nunc tamen coitus iste magis emicuit, propter influxum excellentiorem.

119. Daath autem Paterna ita distribuebat Chasadas suas, ut unam acciperet Gedulah, alteram Gebhurah, reliquas חת Nezach & Hod, unde omnes confluebant in Jesod, Patris: & sic & in Matre: congredientibus igitur Patre & Matre 5. Chasadim Patris immittebantur in Jesod Matris.

120. Mater igitur derivabat illas omnes in Seir & Uxorem ejus: idque h. m. primò omnes Chasadas & Gebhuras simul immittebat in Daath Seir: Daath autem 5. Gebhuras derivabat per חת in Jesod, sub mysterio Guttæ, retentis adhuc Chasadis; Jesod autem cum ad naturam amorum spectaret, Gebhuras illas retinere nolebat, sed illas iterum sursum remittebat, cumque venirent ad foramen illud, supra dictum, per illud egressæ in Caput Rachelis intrabant, ut in illa formaretur Vas capitis, & Vas cerebri, quæ adhuc minuta erant, & per istas Gebhuras crescebant.

121. Sed 5. Chasadæ ita distribuebantur per Daath in reliqua membra Seir: primo Daath Chesedam integram dabat Gedulæ, & aliam integram Gebhuræ; postea integram quoque Tipherethæ; cujus tertia superna pro se retinebat tertiam de hac Chesed; sed duæ tertiæ Tipherethicæ reliquæ non poterant supportare duas tertias Chasadicas reliquas; unde ex

una tertia Chesedica, implebantur ambæ tertiæ Tipherethicæ, & residua erat una tertia Chesedica.

122. Deinde Daath integram quoque Chesedam dabat Nezachæ, & aliam Hodæ, quæ singulæ tantùm medietatem de qualibet retinere poterant; duæ igitur medietates, quæ efficiunt integram in 3. tertias divisibilem descendebant in Jesod; sed nec Jesod illas supportare poterat; sed illas elevabat per foramen Tiphereticum; in ipso vero non remanebat nisi lux Vestigiorum omnium 5. Gebhurarum, quæ ibi transierant; cum luce Vestigiali duarum medietatum Chasadicarum ut sup. dictum.

123. Duæ igitur istæ medietates Chasadicæ exibant per foramen Tipherethicum & hinc formabantur Cerebra Rachel; quoniam tertia una cum dimidia, quæ prodierat è Nezach constituebat cerebrum Chochmæ Rachelis; & tertia una cum dimidia quæ prodierat è Hod constituebat cerebrum Binæ Rachelis: Vestigium autem duarum harum medietatum Chasadicarum quæ fuerant in Nezach & Hod, ibidem relictum, nec tamen retentum, sed etiam in Jesod derivatum, ubi commixtum, factum erat ad instar scintillæ prosilientis sub malleo, abibat in Daath Rachelis, eamque retinebat Cranium ejusdem, quod est Kether.

124. Tertia autem illa quæ residua manserat in Tipheretb (§. 121.) iterum dividebatur in duas partes, quarum una paulo major altera; Pars igitur prima iterum bipartita ascendensque exibat per foramen, in Daath Rachelis, nimirum cum Vestigio modo dicto (§. 123.) pro Cranio ejus.

125. Tunc Mater, quæ hactenus sese inclinaverat, iterum erecta priorem suum reassumebat situm, ita ut Gedulah & Gebhurah, & tertia superior Tipheretica (quæ hactenus fuerant contectæ, ita ut Gedulah Chesedam integram retinere potuerit, ut & Gebhurah, & tertia Tipheretica, tertiam Chesedicam integram acceperit; quoniam Chasadæ illæ seipsas dimi-

diminuerant coram luce Jesodica Matris) nunc detegentur, & Chasadæ in illis contentæ excrescerent & augerentur; ita ut pars una Vasorum Seiricorum non posset capere nisi partem dimidiam unius Chesedæ à Daath acceptæ; Hinc tertia superior Tipherethica, quæ antea retinuerat tertiam integram unius Chesedæ, jam non poterat capere nisi tertiam dimidiam; unde nunc superfluæ iterum erant tres tertiæ cum dimidia.

126. Egressæ igitur medietates illæ Chasadicæ è Gedulah & Gebhurah, ascendebant, ita ut Gedulica in Chochmam Seiricam & Gebhurica in Binam intrarent; Nec tamen totæ ibi manebant, sed Chochmah non nisi unam retinebat tertiam, superflua manente tertia dimidiâ; & sic quoque Binâ. Tertia autem dimidia è tertia superna Tipherethica egressa per Daath rectà elevabatur, eamque retinebat Cranium Seiricum.

127. Eodemque momento etiam ascendebat pars altera tertiæ Chesedicæ (§. 124.) quæ residua fuerat è duabus tertiis Chesed, quæ prius descenderant in duas tertias Tipheretica, (una enim medietas ascenderat pro cranio Rachel, §. 124. & jam hæc medietas altera ascendebat in Cranium Seiricum, pro eo roborando.

128. Chochma autem Seirica, quamvis insignis esset ipsius qualitas, quantitate tamen non adeò præpollebat, unde unica ipsi sufficiebat tertia è medietate illa in Gedulah transmissa, tertia autem altera dimidia, per Daath abibat in Kether Seiricam, quod est cranium; & sic quoque in Binah.

129. Et nunc Kether Seirica perfecta erat & integra; Nam antea in Ibbur secundo, habebat duas tertias è dimidia Chesedæ, quæ est tertia una, quæ venerat è Daath in Tipheretb, & hinc medietas ejus in Jesod; & è Jesod ascenderat, & facta erat ex hac medietate unius tertiæ, Corona Rachelis, & è duabus tertiis reliquis Corona Seirica, assumto vestigio duarum Chasadarum de quibus supra, nunc accedente dimidia tertia

tia ex illa tertia Chesedica, quæ ingressa erat in foramen; & aliquantò plus. Cui accedit dimidia tertia residua in tertia superna Tipheretica, nuper erecta Matre, detecta; unde jam duæ tertiæ & aliquanto plus: cui adde, quod Chochma & Binah illuc derivarant, tertiam nempe integram; unde Kether Seirica jam habet tres tertias.

130. Rachel tamen nondum ita consummata erat ut membra ejus ritè fungi possent munere suo, quippe quæ adhuc erant ad instar cornuum cicadæ; Ut igitur ipsa quoque decadem suam acciperet ut Ipse, diaphanæ factæ sunt Nezach, Hod, Jesod, Seiricæ, & emiserunt lumina à tergo; (Non per foramen s. d. quippe per quod non transeunt nisi ea lumina, quæ è supernis descendunt; quæ verò ab ipso Seir proveniunt, ipsa resplendescunt & prodeunt.)

131. E luminibus igitur promicantibus è Nezach Seirica constructa est tota linea dextra Rachelis, idque h. m. è tertia superna Nezachica nempe Kether Chochma Binah, facta est Chochma Rachelis; è luminibus prodeuntibus è tertia altera, Gedulah, Gebhurah, Tiphereth, facta est Gedulah Rachelis: & è tertia ima, Nezach, Hod, Jesod, orta est Nezach Rachelis. Sic è posterioribus Jesodicis ejusdem Seir constituta est linea media Rachelis; & è posterioribus Hodicis linea sinistra ejusdem.

Ad

Ad Clarissimum ac Eruditissimum Virum

N. N.

De rebus in Amica sua Responsione contentis Ulterior Disquisitio.

Sr.

JAM much ashamed that J haue been so long silent since my receit of your last. But J beg your pardon for this incivility, that J was necessarily forced to by reason of my Theologicall volume that was in the presse, and is but newly come out. Which necessitated my stay in Cambridge till J saw that businesse dispatched, vvhich was much later then they promised me. Which made me so long ere J came to Ragley, or had any opportunity or leasure of reading the Cabbalisticall MSS. you was pleased to send thither, for which J returne you many thankes. They with yor ingenious and learned Answer to my Objections aud Quæres about some Passages in Tractatus primus Libri Druschim, haue given me further insight into the Cabbalisticall learning of the Jews. But that MS that is called Emek Hammelech is writh with so many abbreviatures and so small an imperfect a letter that much of it was unlegible to me How ever J haue a generall conception of the drift of the bock, and haue taken notes of severall particular passages thereof. Jam much incumbred with two great imperfections, the one that J cannot write à good hand, the other that J can not easily read a bad one. Monsieur van N. is so soon to take a jorny hence into Holland that J cannot write an Answer to Your Amica Responsio, but shall frame one att Leasure after his departure hence, which J hope to haue in readinesse against his returne, which he promiseth will not be long. And J shall endea-

vour to imitate that excellent good temper in your Amica Responsio. For upon my reading againe my ovvn Objections and Quæres, they seeme in some places to haue more heat and acrimonie then is needfull or sutable to the present disposition of minde Jam novv in. But J was surprized with the unexpectednesse of the doctrine of that Tractate. But it is sufficient to intimate a mans reasons of dissent, where onely simple errour is at the bottom. What so ever is more then this cometh of evill. In my Reply to your Answer J intend to take occasion, if J finde it to come off easily and naturally to hint something toward the finding out what may be the sound and irrefutable meaning of the Mercabah, as J do not much diffide, but that J haue hitt on the true Cabbala of their Bereshit. In which J suppose a Creation properly so called. Which Hypothesis is laden with no absurdityes that J know The other, which denyes Creation properly so called seemes to me to be burdened with insuperable difficultyes viz. That either Matter is of it self and Soules and Angells themselves are made of matter, or else that God is as well the materiall as the efficient Cause of all thinges, and consequently may be turned into clay and stones. But this J onely hint by the by.

J understand by Monsieur van N. that he would haue you forthvvith publish, so far as you haue gone in the Zoar, which intention of his J like very well, that the labour you haue taken already may be in no hazard of being lost. Or that it may not all be lost, that you publish part of that you haue translated, and so sett it out at leasure by parts. And if you do (as J suppose you doe intend) besides an Index of so much as you do publish at a time, make also a generall Alphabet of the more obscure Cabbalisticall termes and phrases (as J haue made in my Synopsis Prophetica an Alphabet of Prophetik Iconismus) it will conferre much to the benefitt of the Reader and make the buk more saleable, and the more effectually invite men to search into those studies, and to understand what there is in the Jevvish Cabbala. Your tvvo Cabbalisticall Tables vvith the Names and Attributes congested under each Sephirah (vvhich vvill not be much unlike in nature and use to Johannes Meursius his Denarius Pythagoricus) vvill also be very fitt for this first volume you intend. And if your Systema Theologiæ Judaicæ vvere in this volume too, all these vvould tend to the Sharpening mens appetitts for the reading and understanding of the Soar: When they haue some thing afore hand to understand it by and something to search for and examine by it; it being the most authentick Treasure of their Cabbala. And Monsieur van N. is of opinion, nor am J contrarie to it, that if you publish also your Amica Responsio you haue vvrit to me, and I reply to it (vvhich J intend to doe in all fairenesse and vvith such a suspension of assent as you use in your Responsio) that this may also further vvhith the Readers appetite tho the perusing of the Soar and the being inquisitive vvhere the truth lyes, and vvhat the ancient Cabbala may be, vvhether Isaac Lorias vvay, vvhich you vvill most vvhat follovv, I suppose, in Your Systema Theologiæ Judaicæ, or vvhether in vvhat I shall hint, or els some third vvay, or in something mixt of all. But in the meane time he conceives this to be a very probable vvay, of engaging men to look vvith more eagernesse into the Zoar, and to try vvhat there is in the Jevvish Cabbala, they hauing such a game started before them. And that they may the better understand Your Amica Responsio, it vvill be convenient that my considerations and Quæres be published vvith it, and also Tractatus primus Libri Druschim. And therefore I vvil turne my considerations and Quæres into Latine, and distinguish each Consideration into such parts as you haue done in Your Amica Responsio.

As

As you are very cautious of asserting any thing in Your Amica Responsio vvhich prudent example I intend to imitate in my Reply, so I beleeve the same prudence vvill prompt you to suspend Your Assent in Your Systema Theologiæ Judaicæ, affirming nothing for true, but vvhat the Christian as vvell as the Jevv is agreed in, but onely declaring this to be the Theologicall Cabbala of the Jevves, according to such or such of their Rabbies, and that it is vworth the paines of both Jevv and Christian to examine it further, hovv much truth there is in it, and vvhether it may not be further rectifyed or amplifyed out of the Zoar, intimating therevvithall hovv beneficiall this may prove for the preparing of the Jevvs to receive Christianity, the difficultyes and obstacles being cleard and removed by the right understanding of their ovvn Cabbala. You may also if You think good, make some returne to my Reply for the further entertaining the Reader, suggesting vvhat may further confirme vvhat you like mit, or intimating vvhat ever I may seem mistaken in, that truth may haue the more free course. And then the matter may rest there, for I am not at all desirous of hauing the last vword. This is all that for the present occurres, but my hearty vvishing you good successe in your learned and laborious undertakings, and the subscribing my self

Honourd Sr.

From Ragley. April. 22. 1675.

Your most Affectionate Friend
and Humble Servant.

Per-

PErlectâ, Vir Clarissime, *Amicâ tuâ Responsione*, nesciebam profectò, an eximium tuum acumen ac Eruditionis copiam, an verò prudentiam candoremque animi, dulcedinemque ingenii ac mansuetudinem magis admirari deberem. Quarum virtutum tuarum, cum priores quidem nobis haud ita facilè assequi liceat, posteriores in hac nostrâ *Ulteriori Disquisitione* de rebus in *Amicâ tuâ Responsione* contentis quantum possumus, imitabimur. Non quod res singulas, quæ in eruditâ tuâ Responsione occurrunt, mihi accuratè discutiendas proposuerim, sed quæ majoris sint momenti, quasque è re nostrâ fore magis penticulatè Examinare, persensero. Quod quantâ possum brevitate ac perspicuitate effectum dabo.

Primò igitur quæ in *Præfatione* occurrunt, levi brachio perstringam, ad ipsam *Responsionem* mox perrecturus.

§. 4. Equidem studium tuum atque solicitudinem de convertendis *Judæis* magnopere laudo, quippe opus dignum viro non nomine solùm sed & re ipsâ, *Christiano*. Tuæque sententiæ accedo, quòd non solùm utile, sed fere necessarium sit, antequàm res tanti momenti suscipiatur, ut Christianus ac Judæus mutuam utriusque intelligant Theologiam sive Theosophiam. Ac proinde quòd non contemnendum gradum ad hanc rem faciat, qui se communem utrisque præstat Interpretem. Qua de causâ ingentes profectò tibi debentur gratiæ, non tantum à Republicâ literaria, sed à toto Christiano orbe, quod hanc tam difficilem Provinciam in te susceperis. Conversi verò *Judæi*, an sua *Barbaricâ* Philosophiâ usuri sint, an verò *Græcanicâ* rem puto esse in ambiguo, vel potius eos viros factos Christianos, nulli Sectæ addictos fore, sed liberos veritatis indagatores & amplexatores ingenuos undecunque emicuerit, nec tam indulturos oralibus traditionibus, quam Sacris Scripturis Sanctoque Spiritui à Christo omnibus verè credentibus promisso solidæque Rationi innixuros. Nec sa-

nè

nè credo probabile, eis temporibus fore, ut per longas & ænigmaticas ambages Erudiantur homines, in rebus Divinis, sed ut velo *Mosaico* remoto, prout quisque in Divina vita profecerit, nudam contempletur veritatem unctionem utique nactus, quæ eum omnia edoctura sit, quæ sana sint & solida ac utilia, nec [illegible] gavisuros, sed certis ac ponderosis mysticorum locorum Mosis ac Prophetarum, internoque lumini ac Spiritui congruis explicationibus abunde futuros esse contentos. Quod denique *zeteticè* potius quàm *theticè* omnia tractas in *Theologia* tua *Judaica*, id meritò singulari tuæ, tum prudentiæ, tum charitati imputandum est, quippe quæ via expeditissima est, quâ & Publico prodesse possis & neminem interim privatum offendere.

§. 5. Satis splendidam sanè ac opulentam in hac Sectione nobis ante oculos exponis librorum Cabbalisticorum supellectilem, teque tam benè undiquaque ad susceptum onus instructum esse vehementer gaudeo. Nam supposito quidem, quod multos hic prævideo eosque non indoctos viros avidè sibi arrepturos, nempe, cum libri hi Cabbalistici, publicationem Talmudis Babylonici (quod & ipse fateris) antiquitate non multum superent, quæ facta est circa annum à N. C. quadringentesimum, satis ab eo tempore spatii Judæos habuisse, ne dicam plus satis à receptione *Cabbalæ* per *Mosen* in monte *Sinai*, ad eam propriis inventis corrumpendam, quippe quum tam clarè constet temporibus Christi eos Cabbalam *Ritualem Moralemque* turpiter corrupisse. Et certe tametsi regeri possit, non easdem ipsis fuisse occasiones corrumpendi Cabbalam *Theosophicam*, quæ ad *Ritualem*, *Moralemque* corrumpendam datæ fuerint, meminisse tamen oportet, inter excidium Urbis per *Titum* & Publicationem *Talmudis* satis temporis interfluxisse, quo, propter calamitatem temporum, in quæ inciderant *Judæi*, quibusque *Judæorum* animi ab istiusmodi studiis penitus avocarentur, præcipuas etiam Cabbalæ *Theosophica* partes planè

planè perderent & oblivioni traderent, & mox ne perdidisse viderentur, nova commenta earum loco adinvenirent. Id quod R. *Moses Ægyptius* in *More Nevochim*, part. 1. c. 71. apertè videtur confiteri. Quod si, inquit ille, circa Legem *oralem* cautum est, ne illa publicè in libro conscripta omnibus prostaret, ne forte corrumperetur aut depravaretur: quanto magis debuit hoc fieri circa Arcana ista Legis *Theosophica* vel *Philosophica*, & caveri, ne divulgentur publicè & ita Margaritæ porcis objicerentur? Quamobrem partim longitudine temporis, partim infidelium & stultorum populorum in eos dominatione, partim etiam quod non cuivis concessa erant, multa mysteria Gentis Judaicæ *Theosophica* & *Philosophica* palâ agnoscit periisse & in oblivionem devenisse. Præterea scripta hæc antiqua quæ extant, quod & ipse innuis, ænigmatum & allegoriarum multitudine perinde ac ipsâ antiquitate apparere venerabilia. Quarum altera alteram destruit, Ænigmatum, & Allegoriarum multitudo Antiquitatem, quippe incredibile videri antiquam illam *Cabbalã Mosaicam*, ænigmaticam fuisse, cum veritas esset, [אמת] i. e. vera ac aperta interpretatio locorum maximè ænigmaticorum in *Pentateucho*, & præsertim trium primorum Capitum *Geneseos*, rerumque ad *Tabernaculum* spectantium *Summumque Sacerdotem*, ipsiusque adeo *Mercavæ* sive currus Triumphalis DEI *Israëlis* in monte à *Mose*, *Aarone*, *Nadab* & *Abihu* conspecti, cum Throno *Saphirino* ut in visione *Ezechielis*. Quarum rerum Interpretatio procul dubio plana erat & perspicua, apertaque doctrina maximè sublimium veritatum *Theosophicarum* vel *Philosophicarum*, & à vulgi captu longissimè abhorrentium, sed à *Mose* ipso penitissimè intellectarum, quamvis figuris *Mosaicis* Propheticisq; visionibus obtectarum, unde & facies *Mosis* descendentis de monte lucere dicitur, & mox ob captum populi velo obduci. In *litera* est *velum*, in *orali doctrinæ* de sensu Mystico, est *Lux*. Quæ ipsa igitur ænigmatica non erat, nec solent Allegoriæ per Ænigmata & Allegorias exponi.

 Sed

Sed concessis, inquam, his omnibus & suppositis, præclarum tuum institutum parùm profectò inde labefactatur, tum quod ipse *Maimonides*, qui tamen satis severum harum rerum æstimatorem se gerit, pauca doctrinæ illius veteris vestigia & indicia, quæ in *Talmud* & *Medraschoth* sparsim hinc inde extant, tanquam nucleos parvos magnis cinctos corticibus etiamnum agnoscit comparere, tum quòd res ipsa docet, tam profundam scientiam intelligentissimi cujusque ac pientissimi fidei concreditam, etiam in maximis rerum vicissitudinibus, temporumque mutationibus neglectui prorsus haberi non potuisse, cum ut ipsa virtus, κτῆμα esset ἀκατάληπτον, nec ipsis eripi aut surripi potuisset, sed cum nec palam per conscientiam sublimes istas veritates ac arcanas, publicare, nec eas pati omnino intercidere ipsis, liceret, novis tandem involucris ænigmaticis eas abscondisse, ut essent, quod olim *Aristoteles* respondebat *Alexandro* de scriptis suis *Acroamaticis*, ἐκδεδομένα καὶ οὐ ἐκδεδομένα; *Edita* & *non edita*, edita quidem ipsis *Judæis*, Magistris suis eos docentibus, gentibus verò non edita, nisi quatenus placuerit *Judæis*; & ipse opportunè gloriaris inventum esse huic Sphyngi *Judaica Oedipum* etiam *Judaicum*: Tum denique, quòd præcipua laudatissimi tui Instituti pars non tameò collineat ut unam certam integramque Cabbalam, ex his ruderibus Judaicis extruas, quàm ut *Judæi* & *Christiani* suam utriusque Theosophiam mutuò intelligant libereque, quid solidum quidve secus utrobique reperiatur, apud seipsos perpendant. Unde de præcipua hac parte præclari tui Instituti, per supra dictas difficultates nihil omninò videmus decerpi.

Et quantum quidem ad nova illa Involucra, ex pauxilla mea experientia, ut qui hospes planè in his studiis ac peregrinus sum, reperi tamen veritates maximi momenti, & quas credibile est partem fuisse antiquæ Cabbalæ, ænigmaticis Imaginibus iisque mirum in modum crassis & distortis, malignè satis atque invidè obtectas & quasi oblarvatas. Ut in MS. illo (quod huc

huc mittendum curâsti & de quo gratias tibi ago) *Idra Rabba* appellato. Ubi certè vehementer suspicor Divinitatem *Messiæ* conditionemque Regni illius Spiritualis, Ecclesiæve veræ ac Catholicæ latissimo sensu sumptæ, quatenus superiorem etiam *Hierosolymam* includit, per omnes æonas deductam, depravatis simulachris & ænigmatis 77 Seir Anpin, & uxoris ejus, suo modo adumbrari. Nec fortean ineptè huc referri posse illud S. *Pauli Ephes.* 5, 32. *Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo & Ecclesia.* Sed cum summam mihi brevitatem proposuerim hisce non licet immorari.

§. 6. Spicilegium, pro tua modestia hîc vocas, quam meritò nos speramus messem uberrimam fore. De Assensu verò Dogmatis Judaicis aut adhibendo aut denegando, juxta tecum sentio, ante auditam utique causam neutrum esse faciendum. Nec miraberis *Platonicam* Philosophiam aliquantum loci habere in Academiis nostris *Anglicanis*, cum & statuta *Academiarum*, saltem *Cantabrigiensis*, aut jubent, aut commendant lectionem non solius *Aristotelis*, sed & *Ciceronis* & *Platonis*. Nec iniquum votum est, ut Latitudo opinandi apud Doctiores & prudentiores longiùs se diffunderet, qui eâ Lege libertatem acceptaturi sint, quâ aliis in rebus promittit Poeta:

----- Dabiturque licentia sumpta pudenter.

§. 7. Discrimen quod ponis in hac Sectione inter *Judaicam* Philosophiam & *Pythagoricam* ac *Platonicam* non caret acumine ac judicio. Cæterum dum *Judæorum* Magistros in duo genera dispescis, locis ævique periodis distincta, magnum mihi injicis scrupulum etiam de eis, qui Urbis vastationi sunt propiores, & in terra Sancta suas Scholas habuêre. Sunt enim qui contendunt etiam ab *Antiochi* temporibus, Philosophorum Scholis, & certè *Aristotelis* præter cæteros Judæam, corruptam fuisse. Quo minùs mirari debemus, *Jonathanem* F. *Uriel*, Sectam *Aristotelicam* sapere in sua Paraphrasi in visionem

nem *Ezechielis*, qui tamen multis annis vixit ante Urbis excidium. Nam *Rotas* ille Cœlos *Aristotelicos* esse fingit, & in illius opinionis gratiam, *Et ecce una Rota in terra*, interpretatur dicam, an pervertit ad hunc modum, *Sphæra una posita erat sub altitudine Cœli.* Quod ipse *Maimonides* etiam notavit in *More Nevochim* part. 3. c. 4. Vides quàm maturè corrupta sit Cabbala *Philosophica* apud *Judæos*, etiam aliquot annis ante Christum natum, immò multis si calculum ineas ab *Antiocho.* Quam quidem ob causam seriò considerandum est, annon certiora veteris Philosophiæ *Judaicæ* vestigia invenienda sint apud *Pythagoreos*, quàm apud ipsos *Judæos*, cum *Pythagoras* edoctus sit Arcana Cabbalæ Philosophicæ à Sapientibus *Judæorum*, quadringentis aut quingentis annis ante modò memoratam corruptionem. Atque hoc breviter de *Præfatione.* Ad ipsam *Responsionem* jam pergimus, ubi pari ferè brevitati operam dabimus.

In Caput I.
Consideratio prima.

I.

Minus accuratè dici; Mundum propterea creatum ut Deus esset perfectus, &c.

1. Satis ingeniosè hîc abs te excogitata est Perfectionis Divisio in *extrinsecam* & *intrinsecam*, quasi extrinseca Imperfectio in Deum cadere posset, quamvis intrinseca non possit. Cæterum hic porro disquirendum est, an ulla omnino Imperfectio sive extrinseca sive intrinseca cum Divina ἀυτάρκεια possit consistere?

2. Quod stylum linguarum Orientalium attinet, equidem hic ingenuè propriam profiteor imperitiam. Haud tamen credibile censeo, quin certæ quædam notiones sint omnibus gentibus cujuscunque linguæ communes, ne principia naturalis scientiæ videantur pro linguarum varietate variari.

3.

3. Ἀνάγκη *Pythagoream* quamvis admitteremus, dispiciendum porro est, rectiusne hæc Necessitas oriri intelligatur, ex eo quod Mundus à DEO factus aliquam ulteriorem perfectionem illi superaddat. (Quæ necessitas esset *Indigentiæ*, ex parte DEI,) an verò ex eo, quod ita comparata sit Divina Natura, (quippe quæ perfectissima & absolutissima Bonitas est sive Benignitas) ut non possit non agere quod simpliciter optimum est. Ut verò Mundus, quàm primum potest, existat simpliciter optimum est. Atque hinc à *Pythagoreis Decadem* dici ἀόριστον. Ut verò prior necessitas, necessitas erat *indigentiæ*; Hæc è contra, necessitas est *Perfectionis*, ex parte Dei, quæ illius naturæ magis est consentanea.

4. Quid ipse statuam de Emanatione Mundi DEO coæterna, videre potes in *Enchiridio* meo *Metaphysico* cap. 10. ubi impossibile demonstro, ut Mundus existat ab æterno. Et certè admisso Mundum extitisse vel emanasse à DEO ab æterno, quamquam hinc concedendum est, DEUM sic semper & fuisse & fore æquè perfectum, considerandum tamen est annon etiamnum hoc pugnet, cum Divina ἀυτάρκεια, quasi omnibus numeris DEUS perfectus non esset nisi Mundo superaddito. Atque sic id tantum efficeretur, nempe ut Deus quidem semper *aquè* perfectus sit, nunquam tamen per se (Mundo non superaddito) *plenè* perfectus.

II.

Mirè Paradoxum esse DEO tribuere nomina ante Creationem, &c.

1. Ut DEUS se cognosceret ab æterno (quæ certè mihi videtur æterna Filii Generatio) planè necessarium erat. An verò ut sibi nomen ab æterno daret, perinde necessarium sit, magis ardua est quæstio, neque enim suam ipsius notitiam apud se quicquam illustraret. Apud homines quidem, illud *Platonis* valere potest. Ὅς ἂν ἰδῇ τὸ εἰσόμενον ἔστιν καὶ τὸ πραγμένον, non item apud DEUM, qui immediatam rerum naturam novit, nulla nominum manuductione indigens. Et præterea disquirendum

rendum est, an Hebraicè se tantùm nominaverit, an verò Græcè etiam & Latinè & Gallicè & Germanicè & Hispanicè & omnibus in universum nominibus, quibus apud ullam gentem appellatur. Hæc inquam per otium disquirenda sunt, nec temerè quicquam statuendum.

2. Hæc quæstio priori admodũ affinis est. Et certè quamvis leve quid præ se ferre videatur, viam aperit in immensum philosophandi campum, eumque spinosum satis ac dumetis obsitum. Nec certi esse possumus Ideas nominum & linguarum ab æterno esse, & dialectorum singularum, singularumque mutationum ac depravationum, nisi omnium omnino rerum & personarum, *actionumque* ac *motionum* in Mundo vilissimarum pariter atque honestissimarum ab æterno concipiatur in mente Divina Idealis descriptio, atque hæc non solum [illegible], sed & [illegible], uti distinguit alicubi *Aristoteles*, ne liberum hominis arbitrium funditus subvertatur, ac proinde rebus personisque infinita fere Bivia, Trivia, Quadriviaque patere in Divino fato delineata, de quibus hic disputandi, nec locus est, nec animus. Interea loci concessâ hâc omnimodâ rerum, Personarum, motionumque atque actionum in mente Divina, ideali prædelineatione, (quæ sanè illius infinitati maximè est congrua) minimè dubium est, quin & nominum omnium inibi sint Ideæ ab omni retro æternitate; & proinde Nominum *Jehovah* & *Adonai*, & *Ciceronis* & *Platonis*. Sed hic tamen porro dispiciendum est, an rectiùs *Cabbalistæ* ratiocinentur Mundum creatum, ut sit quod conveniret nominibus *Jehovah* atque *Adonai*, quàm si quis concluderet *Ciceronem* & *Platonem* genitos esse alterum cum latis humeris, cum cicere in naso alterum, ut existeret aliquando in Natura quod istis nominibus responderet.

In

In Caput I.

Consideratio secunda.

I.

QUod impedire ais, ne *Adam Kadmon* sit *Logos*, sive secunda persona Divinitatis, nempe quod in sacris paginis appellatio *Filii* illi approprietur. *Chochmah* verò apud *Cabbalistas* nunquam appelletur *Filius*; sed *Seir Anpin*, (qui in *Tiphereth* reperitur) propriè & constanter *filius* à *Cabbalistis* vocetur, aut *Primogenitus*; hic, sepofito omni præjudicio, liberè perpendendum est, an non *Seir Anpin* idem sit qui *Sacerdos magnus*, *Homo supernus*, *Adam Cœlestis*, *Maritus Ecclesiæ*, quæ nomina omnia sunt in *Tiphereth*, cur non *Adam Kadmon* igitur ibi collocandus? Addo ex *Idra Rabba* Microposopum sive *Seir Anpin*, esse Hominem super Thronum Sapiirinum in Visione *Ezechielis*, & *Adamum Androgynum* vocari. Etiam in eodem libro legimus *Sapientiam* esse *Hominem superiorem*, & *nisi esset hic homo, mundum constare non posse*, citato etiam Prov. 3, 19. *Dominus in Sapientia fundavit terram*. Hanc verò Sapientiam absconditam efformari formâ hominis ut consistat super solio. Ezech. 1. 26. Hic igitur seriò & circumspectè dispiciendum est, & diligenter inquirendum, an non *Seir Anpin* apud *Cabbalistas* revera sit *Anima Messiæ* cum *æterno Logo* unita, quamvis mysterium variis iisque distortis Imaginibus ac Ænigmatis obvelaverint, & ferè turpiter oblarvaverint. Quis est enim ille *Adamus* [illegible] nisi *Maritus Ecclesiæ*, quis *Maritus Ecclesiæ* nisi *Messias*? Hominem verò super Solium Saphirinum sedentem in visione Ezechielis esse Animam *Messiæ* cum *Logo* unitam satis fusè doceo in expositione illius Visionis; *Sapientiam* verò in illo Throno sedere sub forma humana monemur ex ipsa *Idra Rabba*. Cum igitur revera *Seir Anpin* sit *Messias*, eisdemque nominibus gaudeat quibus *Adam Kadmon*, nam sub Tiphereth dicitur *Adam superior* & *Adam cœlestis*

stis, immò verò ni fallor, *Adam Kadmon* in *Idra Rabba*, sequitur, quod reverà *Adam Kadmon* etiam sit *Messias*. Homo ille *cœlestis*, atque sic *Logos* sit in *concreto* quam vis non in *abstracto*. Atque hinc certè minimè mirandum est *Seir Anpin*, *Filium DEI*, tam constanter à *Cabbalistis* appellari, cum sit ipse *Messias*, sive *Anima Messiæ* cum *Logo*, æterno DEI Filio, unita. Hujusce verò rei ignorantiam, nempe quod *Anima Messiæ*, cum æterno *Logo* unita, sit Homo ille Throno insidens in Visione *Ezechielis*, fontem esse credo deformatissimorum Ænigmatum apud *Cabbalistas*, & in varios Labyrinthos eos deduxisse. Atque è contra hujus Mysterii cognitionem *clavem* esse *verè auream* ad referanda pretiosissima Mysteria Cabbalæ *Theosophicæ*, quin & *Limam* etiam *Chalybeam*, quâ omnis rubigo, situsque & quicquid alienum est ac sordidum, deteratur ac defricetur, & antiqua Cabbala purè ac sincerè restituatur.

Sed secundam *Sephiram* non vocari *filium* apud Cabbalistas innuis, sed *Patrem*. At verò, cum *Philo Judæus* plus semel Æternum Logon τὸν ἀγένητον ὑιὸν τοῦ θεοῦ appellet, considerandum est, quanto majoris illius autoritas æstimanda sit, quàm eorum quos quingentis minimùm annis antiquitate superet. Ut præteream *Chochmah* per *Filium Summi Regis* etiam apud alios *Cabbalistas* indigitari, quomodò autem *Pater* dici possit explico in Annotatis ad Tabulam Cabbalisticam. Denique unionem Animæ *Messiæ* cum *Chochmah*, ii *Cabbalistæ* insinuant, qui descriptionem sive circumscriptionem τοῦ *Seir Anpin* à secunda *Sephirah*, *Chochmah*, incipiunt. Quosdam verò Cabbalistas sic facere ipse doces in *Clave sublimioris Cabbalæ*. Quod mihi egregiè videtur confirmare supra dictam opinionem. Postremò ut prætermittamus contractionem trium primarum *Sephiroth* in unam *Chochmah*, quæ *Pater* sit, & sex proximarum in unam *Tiphereth*, quæ sit *Filius*, ut decima *Sephirah*, *Malcuth* sit *Spiritus S.* hic serio dispiciendum est, an non multò sit probabilius, ut *Malcuth*, quæ & uxor dicitur τοῦ *Seir Anpin*, sit Ecclesia

clesia latissimo sensu sumpta, quatenus superiorem perinde ac inferiorem *Hierosolymam* complectitur, adeoque sit Regnum *Messiæ* Spirituale, quàm ut sit ipse *Spiritus S.* una enim Persona non facit Regnum, *Malchuth* verò Regnum significat, Spiritus verò Sanctus unica est persona, & vocatur רוח החיות in visione Ezechielis. Cujus subjectum est Regnum *Messiæ* Spirituale, quemadmodum abunde demonstrabimus in explicatione *Mercavæ*. Interea loci quantum ad istam *Adami primi* notionem, tam longè à *Microprosopo* distinctam, equidem multùm suspicor eam originem suam debere ignorantiæ styli Prophetici apud recentiores *Cabbalistas*. *Adam*, fateor, universalissimum habere sensum omnesque complecti creaturas Intellectuales, cujuscunque generis aut ordinis, & ad animas Angelicas pariter ac humanas referri. Ac proinde cum sub singulari nomine *Adami* in monumentis *Cabbalisticis* descriptiones occurrerent, quæ, si unus hic *Adamus* literaliter intelligendus esset, tantum esse subindicarent, ut cœlum terramque impleret, recentiores, cum quid sit *Henopœia Prophetica* vel *Cabbalistica*, non intelligerent, aut saltem non satis attenderent, prodigia planè pro mysteriis amplexati sunt, & quod fieri solet, ad majorem admirationem movendam, quam repertam putabant monstrositatem, novis appendicibus adauxerunt. An verò status omnium primus, *Adami Henopœticè* intellecti (qui status erat *Adami* Aziluthicus) in horto Eden מקדם occasionem non dederit mirabili illi notioni de *Adam Cadmon*, qui dicitur omnium primorum primus, sagacissimis ingeniis mihi digna videtur disquisitio, & tuo quidem præ cæteris, quum in his studiis sis omnium versatissimus.

II. Hujus Sectionis Titulus est, de *Incongruitate tribuendi* Adamo primo *temporale quoddam initium*. Quanquam non satis inter nos convenit, quid sit hic *Adamus primus*. an *Superior* ille *Homo*, quem *Sapientiam* appellat *Idra Rabba*, an aliud

 quip-

quippiam, ad singulos tamen hujus Sectionis articulos aliquid dicendum censui.

1. Nescio igitur an tempus eminenter sic dictum & ab omni imperfectione purgatum adeo ut applicari possit omnibus antecedaneis *Æonibus* quicquam aliud sit, quam duratio in genere. Quæ generalis tamen notio ipsam à perfectionibus perinde purgat atque ab imperfectionibus. Sed ut fatear quod res est, ego tempus proprie dictum, hoc est durationem successivam omnibus *Æonibus* quos ego noverim competere autumo. Quos ego quatuor omnino in genere statuo, *Azluthicum*, *Briathicum*, *Jezirathicum* & *Asiathicum*, nec veterem ac genuinam Cabbalam *Theosophicam Judæorum* supra hos *Æonas* unquam assurrexisse, quippe super visionem *Ezechielis* fundatâ ac stabilitam, quæ visa est super fluvium *Chebar*. Quod mihi aperte indicare videtur, visionem esse de rebus, quæ cum defluxu seculorum fiunt, quemadmodum in Explicatione *Mercavæ* plenius moneo.

2. Disquirendum hic primum est. An sint modi Divini, & quid sint & denique quot sint. Nam si per modum מדות intelligitur, nego plures esse tribus. Et certè R. *Menachem Haraknati* septem posteriores Sephiroth solas מדות sive Modos appellandas censet, ego verò locos communes esse censeo, sive repositoria nominum ac notionum, & ne modos quidem Divinos esse, sed locos, quod dixi, communes quæstionibus de *Regno Messiæ* & fortean de *Naturæ Regno* instituendis apte accommodatos. Ut per compendium igitur quinque Rationibus hic subjectis respondeam. Dico anxiè circumspectèque considerandum esse, an quicquid DEO competere concipi potest, ad hæc duo non sit referendum, ad *Essentiam* puta aut *Operationes*, cum autem Deus is sit, cujus οὐσία est ἀνείσμα, definiente *Aristotele*, nempe quatenus opponitur δυνάμει, ita ut *Actus* sit simplicissimus absolutè æternus & immutabilis, an non inde palam sequatur, cum & Pater sit DEUS, Filius DEUS & Spi-

& Spiritus S. DEUS, ut singuli sint Actus simplicissimi absolutè æterni & immutabiles & coëxistentes simul ab æterno in æternum, & λόγῳ & ζωὴ sive πνεύματι cum Deo Patre. Quantum verò ad *operationes* propriè sic dictas, non fuisse ab æterno & desinere posse vel intermitti ac resumi haud cunctabundus concedo. Sed *Adamum* hunc *omnium primorum primum* ad horum alterutrum referri posse vehementer dubito. Ac proinde diligenti exploratione digna res est, an hic *Adam Kadmon* commentum quoddam non sit paulò alienius ab antiqua Cabbala, & exignoratione styli Cabbalistici, quemadmodum suprà monui, aut Unionis Animæ Messiæ à primis usque seculis cum Æterno Logo factæ, procreatum.

3. Ex modò proposito compendio breviter hic respondeo, quicquid ad DEUM refertur aut illius *essentiam* esse aut *operationes*. In *essentia* verò Divina nullam esse successivam Repræsentationum varietatem. Cæterùm si gradus hos Cabbalisticos operationes esse concedis, quod initium habere dicantur nulla est apud me difficultas. Sed quàm bellè tunc mera operatio Adam Cadmon appellanda sit ulteriori indiget indagatione.

4. Quod hic quæris, An non descriptio, Succedentium sibi hoc ordine emanationum, prioritatem & posterioritatem *ordinis* tantum involvere posset non *temporis*, scopum propius mihi attingere videtur, si darentur utique istiusmodi Emanationes interpositæ Mundum Creationis inter atque DEUM. Quod suo loco porro est discutiendum. Interea perpendendum est, an non satius sit humanum animum aliquâ verâ supellectile carere, quam falsâ eâque nimis moliminosâ & rumidâ oppleri. *Entia non multiplicanda esse sine necessitate*. Effatum est in Scholis vulgatissimum, nec minus solidum.

5. Quæ hic profers ex R. *Schabthi* apud *Rittangelium* ad Libr. *Jetzirah*, Scopo tuo admodum sunt apposita. Sed enimverò, dum *Numerationes*, quatenus Deum ipsum respiciunt,

ciunt, de ipsa essentia Divinitatis esse agnoscit, atque eo ipso æternas, manifestum est si quid omnino sint, esse ipsam Divinam Essentiam, quatenus verò *Emanationes* dici possunt, dum respicere ait Creaturas, inde profectò satis mihi liquere videtur, eas meras esse *Operationes*, nihilque necesse esse ut inde Mundus fingatur *Emanationum*, rebus personisque scatentium, inter quas numerandus sit *Adam Kadmon* omnium primorum primus. Et certè hîc seriò considerandum est, quanto correctius & castigatiùs quantòque veritati Philosophicæ congruentiùs Christus & Apostoli totaque adeo Ecclesia Christiana, qui prætermissâ omni mentione Mundorum *Emanationis*, illorum loco *operationes* tantùm *Spiritus S.* (qui רוח הקודש in visione *Ezechielis* dicitur) commemorarunt dictisque ac monitis ubique celebrarunt, jam olim locuti sint, quàm recentiores isti Cabbalistæ qui animos nostros suspectâ illâ Mundorum Emanationis supellectile opplere sategerunt, quibus tamen nihil opus est ad eas res quibus R. *Schabthi* eos destinatos autumat nempe ut per has Emanationes Divinum lumen fluxu suaviori ac mitiori in mentes nostras descendat. Etenim, cum quicquid recipitur, recipiatur ad modum recipientis, nihil periculi est, ne nimium luminis (defectu illarum Emanationum) in animos nostros immittatur, solaque operatio Divina ad mensuram mentis nostræ recepta, emanationum istarum vicem potest supplere. Nam ut oculus corporis pro distantia objecti luminosi, plus minusve luminis ab ipso haurit, ita & oculus mentis pro distantia aut *specifica* aut *adventitia* à Divina excellentia magis minusve remota plus minusve illuminationis à Patre luminum recipit, ejusve Spiritus operationes fortius aut remissius sese ferientes persentiscit. Equidem fateor si Theoremata, quæ supponit R. *Schabthe* vera essent, per similitudinem vespertilionis, quæ Lumen Solis nisi à Luna reflexum ferre non potest, satis ingeniosè illustrari. Verùm τὸ πρῶτον ψεῦδος, in re quaque investigare & eruere, hic labor hoc opus est, vel potius Divina quædam ἐνέργεια.

Ill.

III. *Absurditas asserendi DEUM aliquando fuisse* ἐκ τοῦ λόγου, super hac re quæris.

1. *Annon distingui possit inter* τοῦ λόγου *Existentiam atque ejusdem Repræsentationem.* Per existentiam τοῦ λόγου secundam *Hypostasin* te innuere opinor, illudque sine quo DEUM aliquando fuisse, non videatur absurdum, esse aliquam illius *repræsentationem*, quasi speciem illius intentionalem externo alicui Intellectui impressam. Hic verò dispiciendum est, an Repræsentatio illa alia esse possit quàm *Operatio*, ut quando Sigillum figurat ceram. Et reminiscendum porro non de Repræsentatione hic agi, sed de ipso *Logo*.

2. Ac proinde lusum non esse in termino τοῦ λόγου, cum ipse *Logos* intelligatur, qui æquè necessariò in *Divina* ac immutabili Essentia continetur atque Ratio in *Humana*.

IV. *Fieri non posse ut Æternus DEI filius principium habeat & finem.* Hic est Titulus hujus Sectionis, ubi

1. Primò asseris, de *Ubietate* sermonem esse non de *duratione*. Id verò an ita sit optimè dispicitur allatis verbis: *Jam verò Emanatio Lucis illius primæ* (Adam Kadmon indigitatur) *cum cæteris Mundis, qui sub ipsa sunt, principium & finem habent nec tempore destituuntur.* Quæ postrema verba ἐξηγητικὰς addita putabam, ne quis principium & finem aliter quàm de tempore acciperet.

2. Locum illum *Johan.* 14. 28. *Pater major me est*, hinc explicari posse, supponit sermonem suprà fuisse de *Ubietate*, cum verisimilius videatur fuisse de *tempore*. Sed nec *Ubietatem* Patris ubietate λόγου majorem esse ex hoc loco evinci posse puto, sed Divinam naturam hic potiùs cum humana ac visibili comparari. Quanquam interim non diffiteor, quin majus aliquod privilegium Patris quàm λόγου possit simul hic subindicari.

3. Nihil absurdi subesse existimo si *Repræsentatio* Filii DEI ubique non fieret, hoc est, *Operatio* qua repræsentetur.

Sed

Sed porrò considerandum est, an hæc operatio *Adam Kadmon* appellanda sit nec ne, fingendave *Emanatio* esse, & non simplex *operatio*, ut aliæ operationes Spiritus Sancti, qui communicat, quæ sunt Filii. Hæc spero penitiùs introspecta non tantum magis orthodoxa, sed & magis solida magisque Philosophica visum iri rectè pensitantibus.

V. Hujus Sectionis Titulus est, *Distributionem* Adami primi *in membra crassam videri Imaginationem.* Ad quod mitigandum satis appositè suggeris.

1. Hæc omnia spiritualiter intelligi debere. Rectè id mones, ut & Antiquis hoc genus non fuisse insolitum, tam crassas nimirum ac prolixas Allegorias & Ænigmata. Cujus quidem modi scribendi *Idra Rabba*, quam huc mittendum curasti, & qua de re gratias tibi ago maximas, exemplum est locupletissimum, nec certè dubito quin antiquitate cum ipso Talmude possit contendere, verùm interim reminiscendum, hanc antiquitatem cum antiquitate veræ Cabbalæ Mosi à Deo traditæ in Monte Sinai minimè esse conferendam, ac proinde satis temporis interfluxisse quo novis additionibus aut perversionibus corrumperetur.

2. Scripturam sic sæpe loqui agnosco, nempe ac si membra humani corporis DEO competerent, verùm hoc fieri per ἀνθρωποπάθειαν ut vulgò docent. Sed & ipsam *Cabbalam*, quæ reverà *Judaica* vel *Mosaica Philosophia est*, tam crassis usam fuisse Imaginibus, & adeo datâ operâ *Anthropomorphitismum* inculcasse, mihi minùs videtur credibile.

3. An verò hic mos sit philosophandi apud Orientales nescio, aut ad quæ loca hic respicere possis apud *Trismegistum*, quem tamen, sed ante multos annos diligenter perlegi, nec ulla memoriæ meæ hujus moris philosophandi inhærent vestigia.

4. Concesso, quod ordine membrorum, non nisi ordinatæ Divinorum Attributorum classes effigurantur, ut Cerebro Sa-

sapientia, oculis Providentia, Auribus Intelligentia, Brachiis Potentia, & virili membro vis creandi omnia, meritò tamen hic quærere quis potest, quorsum ista tot Mundorum, in Cranio novies mille Myriadum, in Naso 375, & in membro virili 208. in *Idra Rabba* facta sit descriptio. Quæve ulla eximia veritas Philosophica hisce crassis simulachris illustrata sit, aut quæ tam excelsa & supra captum vulgi posita, ut digna reputetur quæ tantâ Involucrorum spissitudine à vulgi oculis abscondatur.

5. Quantum verò ad istam θεοπάθειαν, quam sanè satis ingeniosè & appositè profers ex *Dionysio Areopagita*, ea certè nusquam locum habere debet, nisi ubi Imagines illæ materiales, aliqua ex parte revera sint Imagines rerum immaterialium, quas repræsentant, adeò ut aliquid saltem ad faciliorem earum cognitionem conferant, quod fateor equidem in *Anthropomorphitismo* hoc Cabbalistico, si fas sit ita loqui, me minùs deprehendere. Ac proinde postremò, altè profectò fixèque considerandum est, an commentum recentiorum Cabbalistarum, (& omnes quidem Cabbalistæ *Talmude* haud antiquiores, apud me recentiores audiunt, cum antiquitate veræ Cabbalæ collati) de *Adamo* primo, qui & *Adam Cadmon*, & *Seir Anpin* appellatur, originem suam non debeat Adamo מקדם in Horto *Eden* posito & ab Antiquis Cabbalistis *Henopoetice* descripto, à posterioribus verò perperam intellecto, aut Homini *Ezechielitico*, similitudini utique Hominis in solio collocatæ, quæ cum Anima *Messiæ* sit, quæ est Creatura, cum æterno tamen *Logo* Hypostaticè unita, qui revera est DEUS, illi re malè intellectâ, talem notionem efformarunt, quæ nec DEO, nec Creaturæ competat, majora illi attribuendo quàm quæ Creaturæ, minora verò quàm quæ conveniant Deo. Quod factum est ex ignoratione tam maturæ Unionis, & à primis usque seculis, Animæ *Messiæ* cum æterno *Logo*, cujus mysterii notitiam, in nostra *Mercava* Expositione, opportunè, ut spero, renovavimus.

VI. Quantum ad *Olam Hannekuddim*, fateor me toto cœlo, quod dicitur, errasse: Nec mirum, cum adeò peregrinus sim in his studiis, me nescivisse ubi gentium essem, in terra Divinarum Idearum, an in Mundo materiali, ubi *Spiritus Naturæ* suas partes agit. Quomodo verò ista quæ de *Olam Hannekuddim* dicuntur, ad Mundum *Tohu* potius quàm ad Mundum *Divinarum Idearum* pertineant non satis intelligo, nisi quod ego nullum Divinarum Idearum Mundum esse intelligam præter ipsum Intellectum Divinum, concesso autem quòd sit Mundus Idearum à Divino Intellectu distinctus, Mundus *punctatorum*, non sine probabilitate ad eum Mundum videtur posse referri, quasi aliquanto compositior quam Mundus *punctorum*. Quæ in MS. *Emek Hammelech* dicto (de quo gratias tibi ago) describuntur. De Mundo vero Tohu sic se res habet in *Emek Hammelech*. *Tres nempe Mundos condere in Idea Deum sibi proposuisse, Mundum* NEPHESCH *in quo malum prævaluit bono, qui fuit Mundus* TOHU, *quem igitur destruxit. Mundum hunc, qui est Mysterium* RUACH, *qui scissus est in Medietates, unde vocatur Arbor scientiæ boni & mali, sicut scriptum est:* Et terra erat *Tohu* & Spiritus Domini ferebatur super aquas, *hoc verò destructo S. J. B. creaturum esse Mundum* NESCHAMÆ, *qui vocatur* אור *sicuti scriptum est.* Et dixit Deus. Fiat Lux. *Ipsum verò Mundum totum bonum esse, nec esse malum in eo.* Aliaque plura ad eum sensum, ex quibus liquere potest, hæc ad *Cabbalam* quandam *Propheticam* pertinere potiùs quam ad Cabbalam *Philosophicam*, & ad Mundos Physicè vel Metaphysicè intellectos. Unde dubito ne non satis bellè *Olam Hannekuddim* ad Mundum *Tohu* referatur. Fateorque ad *Spiritum Naturæ* rectè referri non posse, cum ordine præcedat ipsos Mundos *Emanationis*, quod antehac profectò non observavi, inscius etiam quid sibi velint quatuor isti Mundi *Emanationis, Creationis, Formationis* & *Factionis*, quos sequenti Sectione satis accuratè describis.

VII.

VII. Et magnas sanè habeo tibi gratias quòd tam graphicè mihi depinxeris quatuor istos Mundos ex R. *Mose Corduero*. Quæ certè Descriptio occasionem mihi dedit investigandi veram *Mercavæ* Expositionem. Nam quatuor hos Mundos ad quatuor Animalia quatuorve Rotas in visione *Ezechielis* referendos esse nullos dubito, nec ab ullo credo *Cabbalista* negari. Ipsasque appellationes satis antiquas esse facile concedo. Verùm enimverò an sensum earum rectè accepérint Posteriores *Cabbalistæ*, non parùm subest scrupuli. Equidem non tot Mundos specificè distinctos intelligendos censeo, sed unum eundemque Mundum, *Mundum* nempe *Animarum* per quatuor status variatarum, isto Mysterio figurari, quemadmodum in *Expositione Mercavæ* satis copiosè explicavi. Mundumque *Emanationis* nihil aliud esse credo, quàm influentiam Spiritus S. in Animas in statu *Azilut hico*, quemadmodum ex ista mea explicatione satis potes intelligere. Nec opus est hisce rebus hic diu inhærere, cum nulla alia hic dicenda sint, quam quæ illic tibi legenti occurrent. Committere verò non possum quin hic notem, quam opportunè secundas illas significationes vocum בריאה & אצילות animo meo objeceris, juxta quas expositionem meam formavi, excogitato, proprio Marte, satis commodo significatu vocis יצירה, vox verò עשיה cum & *Mundus fabricæ* dicatur, ex vi nominis, suâ sponte nostro Instituto aptissimè quadrabat. Mundumque illum indigitat ubi *Magia* magna ex parte deficit, maximèque in usu sunt opera Mechanica. Quod maximè intelligendum est de infima illius Mundi parte. Et profectò magna animo meo insidet suspicio, hue etiam inter alia allusisse S. *Johannem*, in mentione septem Ecclesiarum in *Asia*, innuens omnes Ecclesias in inferiori hac parte Mundi *Asiathici* constitutas. Hæc verò obiter. Interea loci non possum non profiteri, mihi nullam sufficientem innotescere causam, cur R. *Moses Corduerus* Animas humanas creatas fingeret ante Angelicas, aut ordine

 digni-

dignitatis eas præcedere, ego potiùs æquales existimem & eodem tempore creatas, & eadem planè conditione, nempe in statu *Aziluthico*, & utrasque illæsa innocentiâ in statum *Brinthicum* descendere potuisse, atque hue sanè quasi pari passu processisse. Postea verò factum esse, ut Animæ *Angelicæ* ulteriùs se auderent proripere, & in Mundum *Jezirathicum* injussu Divino prorumpere, quod præclarum facinus reputantes, sequeeo ipso *Elohim* factos venditantes, quippe scientes boni ac mali, nullique se legi subjicientes, in novam quasi speciem aut saltem ordinem *Animarum* sibi visæ sunt emersisse, fastuoso nomine אלהים ob insigne robur & effrænem vigorem vehiculorum se appellitantes, dum interim Divinorum Oraculorum veritas eos appellat רפאים ob relaxatam & fere prorsus amissam aut abolitam primævam *attentionem Aziluthicam*. Hujus verò facti incertam famam apud posteriores *Cabbalistas*, tandem in opinionem abiisse suspicor, de Mundo *Angelico* post Mundum *Animarum* creato. Abstinere me non potui quin pauca hæc de quatuor Mundis hic prælibarem, cætera ex *Expositione* mea plenius intelliges nostræ huic *Ulteriori Disquisitioni* subjicienda. Verùm interim præterire non possum, quin moneam serio hic dispiciendum esse, an Mundus *Emanationis* aliud quicquam esse possit, quàm operationes *Spiritus S.* in omnes ordines Intellectualium Creaturarum transfusas, nam Harum *Sephirotharum*, quas Mundum *Emanationis* constituere innuit R. *Moses Corduerus*, substantiam, DEUM ipsum (scil. *Ensoph*) ipse esse agnoscit, relinquitur igitur ut *Sephiroth*, illius tantùm sint operationes.

VIII. Problema est *quare Mundus hic non citiùs nec tardiùs sit conditus*. Solutio Problematis rejicitur in graduales descensus Luminum à prima illa Luce infinita quæ *En-Soph* dicitur, quorum primum est *Adam Kadmon*, dein multa alia Lumina quæ ab ipso dependent, tertio loco occurrit *Olam Hannekuddim*, & ab illo denique dependent quatuor Mundi, *Emanationis*,

Creationis, *Formationis* & *Factionis*. Sic igitur solvitur Problema. *Quoniam scilicet ordine quodã opus fuit expansioni & emissioni horum Luminum ac Mundorum sibi ordine succedentium non sanè possibile fuisse, ut vel citiùs fieret vel tardiùs creatio Mundi hujus. Quilibet enim Mundus creatus est post creationem Mundi semet superioris, & Mundi singuli procedunt alius ab alio temporibus diversis, donec ordo tangeret creationem Mundi hujus.* Hæc sunt ipsissima verba in Libro *Druschim*. Hinc verò manifestum est solutionem Problematis in graduales & successivos descensus Luminum ac Mundorum rejici. Quæ quidem solutio maximam Quæstionis difficultatem intactam mihi videtur relinquere. Cum quæri porrò possit, cur magnum illud Lumen *Adam Kadmon* prius non extiterit. Qui ipse apex est Quæstionis. Ubi verò asserit quemlibet Mundum creatum esse post creationem Mundi semet superioris, Mundosque singulos procedere alium ab alio *temporibus diversis*, attentè quidem hic observandum est, quàm pulchrè hujusmodi successiones *diversis* rerum creatarum *statibus* conveniant, Animarum putà humanarum & Angelicarum, cum interim vix credibile videatur, quin substantia rerum omnium & singularum creata sit simul.

In Caput II.

Consideratio prima.

I.

Hic notandum est, scopum argumentationis nostræ eum non esse, ut arguamus corporeitatem Numerationum ex eo duntaxat, quod aliquam extensionem habeant, sed quod dicantur aut in unam struem componi, aut in tres disponi columnas, aut in Orbes conglobari. Quæ locutiones meritò suspicionem movere poterant, res aliquas corporeas per has Numerationes intelligi, non autem Spirituales.

II. Titulus hujus Sectionis est, *Absurdum esse statuere Primum Ens in uno loco emittere Sapientiam, in alio non, &c.*

1. Ad quod respondetur. Quamvis DEUS statui possit in quolibet puncto sui esse Sapiens *implicitè* aliter tamen se habere posse quoad Sapientiam *manifestatam* Creaturis, &c. Sed hic considerandum est, quàm incredibile sit, Manifestatam *Sapientiam*, quatenus *Aziluth* est, ullo abesse loco, quasi essent aliquæ Mundi Regiones in quibus non præsto sit Divina Illuminatio, aut igitur ubique *Aziluth* Sapientiæ est aut nusquam. Ego verò sensu *Cabbalistico* nusquam esse suspicor. Illiusque in locum *Operationem Spiritûs* substituo, quæ hujusmodi difficultatibus prorsus liberatur.

2. Et huic primo quidem Responso ipse videris diffidere, dum ad alterum recurris, *Judæos* nempe ad evitandam hanc absurditatem in infinitum multiplicare Numerationes, singulas *Decades* in alias distribuendo *Decades* & has in *Decades* iterum & sic in infinitum, ut ne unicum quidem punctum, &c. At verò hic primò considerandum est, an non multiplex hæc Divisio Commento huic decem Emanationum aliarum alias orbiculariter involventium oscitanter excogitato, tanquam σαθρὸν φάσγανον postmodùm sit ad inventa, ut nos solemus in Scholis Falsitates semel factas Authenticas, multis mirisque distinctiunculis defendere. Deinde accuratè dispiciendum, an vel sic notata absurditas reverà possit evitari. Nam cum certo ordine hæc facienda sit Divisio, manifestum est, si vel in infinitum dividas, aliquod intervallum fore inter datam *Sephiram* & *Sapientiam*, ut si data *Sephirah* sit *Hod*, atque ista *Hod* dividatur in decem *Sephiroth*, ut sui partem habeat *Chochmah* sive *Sapientiam*, atque eadem *Sephirah Hod* in secunda Divisione iterum dividatur in decem *Sephiroth* & sic infinitum, necesse tamen erit semper ut *Hod* quatuor *Sephirothis* distet à *Chochmah* sive *Sapientia*, nec verum erit, quod ne unicum quidem punctum relinquatur Sapientiâ destitutum.

III.

III. Quantum ad terminationem Amplitudinis *Numerationum*, equidem non video, quî ista difficultas evitari possit, supponendo Trinitatem Christianam exhaurire totam Decadem *Aziluthicam*, cum necessariò tenendum sit tres primas summasve, esse interminatas, vel infinitas, utpote quæ tribus Hypostasibus, quæ sunt in Trinitate Christiana respondent, *Kether* quidem τοῦ ὄντος Johan. 1. *Chochmah* τοῦ λόγου, & *Binah*, quæ in visione Ezechielis רוח החיים dicitur τοῦ ζωοῦ. Quæ vita dicitur τοῦ φωτὸς τῶν ἀνθρώπων. Quod Prophetæ virique Sapientes Luce viventis hujus Spiritûs illuminentur atque actuentur. Atque hæc certè *Operatio Spiritûs*, quæ sola *Emanatio* est, quam ego admitti posse putem cum ratione, rectè dici potest terminari, cum sit tantum operatio Spiritus varia pro variis subjectis & circumstantiis in *Briah* descendens & in omnes omninò Creaturas Intellectuales ejusdem capaces, *Kether* verò *Chochmah* & *Binah* non sunt meræ operationes sed *Hypostases*, Æterna nempe Divinitas, infinita, immutabilis ac necessaria, qualis utique est, si nulla existeret Creatura. Neque quicquam nunc esse in rerum natura credibile est præter hanc æternam Divinitatem, Mundumque ab ipso creatum, & operationes ipsius Spiritus in Mundi partes præsertim Intellectuales, Homines intelligo & Angelos, adeo ut nulla mihi videatur necessitas cur istiusmodi *Decas Aziluthica*, ad inveniretur, quæ celebratur apud *Cabbalistas*, nec satis perspicio cui usui inserviat. Sufficit *Operatio Spiritûs* magnum illud & inæstimabile donum à *Jesu Nazareno* vero *Messia* omnibus in eum credentibus promissum. De *Sephiroth* verò *Aziluthicis* non solum apud *Christum* & *Apostolos*, sed & apud *Pythagoreos* & *Platonicos*, apud *Philonem*, *Plotinum* omnesque Philosophos altum est silentium.

IV. Circa Evacuationem *Or-Haensoph* sive *Infiniti*, notandum est *Cabbalistas* rem hanc sic exprimere, ac si ipsa substantia *Infiniti* comprimeretur, contraheretur, retraheretve à puncto quodam, ut ingens fiat vacuum concavum, in quo Mun-

Mundi creari possint. Res sic describitur in Libro *Emek Hammelech* seu *Valle Regia. Dimensum scilicet esse* בעל הרצון *(Deum scilicet liberrimum illud Agens) intra substantiam suam, magnitudinem circuli cujusdam evacuandi, ubi foret statio Mundorum; Illamque Lucem, quæ erat intra Circulum hunc, compressisse, complicavisseque, quandam ejus partem, veluti cum quis colligit atque conduplicat vestem suam, nudando se, & Lucem eam elevasse in sublime, atque sic relictum esse locum prima Luce vacuum.* Quæ tamen Lux est *Or-Haensoph.* Et præterea compressio & complicatio quasi vestis, satis innuit *substantiam* saltem intelligi, si non *corpoream.* Et certè similitudo tua, quâ rem excusare velis, non minus sapit corporeitatem, dum gloriosissimam *Infiniti Luminis* copiam tantum minui contendis non in totam tolli, sicut cum evacuato vitro fragrantis olei pleno, non planè tollitur sed tantum diminuitur fragrantia. Et certè quantum ad interrogationes illas: Annon DEUS sicut mutavit modum præsentiæ suæ qua quondam fuit in rubo, in arcâ fœderis, in Monte *Sinai*, in loco transfigurationis Christi, &c. ita etiam diminuere potuit modum præsentiæ suæ intra hoc vacuum; respondeo fuisse ante ullum Mundum conditum, immutabilem quandam Divinitatis Lucem sive gloriam, quam nefas est existimare ulla ex parte minui posse, sed eandem prorsus ubique esse & ante & post Mundum conditum, nec ullam aliam fuisse ante Mundum conditum præter hanc essentialem. Mutabiles verò DEI præsentias tantùm fuisse post Mundum conditum & meras esse operationes ad extra. Quando verò nulla fuit externa Creatio, incredibile est Deum tunc ullas induisse mutabiles & variabiles glorias aut præsentias, cum nulla esset Creatura cui irradiaret, suaque Essentialis gloria abunde sibi sufficeret. Nec video denique quomodo hac Hypothesi, major minorve materia futura sit, quam sine illa, quippe infinita esse non potest, sicut demonstravi in *Enchiridio Metaphysico*, & certe si esset infinita, creationem imma-

immaterialem ista Hypothesis minimè angustaret. Mira igitur hæc *Haensoph*, sive *Infiniti* Evacuatio, nullo mihi videtur solido niti fundamento. Occasionem verò hujus Inventi hinc originem duxisse arbitror, nempe cum recentiores Cabbalistæ מקום inter Divina nomina apud Scriptores Judaicos antiquissimos recenseri animadvertissent, illi omnem veritatem modio *Aristotelico* metientes, naturamque loci in eo omninò consistere putantes ut rem locatam circumambiat, de interno loco ne somniantes quidem, aut cum suo *Aristotele* strenuè negantes, (cum è contra *Pythagorei*, & locum internum admittunt, & Spiritum esse planè definiunt uti videre est in *Enchiridio* meo *Metaphysico*) illi inquam, cum DEUM מקום locum esse ex Reliquiis antiquæ Cabbalæ edocti essent, statim rem ad sensum Philosophiæ *Aristoteliceæ* intellexerunt, nec aliter DEUM Locum esse posse censuerunt, quàm ita se excavando, ut concavâ Divinitatis suæ, si fas sit ita loqui, superficie convexam Mundi superficiem circumcingeret. Hæc prima videtur basis argutæ hujus Theosophiæ, à recentioribus *Cabbalistis* post *Aristotelis* tempora inventæ, cum antiquiores Cabbalistæ, inter quos *Pythagorei* numerandi sunt, longè aliter de natura Loci censerent.

In Caput II.
Consideratio secunda.

I.

DIfficultas de *Influxu Lineæ Lucidæ, sive Lux primaria sit, sive secundaria hic proponitur.*

1. Extremitas Orbis primi hic statuitur consistere ex lumine eum ambiente, quod suo modo est secundarium, &c. Ego verò quærebam, utrum ex ipsa *Luce directa* lineæ emissæ hi orbes fierent, an ex illa, quæ è latere lineæ circumcircà secundum Longitudinem lineæ eradiaret, quam *secundariam lucem* esse intelligebam. Tu verò, si rectè rem capio, *directum* Lu-

men ab *Haensoph* extremitatem primi Orbis constituere supponis, & *secundarium* Lumen suo modo esse contendis, sicut cum intra vitrum noctu detinetur candela Lumen externum *secundarium* est. Quæ si ita sint, necesse videtur, ut orbis primus non contingat modo Concavum *Haensoph*, sed arctissimè cum eo cohæreat, nec nisi notionaliter ab eo distinguatur.

2. Dum verò voluntariam statuis esse effigurationem Divinæ Influentiæ non Mechanicè necessariam, dispiciendum hic est quàm bene hoc conveniat cum prima Hypothesi, quâ docetur DEUM quasi essentiam suam compressisse & à puncto circumcircà retraxisse, quod fecisse nihil opus habuisset, si suas influentias pro libitu suo suspendere potuisset. Postremò, dum ais, non absurdum esse *Emanationes* istas, quamdiu durat *Aziluth*, DEUM ipsum esse, cum nec absurdum sit Filium atque Spiritum S. esse DEUM, discrimen ipse mihi offers dicendo, quamdiu durat *Aziluth*, quod subinsinuat eas posse cessare. Nihil autem quod cessare potest ab essendo potest esse DEUS. E quo genere neutiquam sunt Filius & Spiritus S.

II. Ad difficultatem in hac Sectione propositam idem fere afferturResponsum, quod proximè datum est. Unde idem regerendum, quod modo regessimus, frustrà utique DEUM substantiam suam subduxisse ex Circuitu Mundis condendis destinato, si liberè potest inhibere influentiam luminis sui, ne præter quàm quod Creaturis commodum sit, effluat. Ac proinde hic considerandum est, an non partes hujus *Cabbalistica* Hypotheseos inter se pugnent.

III. Breviter hic respondeo parem utrobique non esse rationem, nempe ubi DEUS dicitur factus Orbes, atque ubi dicitur idem DEUS Pater Filius & Spiritus S. nam hi tres concipiuntur ut unus æternus, necessarius & immutabilis DEUS, idemante & post omnes Mundos conditos. Quod verò cum tempore incipit, nec æternum est, neutiquam potest esse Deus, nec

nec quod ullâ terminatur figurâ, quod fit in his Orbibus. Unde satis ingens apparet discrimen inter DEUM factum Orbes, & DEUM, qui Pater & Filius & Spiritus S. dicitur, quippe qui unum æternum sunt, infinitum, omniscium, omnipotens & immutabile Numen. Quantum verò ad Repræsentationes Divinas, quatenus repræsentatur ut Homo, ut Ignis, ut Fumus, &c. non spectare videntur ad hunc locum, ubi de DEO ipso loquimur, non de ejus externis Repræsentationibus aut Operationibus.

In Caput II.
Consideratio tertia.

I.

REsponsum hoc tuum de conceptu ⁻ Sephiroth ex Hypothesi Sphærarum *Aristotelicarum* genito, solidum perinde acingeniosum videri posset, si de antiquitate Inventi, & puritate Scholæ *Judaica* immunitateque à Paganicæ Philosophiæ corruptionibus satis constaret. Verùm Scholam *Judaicam* Philosophiâ *Aristotelicâ* etiam *Antiochi* temporibus corrumpi potuisse suprà subindicavi, & insigne illius rei exemplum in *Jonathane, Ben Uzziel* protuli. Addoque præterea in *Sepher Jezirah* (qui tamen liber omnium antiquissimus reputatur apud *Judæos*) Hypothesin *Aristotelicam* planè supponi, ut nugas Astrologicas ibi memoratas præteream. Nam non solùm Orbium signorumque cœlestium ibi fit mentio, *sed semita 31. vocari dicitur Intelligentia perpetua, eò quod ducit motum Solis ac Lunæ juxta constitutionem eorum, utrumque in Orbe sibi conveniente.* Ad quæ *R. Abraham; semita trigesima prima vocatur Intelligentia perpetua, Et illa ducit Solem & Lunam & reliquas stellas & figuras* (Planetas nempe reliquos & signa cœlestia) *unumquodque in Orbe suo.* Et in *Tykkunin Zoar.* Ibi planè asseritur Hypothesis *Aristotelica*, affirmando *Mundum Fabricæ, Mundum esse Sphærarum seu Orbium cœlestium, & omnia quæ in*

eo sunt, usque ad centrum Terræ. Vide *Rittangel.* Lib. *Jezirah* pag. 163. Denique in MS. *Emek Hammelech.* Hæc occurrunt, *Infimum autem Circuli & Sphæræ hujus splendoris est Asiah Spiritualis & Corporea, in cujus medio nos jam subsistimus nempe in terra hac quæ vocatur* תבל i. e. *Terra habitabilis.* Quæ certè mihi manifesta sunt indicia, Judæos *Physicæ* suæ *Cabbalæ* partem quidem potissimam jam olim perdidisse, & in illius locum Hypothesin *Aristotelicam* assumpsisse, Sphærasque decem *Aristotelicas*, suas *Sephiroth Asiathicas* esse, ratos, ad eam mensuram reliquas excogitasse. Quod verò addis, *Decadem* Numerationum *Asiathicam* non Sphæras denotare Materiales, sed radios Divinitatis illuc transmissos, id nihil obest, quo minùs Sphæras immateriales ad illud exemplum comminiscerentur, præsertim cum *Aristoteles* singulis Sphæris Intelligentiam præfecerit, affixeritque.

II. *De rationibus cur prima Numeratio* Kether *sive* Corona *appelletur.*

1. Agnosco sanè inter aliàs etiam ob hanc sic appellari posse, quod sit quasi Summitas Divinitatis, ut Corona quæ super caput eminet, & ob eam ipsam causam ἀνὰ κορυφὴν nuncupari apud *Pythagoreos.*

2. Secundam verò rationem ferè cum priori coincidere autumo, nisi quod splendoris notio addatur, qui κορυφῆς Symbolum est apud *Platonicos*, nitoremque materiæ coronæ, gemmeæ putà aut aureæ respicit.

3. Cæterùm quomodo Non-adhærentia inter causas appellationis connumerari possit, non satis intelligo, quandoquidem, cum *Kether* causa sit causarum, reliquæque *Emanationes* ab ea dependere supponantur, necesse est, ut Corona cum capite arctissimè cohæreat.

4. Veram autem principalemque Occasionem hujus Denominationis à Visione *Ezechielitica* arcessendam puto, ubi ingens Iris, Halo seu Corona conspicitur in circuitu Hominis Solio

Solio Saphirino insidentis, quemadmodum notavi in Explicatione illius visionis. Quod tamen nihil impedit, quo minus significationem præ se gerat Infinitatis. Immò verò hæc duo occurunt, ni fallor apud R. *Simeonem Jochaidem*, in *Tykune Soar*, nempe *Menti summa non esse finem*, & *Sphæram*, quæ à natura coronæ non multum abludit, *ratione rotunditatis suæ, nec principium habere nec finem*, vide *Sepher Jezirah*, p. 59.

III. *Durum esse dictu, Coronam statui Sapientiâ carentem, hac scilicet ad secundum Orbem relegata, &c.* hujus Sectionis est Titulus. Ubi eadem ferè afferenda sunt, quæ supra attuli in Cap. II. Conf. I. Sect. II. 2. Quò Lectorem remitto, neque enim opus est, nova hic Responsa comminisci.

IV. Cur *Chochmah*, *Tiphereth*, & *Malchuth* tribus Hypostasibus in Trinitate *Christiana & Platonica* respondere putes potius quàm *Kether*, *Chochmah* & *Binah* vel רוח החיה equidem nondum video. In parato vero sunt rationes & quasi ultrò se offerunt, cur quis credat contrarium. Nam præterquam quod *Malchuth* Cœtus sit personarum non persona singularis, manifestum est porrò cum *Kether* & *Binah* æque personæ sint atque *Chochmah*, & quinque illæ ת״ *Tiphereth* accensitæ æque personæ singulæ atque ipsa *Tiphereth*, quod eadem ferè absurditas in his occurrit atque in *Malchuth.* Unde meritò videatur dogma minus consentaneum. Error verò mihi hinc ortus videtur apud *Cabbalistas*, quòd cum Nomen Filii subjectum sit Numerationi *Tiphereth*, non intellexerint subindicatam esse Animam *Messiæ*, sive *Messiam*, cujus etiam gratiâ hæc nomina huic *Sephiræ* accensentur, videlicet *Sacerdos magnus, Maritus Ecclesiæ, Rex*, ille ipse Rex, cujus Regnum sit *Malchuth*, & tamen ex eo solo quod *Tiphereth* secundam Hypostasin statuerint, *Malchuth* statuerunt tertiam, ob nullas equidem rationes probabiles quas mihi hactenus licuit odorari.

V. Quod septem inferiores *Sephiræ*, tot quasi Prædicamenta sint *Cabbalistica* Locive communes, secundum quos

Quæstiones institui, Responsionesve formari perquàm commodè possint, ex *Cathechismo* nostro *Cabbalistico* facilè intelliges. Quòd tamen non tam aptè quadrat tribusprioribus. Cæterùm utingenuè fatear quod sentio, ego Numeros *Pythagoricos* ac *Sephiroth* perinde aliquid esse existimo, nempe neutra res ullas externas esse quatenus *Numeri* sunt aut *Sephiroth*, sed modos tantum, rationesve secundum quas realia Entia & externa concipimus & consideramus, ac proinde esse ex genere *Notionum*, quas vocant, *secundarum*, quæ cum certas & determinatas Ideas habeant, possunt esse Symbola earum rerum quæ verè existunt, aut saltem nuda *Repositoria* ordinalia, ut quando in prosequendo aliquo argumento, eoque dividendo, dicimus *Primò*, *Secundò*, *Tertiò*, &c. Atque huic usui inservire possunt meri *Numeri* meræve *Sephiroth*, atque sic aliquo modo Memoriæ fieri adminicula. Postquam verò communiora quædam Nomina singulis *Numeris* sive *Sephiroth* affixa essent, tum septem posteriores præsertim, nomina nempe ipsis affixa speciem induerunt tot *prædicamentorum*, nec magis Emanationes censenda sunt, quam decem *prædicamenta Logica*, quas decem *Divinas Emanationes* esse nemo quisquam, quod sciam, unquam hactenus somniavit: sed decem tantùm generaliores rerum notiones, secundum quas de re qualibet accuratior institui possit disquisitio; Ad eum ferè modum qui adhibetur in *Catechismo* nostro *Cabbalistico*. Et certè hæc res digna videtur, quæ omni cum curâ ac diligentiâ omniq; sepositi partium studio à *Cabbalistis* tum *Judaicis*, tum *Christianis*, seriò ac solicitè perpendatur, ne tam fundamentali errore admisso, tota disciplinæ *Cabbalisticæ* structura apud Homines nasutiores ridicula videatur ac ruinosa.

In

In Caput II.

Consideratio quarta.

I.

NE vana videatur illa *Decadum Multiplicatio*, quadruplex hic, idque ingeniosum excogitasti Responsum.

1. Verùm, quantum ad primum, considerandum, an Multiplicatio hæc Decadum in infinitos Decadum numeros apud homines Philosophiæ gnaros ac Sapientes, majorem excitatura sit admirationem, quam pervulgata illa Quantitatis Divisio in infinitum, Quâ nihil magis tritum in Scholis.

2. Hic perpendendum est, an *Haensoph* sive *Infinitum*, quod Ens simplicissimum est, respondetque *Platonicorum* Hypostasi, quæ ἑνὶ & ἀρχῇ appellatur ullam intelligi possit habere conformitatem cum tam multiplici divisione variatorum modorum, ne tantam quidem, quantam Sol habet cum diversicolore Iride. Et *Malchuth* sanè cum sit ordinata rerum ac personarum congeries, quanto pluries multiplicatur tanto immanioribus intervallis recedit ab unitate.

3. Hic autem quærendum, an ipsi modi quatenus modi sunt, rectè dici possint de se invicem participare, Unitasve illa ipsorum, quæ hic illustrari intenditur, usquam alibi inveniatur, quàm in *Causa* unde profluant, aut in *subjecto* in quod recipiantur. Unde Scopus hic tertius Multiplicationis videatur frustraneus, cum nulla sit modorum inter se participatio, & unitas, sed naturæ rationesve singularum distinctæ, *Unitas* autem quæ ipsis competit, aut sit in *Causa* aut in *Subjecto*.

4. Denique hic etiam quærendum est, an non facilius esset intellectu DEUM ubique esse eundem omniaque ejus attributa ubique ipsi debere tribui, si ingens illud vacuum in se ipso nunquam fuisse supponeretur, nec essentiam suam æternamve suam gloriam ac lucem, quam habuit ante Orbes hos Emanatorios, è medio spatii illius puncto retraxisse, sed pro

re

re nata, post Creationem Mundi, emanare in Creaturas Intellectuales per præsentiam Spiritûs qui ubique est, & dona multiplicia pro occasionibus & temporibus, rectè prædispositis impertit. Quæ quidem vulgò dicitur *Operatio Spiritûs.* Ad quem sensum loquitur Servator. Johan. 5.17. Pater meus usque adhuc operatur & ego operor. De Emanationibus autem decem, quales recentiores finxerunt *Cabbalistæ*, altum (quod & suprà innui) apud Servatorem & Apostolos silentium.

II. Equidem hic fateor me haud satis attento animo legisse Scriptum tuum, librum nempe *Druschim.* Quod autem in errorem me duxit, fuit, quod præter similitudinem Involucrorum Ceparum, de Orbibus cœlestibus facta sit mentio.

1. Hinc igitur erat, quòd singulos Orbes suos Epicyclos habere somniarem, & hos Epicyclos in decem Orbes iterum distribui, & sic in infinitum. Hunc autem sensum esse putabam, quod singulorum Orbium apud Astronomos in decem iterum Orbes, & singulorum istorum in decem alios, omnes utique concentricos nusquam inveniatur distributio. Adeo ut nihil opus videretur mentionem fecisse Astronomorum, cum ceparum tunicis, nisi Epicyclorum gratiâ.

2. Quantum verò ad ædificationem ab his Inventis expectandam, agnosco cum S. Paulo: πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν. Rom. 8. 28. Et errores aliquando ad Pietatem aliquid conferre; nec tamen cuiquam scienti prudentique admittendos esse aut fovendos, præsertim si præsto sit veritas, quæ parem saltem si non majorem vim habet, ad promovendam Pietatem. Qualis illa mihi videtur, quæ supponit Deum quidem non retraxisse lucem suam è spatio Mundorum conditorum, sed eodem ubique modo se habere post Mundum conditum, atque antea, nec distare à nobis tot immensis Orbibus Intervallisque Emanatoriis, sed unicuique nostrûm essentialiter intus adesse, & per Spiritum Filii nos subinde urgere ad ea, quæ bona ac pulchra sunt, ac præsertim ad omnimodam puri-

puritatem ac sanctitatem, nos commonefaciendo, corpora nostra Templa esse DEI viventis, ut cum omni reverentia ac timore coram eo versemur, illiusque templa nulla immunditie finamus coinquinari, ut sic idonea fiant Divini Spiritus habitacula, nec Numinis adeo nobis præsentis ac domestici Majestatem, ulla levitate aut temeritate actionum nostrarum unquam audeamus lædere aut offendere.

Quantùm verò ad locos Scripturæ à te hîc citatos, plerique pro me faciunt, ut 2. Cor. 4. 6. *Quoniam DEUS, qui dixit, ut è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lucem notitiæ gloriæ DEI in facie JEsu Christi.* Qui locus interpretandus est ex altero illo loco quem citas. 2. Cor. 3.18. *Nos autem omnes retectâ facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam*, καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Quæ loca planè innuunt faciem Christi sitam esse non quidem in orbibus istis Emanatoriis immane quantum à nobis distitis, sed in cordibus nostris, illicque non per *decem Emanationes*, sed per *Spiritum Domini*, nempe *Spiritum Messiæ*, quem promisit verè credentibus, revelari. Id verò Ephes. 4, 13. intelligitur de Ecclesia Christi, quæ illius corpus est, nec ullum talem supponit *Adamum Cadmonem*, qualis à *Cabbalistis* describitur. Descriptionem verò *Ri Seir Anpin* & *Malchuth* uxoris illius depravationem quandam esse suspicor Mysterii ad quod respicit *Paulus.* Ephes. 5. 32. Quædam verò loca Scripturæ etiam allegoricè intelligenda esse, quò respicere videtur Locus ille Pauli Gal. 4. 24. Iubens illi accedo sententiæ. Ex reliquis Scripturæ locis, quos affers, abundè constare fateor, satis opulentum esse Divinæ Sapientiæ in Christianitate reconditum Thesaurum, vel potius Thesaurum illum in Oeconomia *Mosaica* reconditum per Christianitatem esse revelatum, hoc est, per prædicationem Evangelii. Quâ cognoscitur *JEsum* esse *Messiam*, fideliterque suis adfore per *Spiritum suum* verè credentibus usque ad finem seculi.

Omnesque Prophetias & Mysteria *Mosaica* in ipso impleri, veraque illius Ecclesiâ, quibus dedit τὸ πνεῦμα τῆς σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, *Spiritum Sapientiæ* & *Revelationis*, roborisque ac fortitudinis ad debellandum peccatum ac diabolum, & ad omne malignum semen funditùs extirpandum, ut Charitas magis magisque nobis exundet, in ista cognitione quæ oritur ex Divino quodam sensu ac experientia, ut rerum Excellentissimarum, quarum Summus apex est Divinus Amor, gnari simus, & inoffensâ innocentiâ & sinceritate ambulemus usque ad gloriosum adventum Domini nostri JEsu Christi. Hæc & hujusmodi sunt opulentissima illa mysteria Sapientiæ Christianæ, quæ in nobis sunt revelanda. Quò quantum conferant remotæ illæ longéve petitæ speculationes recentiorum *Cabbalistarum* de Orbibus *Sephirothicis* & humanis imaginibus in immensas ferè membrorum laxitates diductis, aliis relinquo majori cum deliberatione dispiciendum.

In Caput II.

Consideratio quinta.

I.

DE conceptu Adami primi in sua membra divisi uterque egimus, in Cap. I. Cons. 2. Sect. V.

II. Hic agitatur quæstio de Applicatione Loci Geneseos cap. 1. v. 26. ad *Adamum* primum, an ullo colore illud mysterium inde elici possit.

1. Nam *Recentioribus Cabbalistis* quamvis modus sit accommodandi usitatissimus, dispiciendum tamen est, an ita sit *antiquis*, nempe cum nulla sint indicia vel notamenta aut in ipso Textu aut aliunde desumpta, quæ mysterium insinuent aut confirment, ut vellent stupendum aliquod Mysterium super fundamentum planè nullum extruere.

2. Agnosco sanè si absurdas has Cabbalistarum accommodationes admitteremus, vel in istoc malo aliquem futurum esse

esse usum ad obturandum ora Cavillatoribus *Judæis*, circa loca aliquot Prophetarum, quæ alio sensu atque olim impleta erant, ab Evangelistis ad Christum applicantur. Cæterum si res accuratius perpendatur, valde dispar inter eos videtur esse ratio. Nam Allegationes Evangelistarum suâ non carent concinnitate & analogia, aut impletiones Prophetiarum perfectiores sunt & quodammodo veriores eo sensu, quo ab Evangelistis applicantur, quam quo primùm impletæ sunt, quemadmodum de utrisque illis locis allegatis, non dubito, quin abunde evincere possem, nisi calamus ad alia properaret. *Cabbalistæ* verò observo frequenter nulla alia de causa, quàm quod nomen vel appellatio illius rei, de qua agitur, in Textu occurrit, Textus Scripturæ allegare.

3. Si quis ad probandam vel illustrandam Hypothesin *Pythagoricam* de motu Terræ allegaret Gen. 1. 16. 19. nullis aliis indiciis vel notamentis aut ab ipso Textu aut aliunde desumptis instructus, nè ille homo esset ineptus admodum & insciius. Sed si quis, pensitatis sex primorum numerorum & naturis & nominibus, Juramento per traditorem *Tetractyos* addito, quæ κλειδὶς τῆς φύσεως apud *Pythagoreos* appellatur, observaverit singulos numeros & quoad naturam & quoad nomen, singulorum dierum operibus convenire, errasse licet hic dici posset, non tamen temerè & sine ratione dici potest errare.

4. Agnosco quæ traduntur Mysterio Pietatis Lib. 7. Cap. 7. aliquo modo ad Cabbalistarum accommodationes trahi posse, ubi intra aliquos limites consistunt, nec Accommodationes suas sinunt omni carere Analogiâ, verùm cum sine omni rationis strictura, solo occursu appellationis rei quam tractant, contenti, textus citant, nulli ea ipsa, quæ nos in Mysterio Pietatis scripsimus, esse possunt suffugio.

In Caput II.
Consideratio sexta.

I.

HUjus Sectionis Titulus est, *videri per punctum vacui medium intelligi terram, unde augeatur suspicio de Hypothesi* ARISTOTELICA *huc allata.*

1. Considerandum est an non multò credibilius videatur Orbes *Aristotelicos* hic intelligi quam Vortices *Pythagoreos*, quia Orbes *Aristotelici* concentrici finguntur cum terra, punctove medio vacui excavati. Vortices verò omnes excentrici sunt, diversaque habent ac distincta Centra.

2. Præterea cum punctum medium vacui in *Or-Haensoph* dicatur *Mundus Materialis & corporeus perfecta corporeitate*, i. e. crassissima, videndum porro an non manifesto hoc sit indicio, terram intelligi, quæ elementum est crassissimum, ac proinde non posse esse *magnam* illam *Abyssum* in carcerem *omnibus* malignis Spiritibus destinatam. Sed unumquemque potius Vorticem, tanquam tot *Dinarchias*, ubi & quatenus opus sit suum proprium habere carcerem. Qui ante lapsum Spirituum fere nulli sunt, post lapsum verò inferior Regio versus Solem vorticis crassior evadit, donec tandem Sol abeat in *Astrum frigidum*, *Terrave* fiat. Ac proinde dispiciendum est, an non pars concava Terrarum singularum sive Planetarum, sit in singulis *Dinarchiis*, ubi sint lapsi Spiritus, formidabilis illa & tenebrosa Abyssus malignis Spiritibus destinata, præsertim si, (quod haud ita improbabile rem anquisitiùs perpendenti fortean videbitur) Mundus quasi alter sit intra terram, Terraque ipsa, quod innuit Psalmista, fundetur super aquas, tanquam ingens quædam Insula ipsis innatans. Unde יסוד *Fundamentum* quæ nona *Sephirah* est, Numerusve *Novenarius*, apud Græcos *Cabbalistas*, vocatur θεμέλιος. Cum verò nihil opus sit ut hæc aquarum fornix plus 30. aut 40. millia sit

sit crassa, satis amplum spatium relinquitur, intra hanc Fornicem, quod malignis Spiritibus funestum ac caliginosum esse possit Habitaculum. Atque hic illud Plinii locum habebit. *Quid mirabilius aquis in cœlo pendentibus?* Nam ut aquæ in nostro cœlo pendent nullâ vi Mechanicâ suffultæ, ita hæc fornix aquarum subterranea; *Sandalphone* utrobiq; suas partes strenuè agente. Inter fornicem verò hanc aqueam corpusque Solis maxima ex parte jam in crassos fumos vaporesque conversum, extenditur satis ampla Regio caliginosi aëris admodum debili ac dubiâ luce illustrati, Sole non aliter lucente, quam Lucernæ tenui fuligine incorticatæ, (quemadmodum describunt & *Henricus Regius* & ipse *Cartesius* si rectè memini) in sepulchris mortuorum. Adeo ut verè hic locus videatur miserorum illorum Spirituum qui Sacris Scripturis appellantur *Rephaim* & *Methim*. Quod si contractus hic Sol subterraneus, in terrellam ipse tandem abeat, crassâ obvolutus opacitate firmiterque obduratus, hinc tandem illos oppriment extremæ illæ tenebræ, ubi fletus erit & stridor dentium. Sed *subterranei Soliis* in terrellam conversi nullum exemplum externis nostris oculis in rerum natura expositum fateor, nisi id fortè fiat in *Saturno*, ubi curiosi Planetarum contemplatores, globellum quendam in medio illius, circulo quodam ad insignem distantiam circumcinctum, Telescopiorum beneficio intuentur. Qui *Globus* an *Terella* sit, *circulusque*, ex oppositis partibus multùm, seculorum antiquitate, exesa & demolita *fornix*, harum rerum curiosis magis anxiè soliciteque discutiendum relinquo. Quantum ad me, de eis equidem rebus quæ tam longè extra rationis experientiæq; nostræ ictum sitæ sint, parciùs modestiùsque philosophandum censeo.

II. Rectè quidem hic respondes *Epicyclicarum Decadum* Notione sublatâ, omnem de tot terrarum distantiis magnitudinibusque disproportionatis difficultatem cessare, nihilque periculi esse, ne multiplicando Decadas, terræ tandem in minutissima

nutissima puncta contrahantur. Verùm enimverò videndum an non suppar absurditas difficultasque etiamnum maneat, ex eo quod singulæ Decades concentricè cum medio puncto excavati vacui, in infinitum ferè in alias Decades dividantur. Quanquam enim istoc pacto fateor minimè eventurú ut Terræ, mera demum puncta quasi Mathematica fiant, futurum est tamen ut *Malchuth*, hoc est, *Regnum*, quod est rerum populorumque ordinata coagmentatio, tandem fiat papyraceum dicam, (ob tenuitatem,) an Mathematicè superficiarium, nulliusque planè altitudinis aut crassitiei, quod perinde absonum videtur, ac Terra in punctum contracta. Nam dividatur *Tephereth* putà in decem *Sephiroth*, quasi in infinitum, *Malchuth* sive Regnum omni tandem, si fieri posset, superficie Mathematicâ tenuius fiet, & ab aliis Regnis aliquot Sephirotharum intervallo dissitum. Quæ quidem una consideratio, videndum est, an non meritò expergefacere debeat *Judæos*, & excitare ad seriam apud se ipsos disquisitionem, an non hæc infinita Decadum divisio merum ψευδος, quod dixi φαντασμα sit, postquam majores eorum in errorem hunc decem *emanateriorum orbium* incidissent, maximaque pars disciplinæ *Cabbalisticæ*, quæ nunc apud eos viget, nova non sit ac suppositita. Quod & ipsi termini *Cabbalistici* subindicant, ut *Metatron*, *Gematria*, *Notaricon* & similia, quæ à vocibus Latinis Græcisve deducuntur, תמורה verò cum vox Hebraica sit majorem videtur mereri fidem, ut & propterea quod indicatio simplicior sit & facilior, & quasi Anagrammatismus quidam plerisque Gentibus familiaris. Et quanquam גמטריא vox Græca sit, & satis absurdè à γεωμετρία deducta, cum operatio *Arithmetica* potiùs sit quam *Geometrica*, fieri tamen potest ut ejusmodi æqualitatis valorum Literarum in nominibus vocabulisq; contentarum observatæ exempla quædâ antiquissima apud *Cabbalistas* extarent, propriâ illius operationis appellatione, propter longam interjectam earum rerum desuetudinem, deperditâ. In usu verò à primis usque

usque Cabbalistis fuisse, cum singulæ Literæ Hebraicæ numeralem etiam significationem habeant, haud ita veri est dissimile. נוטריקון verò, ut nomen ita rem novam esse, indicio est, quod illius ratio ita laxa sit & diluta, & tam nihil in se habere videatur aut concinnitatis aut roboris. Et certè quod ad duo priora genera attinet, quanquam non inficior in Sacris Mysteriis exponendis ea aliquando locum habere posse, eorum tamen usum in sacris paginis explicandis, ut & sensus Allegorici, rariùs quidem occurrere, sed ut gemmas & metallorum fodinas in terra, parciùs hinc inde spargi; & ut virgâ Divinatoriâ in his investigandis, ita planè, in istis eruendis divino afflatu opus esse, ne in vanissimas nugacitates aberremus. Hæc verò obiter.

In Caput III.
Consideratio primâ.

I.

EQuidem habeo tibi gratias quod & hic tam copiosè & accuratè mihi enarraveris distinctiones inter *Nepheſch*, *Ruach* & *Neſchamah*, etiam *Chajah* & *Jechidah*, ipsumque Librum R. *Mosis Cordueri*, huc mittendum curaveris. Hic autem quædam perpendamus, quæ in hac Sectione occurrunt. Quantum enim ad me, ego in homine unicam esse Animam firmiter statuo, eamque esse, quam omnibus hominibus *Cabbalistæ*, sub nomine *Nepheſch* faciunt communem. Quod verò ad illud Jobi attinet c. 32. 8. ונשמת שדי Et Anima *Schaddai* intelligere faciet eos, Si sic vertatur; Anima *Schaddai* respondet τῷ θείῳ πνεύματι apud *Platonicos*, idemque est qui Spiritus S. quem & præcedentibus verbis indigitari autumo. אבן רוח היא באנוש *Profectò Spiritus ille est in homine.* Spiritus utique Sanctus, seu Divinus, ille transit per corda omnium mortalium & pro tempore & occasione in quibusdam mirificè operatur. Sed particularem aut Animam aut Spiritum præter *Nepheſch* in homine esse,

esse, nec ex hoc loco, nec ex ullo alio evinci posse existimo. Verùm si נשמת שדי reddatur *Inspiratio Schaddai*, tum rectè *Neschamah*, i. e. Inspiratio dicitur emanare à *Binah*, quippe quam ego tertiam in Divinitate Hypostasin esse censeo. Cur verò *Ruach* attribuatur תפ *Tiphereth*, non video, nisi quod illa *Sephirah* sit *Filii* Repositorium propter Animam *Messiæ* cum *Logo* conjunctam, Principem Regni, & promissorem pariter & emissorem *Spiritûs S.* qui per errorem à Cabbalistis existimetur particularis in Homine Spiritus, ut & *Nephesch* è *Malchuth* emanare, quod *Malchuth* sive Regnum *Messiæ* ex immenso quasi numero *Nepheschim*, i. e. Animarum tum Humanarum tum Angelicarum coagmentetur. Nec sanè opus est hisce diu inhærere. Verbum sapienti sat est. Hic verò primus error paulo crassiorem mihi aggenerasse videtur, nempe tam realem inter has tres animas distinctionem ut diversis in locis post mortem habitare existimentur, *Nephesch* in Sepulchro, *Ruach* in Paradiso inferiore & *Neschamah* in Paradiso superiore. Ex quibus manifestò apparet singulas animas humanas, hominum saltem bonorum, tres esse animas realiter distinctas, singulosque istiusmodi homines tres esse quodammodo homines, personasve tres realiter separabiles, quamvis uni in præsens culeo insutas. Unusquisque verò se unicam Personam Animamve quàm intimo sensu & experientia ex eo persentiscere potest, quod unicam se experiri possit habere facultatem animadversivam, nihilque ad essentialem integritatem suæ personæ pertinere nisi quod cum hoc communi Centro *Cataleptico* sive perceptivo inseparabiliter & essentialiter unum est, qualis est pars animæ *Plasticæ*. Quæ quamvis essentialiter & indiscerpibiliter unum quid sit cum parte animæ *perceptiva*, ipsaq; quoad essentiam semper eadem, variis tamen vehiculis induipotest, & pro varia vehiculorum puritate, variis nominibus appellari. Et ex hac vehiculorum distinctione, fortean nata est ipsarum animarum tanquam realiter distinguendarum apud *Cabbalistas*

opinio, cum pro varia tamen puritate vehiculorum, varii tantùm gradus Divinarum operationum in unam eandemque Animam descenderent; Neque enim ipse, quantum video, *Chajah* & *Jachidah*, quartam quintamque animam constituis, sed vitales potius operationes Divinitus influentes. Idem statue de *Ruach* & *Neschamah*, Animaque humana, ut debet, manebit una.

Quantum verò ad sententiam quorundam Christianorum Doctorum, quasi opinioni de tribus in Homine Formis vel Animabus realiter distinctis faverent, equidem apud paucissimos, ni male memini, illud dogma obtinet. Ipse verò accommodatissimum argumentum elegisti, quo opinio ista stabiliri posse videatur, à contrarietate scilicet actionum Animæ simultanearum desumptum, à concupiscentia utique appetitûs sensitivi & repugnantia mentis. Urges enim harum Actionum Accidentia seu Potentias nudas, neutiquam esse posse principia. Quod postremò confirmas noto isto Axiomate, Actiones esse Suppositorum. Ubi ultrò videris agnoscere cum Cabbalistis, Tres illas Animas tria quasi esse supposita. Faveor satis speciosam ac ingeniosam esse argumentationem. Cæterum hic provocandum est ad Experientiam. Plures unâ animas in bruto neminem credo affirmaturum, putà in Cane. Qui tamen in jusculo paulò calidiori, aliquando deprehenditur & lambere & quæritari simul, quod indicio est, & appetitum & aversationem circa jus in eo simul excitari. Idemque fieri potest in Anima humana circa objectum jucundum quidem sed minus honestum, quamvis una sit. Jucunditas appetitum movere potest eodem tempore quo turpitudo aversationem, cum una eademque Anima in homine utriusque sit conscia, ut Anima in cane, voluptatis & doloris. Præterea considerandum est, an quas actiones vocas, revera sint Actiones, non autem passiones potius & impressiones, appetitus intelligo sensitivos, qui virtute unionis partis plasticæ animæ cum hoc terre-

 stri

ſtri corpore ipſi vel in vitæ imprimantur, repugnante interim voluntate mentis lumine illuſtratâ. Poſtremò nihil abſurdi eſt nudas potentias, modo δυνάμεις πνευματικαὶ ſint, quemadmodum alicubi diſtinguit *Ariſtoteles*, pro contrarietate modificationum Objecti, contrariarum Actionum eſſe principia, nec Diverſa hic requiri ſuppoſita. Hæc certè mihi maxime conſentanea videntur, entiaque minimè multiplicanda eſſe ſine neceſſitate.

In Caput III.
Conſideratio ſecunda.

I.

PEr *Ruach* & *Nepheſch* in ſuperioribus ad *Spiritum Naturæ* non alludi, ſatis jam ex te intelligo librisque, quos huc pro ſingulari tuâ humanitate mittendos curaſti. Credoque te facilè admiſſurum *Spiritum Naturæ* non tantùm in *Aſia* ſola commorari, ſed per *Aſiam* univerſam, cum per *Mundum Factionis* ſuprà intellexeris univerſos vortices Mundanos. An verò Spiritus hic, *Sandalphon* quatenus circa Regiones Mundi materialis craſſiores verſatur appellandus ſit; *Metatron* verò quatenus Merator univerſalisque diſpoſitor totius Materiæ Mundanæ Animarumque eâ contentarum, ulteriori diſquiſitone indiget. Suſpicor enim ut non unas ita nec ſemper aptiſſimas notiones nominibus Cabbaliſticis Cabbaliſtas recentiores accommodaſſe.

In Caput III.
Conſideratio tertia.

I.

VAſa fieri non potuiſſe abſente & evacuato DEO manifeſtiſſimũ eſt, ac proinde rectè eum reponis in locum ſuum. Sed porrò diſquirendum eſt, an non eodem plane præſentiæ adeſſentiæve modo reponendus ſit, quo ante Creationem fuit, nem-

nempe ſine omni diminutione eſſentialis æternæque lucis vel gloriæ; ita ut omnem eam quam ante creationem habuit, & abſque creatione eſſet, ſemper fuiſſet habiturus, etiam poſt creationem haberet in omnibus Mundi locis Lucem atque gloriam, nullâ perfectione ipſi per Creationem demptâ aut diminutâ, ſed ſuperadditâ tantùm aut continuâ, aut interciſâ in Mundum partesque ejus pro datis occaſionibus Influentiâ.

II. *De deſtructione vaſorum per præſentiam Lucis Infinitæ, quaſi Infinitum ſupponeretur igneum, &c.* Huic difficultati ingeniosè reſpondes. Idem tantùm innui ac ſi dicatur: *Præſentiam DEI naturalem in Arca Fœderis per præſentiam gratioſam eſſe immutatam, &c.* Sed enimverò diligenter hîc diſpiciendum eſt an uſq; adeò quadret præſenti cauſæ hæc comparatio. Status enim externus ac mutabilis Divini Numinis, hic comparatur cum ſtatu itidem externo & mutabili. Status verò Numinis ante Creationem ſtatus quidam internus erat æternusque, ac proinde immutabilis ac permanens in æternum. Hujusmodi planè erat illius Lux & gloria ante Mundum conditum, quæ propterea imminui aut mutari neutiquam poterat, ut ſic locus parari poſſet Mundis condendis creandiſve. Dignum profectò eſt hoc argumentum, ut alta mente ac tranquillâ cautè curioſeque penſitetur, cum primum ponatur, præcipuumque hujus *Cabbaliſticæ Metaphyſices* Fundamentum.

In Caput IV.

I.

U*trum Adamus primus DEUS ſit an Creatura*; ad hanc quæſtionem ſummâ quidem, quam res patitur, ἀκριβείᾳ reſpondes, affirmando eſſe *conceptum diſtinctum DEI, quatenus ut cauſa prima in actu cauſandi conſideratur.* Sed curioſi hic ſe abſtinere non poſſunt, quin porro quærant, cur DEUS ut prima cauſa humanâ formâ ſe indueret, quaſi id quicquam contribueret ad faciliorem magisve ſcitam Mundorum condendo-

rum rationem, & qui factum, ut hujusmodi externo quasi modulo indigeret, cum Ideas rationesque rerum omnium ac specierum in mente ab æterno immutabiliter ac necessariò habuerit.

II. Et quantum quidem ad distantiam hujus *Adami primi* à Mundis à se creandis, videndum quàm ægre difficultas sublevari possit, aut supponendo radiorum propagationem, per quos præsens censeri possit, ut alia Objecta figurata in locis dissitis per species suas *intentionales* quodammodo adesse reputantur, aut reverà præsentem esse concedendo, quamvis aliis ob variatum præsentiæ modum nominibus expressum. Quippe intellectu difficile est quomodo istiusmodi radii *hominiformes* propagentur ab *Adamo primo*, cum non sit Lux corporea, nec sint reverà istiusmodi radii in Objectis corporeis, quos Philosophi veteres, *Aristotelici* prælertim, nimis temerè finxerunt, &, si essent sanè istiusmodi *species intentionales* ab *Adamo primo* promanantes, cum eædem hominiformes sint, difficile sit conceptu, quid ad Mundos variasque rerum species creandas, ab humana specie tam longè differentes, conferrent. Quam partem igitur Responsionis tanquam minùs validam ipse videris declinare, & adhærere potius alteri. Quæ aliàs profectò satis solida; hoc tamen non vacat incommodo, quòd omnem usum hujus *Adami primi* penitus videtur subvertere. Nam si DEUS revera præsens in eis spaciis ubi Mundi creantur, virtute suæ præsentiæ eos ibi creat, quid opus est hoc *Adamo primo* tam longinquè ab eis remoto?

III. Atque hinc certè videtur haud difficile dispicere, palamque deprehendere quantilli momenti vim habeant, hujusmodi Inventa *Cabbalistica*, ad fidem Creationis confirmandam, aut ad augendam Religionem, cum multò plus valeat Divini Numinis è propinquo circa nos, immò in nobis habitantis subinde recurrens tempestiva Recordatio, ad purificandos animos & gressus nostros cum timore ac reverentia ad domestici

mestici hujus numinis nutum dirigendos, & ad agendum omnia tanquam in conspectu illius qui nostra omnium corda perscrutatur ac permeat, quàm immensæ cujusdam Imaginis humanæ in immanem membrorum laxitatem diductæ & immensis spatiis supra Mundum Materialem elevatæ ac remotæ incerta, & tantum non superstitiosa saltem, si non Idololatrica Contemplatio. Nè ille demum ad unionem cum prima causa, qui ex mero amore ac benignitate omnia creavit, efficaciter separat, qui omnibus deletis externis Imaginibus propriâque extinctâ voluntate ac amore, ad liberum illum nihilque sibi quærentem Divinum Amorem quotidie anhelat, semper memor Dicti illius, dilectissimi discipuli Domini nostri JEsu Christi, *DEUS est Amor, & qui in Amore manet, in DEO manet & DEUS in eo.* 1. Johan. 4.

In Caput V.

I.

INspirationes DEI non esse nugatorias & inutiles. Etiam huic difficultati maximè appositum accommodasti Responsum. *Inspirationes tamen DEI, Angelos proponere ut Aquilas, Boves, Leones, DEUM ut Hominem, Ignem, Nubem, &c.* Verùm hic observandum est, Ubi Divina Inspiratio *Angelos* proponit ut *Aquilas, Boves, Leones, &c.* proponere ut Symbola quædam ac Hieroglyphica quibus miranda Arcana repræsentantur, quemadmodum fieri in Visione *Ezechielis* in *Expositione* nostra fusè enarravimus, quando *Deum* ut *Hominem*, ut in eadem visione Mysterium unionis Animæ *Messiæ* cum æterno *Logo*, quo evadit verus DEI Filius, subindicari, quando ut *Antiquum Dierum*, cum *Filio Hominis*, ut apud *Danielem*, DEUM *Patrem* cum Incarnato *Filio* Hieroglyphicè indigitari. Ubi verò *Ignis consumens* dicitur aut *Nubes refrigerans*, vulgares esse Metaphoras manifestissimum est. Descriptio verò *Arich Anpin* & *Seir Anpin*, & *Adami primi*, qui & *Adam Cadmon* dicitur, ad

 hunc

hunc censum nullo pacto referri potest, tum quod minimè probabile, doctrinas Cabbalisticas, veras & antiquas alias fuisse quam veritates quasdam Divinas, sublimes quidem & excelsas, sed nudas interim & apertas, Symbolicis Hieroglyphicisve Scripturæ Locis applicatas, non *nova* verò *Involucra* & *Ænigmata*, tum quod dictæ descriptiones nullas veritates Philosophicas ullius quidem momenti aut profunditatis repræsentent, sed animum potius in crassos de DEO conceptus, & rudem Anthropomorphitismum abjiciant, dum non figuratè sed propriè, quæ DEO in Scripturis, per ἀνθρωποπάθειαν attribuuntur, intelligenda insinuant. Quæ quidem cum ita se habeant, seriò tandem judicatoque determinandum est an non multò sit credibilius, posteriores *Cabbalistas* antiquis Cabbalæ Reliquiis malè intellectis, per styli Prophetici ignorationem, veræque Philosophiæ inscitiam, in adeo depravatas rerum Imagines pristinam Theosophiæ Judaicæ simplicitatem convertisse, quàm hujusmodi Inventa absona atque aliena genuinam ἀνθρωποπάθειαν illius Sapientiæ fuisse suppellectilem. Equidem fateor hanc *Cabbalisticam Metaphysicam* me paulo liberius iterum vellicasse quàm intenderam. Sed candorem tuum obtestor generosamque animi sinceritatem, ut hanc meam libertatem æquo animo feras, quippe qui eâ usus sum nulla alia de causa quàm ex amore veritatis & non ficta erga ipsos *Judæos* benevolentia, quos hoc pacto exuscitari posse sperabam ad recognoscendum apud se ipsos, quomodo aruerint tanquam extra vineam abjecti palmites ex quo à vera vita JEsu Christo sunt abscissi, & quàm vani facti sint in ratiocinationibus suis, postquam æternum *Logon* incarnatum abnegaverint, ut resipiscant tandem, & ad veram in Christo fidem convertantur, promissumque Spiritum obtineant, eamque unctionem quæ ipsos edoctura sit omnia. Interea loci minimè tibi vitio vertendum censeo, quod harum qualiumcunque Cabbalistarum Speculationum tam

tam strenuum te accommodasti patronum, quippe quem eo consilio fecisse sat scio, ut apud omnes ipsosque adeo *Judæos* clarius posset constare, quid solidi inter Cabbalæ *Judaicæ* reliquias, quidve secus supersit, ut *Judæus* & *Christianus*, quod apud alterutrum bonum est, alter ab altero mutuò accipiant, & quod secus est unanimiter excludant & abjiciant, & in unum corpus tandem coalescant, unamque *Malchuth*, Sponsamve unam illibatam vel uxorem non quidem fictitii eorum *Seir Anpin*, sed veri *Messiæ*, Dominique nostri JEsu Nazareni, quem per errorem ipsi crucifixerunt, quique in mediis doloribus Patrem oravit ut condonaret ipsis horrendum illud peccatum, quod certissimum est cum nec Hypocriticè nec inefficaciter fecisse, sed aliquando fore ut plenum effectum preces illius sortiantur, totusque Israël convertatur ad DEUM patrum suorum, quem, JEsum Nazarenum, verum Messiam repudiando, turpiter repudiarunt. Hunc pulcherrimum præclari tui Instituti scopum esse, præstantissime N. vel ex ultimis tuis verbis è *S. Paulo* mutuatis, quibus Responsionem concludis, omnibus potest constare. *Omnia probanda, quod bonum est, tenendum.* Cæterum cum nimium multa reprobasse, *Judæis* præsertim, videri possim atque abjecisse, ut hanc jacturam aliquo modo compensem, Dicti etiam memor Amicissimi tui, Domini *N. N. van N.* nec iniqui sane nec infaceti, *mihi* utique *fas non esse veteres calceos Judæorum pedibus detrahere, nisi ipsis pararem novos*, experiebar equidem, Christo cœptis aspirante, quid mea ars ea in re efficere possit, hoc est cum præsentis *Metaphysicæ* sive *Theosophiæ Cabbalisticæ* fundamenta videri possim penitus subvertisse, ut damnum hoc aliqua ex parte resarcirem, novam *Mercavæ Expositionem* instigante Domino *N.* meditatus sum, quam vera *Theosophiæ Judaicæ* fundamenta complecti apud omnes in confesso est. *Nova* verò an *antiqua* potius dicenda sit hæc nostra *Expositio*, si quidem

quidem genuina sit ac vera, penes harum rerum intelligentes sit judicium. Sed utcunque cum ex pauxillis antiquæ Cabbalæ ruderibus noviter sit eruta, ea quidem ratione, *nova* perinde atque *antiqua* dici potest, ne novos *Judæis* juxta promissum Amicissimo tuo factum, non videar paravisse calceos. Quos tibi in manus eâ lege trado, ut *Judæorum* pedibus induendis, & quâ arte possis, adaptandis, sedulò des operam.

VISIO-

VISIONIS EZECHIELITICÆ *Sive* MERCAVÆ EXPOSITIO,

Ex Principiis Philosophiæ Pythagoricæ Præcipuisque Theosophiæ Judaicæ Reliquiis concinnata,

Mirâque cum locis quibusdam S. Scripturæ hactenus obscuris, ac luculentâ congruitate consolidata.

PRiusquam institutam hanc Visionis *Ezechieliticæ* Expositionem aggrediamur, ut meliori Methodo Majorique claritate ac firmitudine procedamus, Postulata quædam, aut antiquæ *Pythagoreorum* Philosophiæ (à qua non multum abluditur, quantum ad eas res, ad quas nos respicimus, Cartesiana) aut selectioribus Theosophiæ *Judæorum* Reliquiis, aut denique insignioribus quibusdam S. Scripturæ Locis satis consentanea, primo in loco sunt proponenda.

Postulatum I.

IN Cabbala *Mercavæ* summa contineri, quæ concipi possunt, & profundissima Mysteria, vulgarique Philosopho vix credibilia.

Ad hunc ferè sensum passim occurrunt, si rectè memini apud R. *Mosem Ægyptium* in *More Nevochim* de profunditate Arcanorum *Legis* & *Operis Mercavæ* præsertim, luculenta Testimonia. Nec dubito quin ipse, eruditissime N. cum in his studiis versatissimus sis, quàm plurima alia *Cabbalistarum* suffragia huc adjicere possis, speroque neminem fore qui super hac re sit hæsitaturus.

Postulatum II.

OMnes Animas tum Angelicas tum Humanas Animamque adeo *Messiæ* in principio cum ipso Mundo materiali creatas fuisse, omnesque ab eo usque tempore extitisse.

Nihil ferè apud *Cabbalistas*, ut præstantissimos tum Patrum Ecclesiæ, tum Philosophorum Ethnicorum, Pythagoreos & Platonicos præteream, magis in confesso est quàm *Animarum Præexistentia*, adeò ut hac de re minimè laborare debeamus.

Postulatum III.

TOtum Mundum Materialem in primævo suo statu aut diaphanum fuisse aut lucidum, hoc est, in Soles, transparentesque Cœlos, æthereosve Vortices fuisse distributum.

Hoc certè constare potest ex *Cabbalæ* nostra *Philosophica* in Interpretatione Operis quartæ Diei. Nec permittit brevitas ut eadem hic repetamus. Res facile intelligitur è Philosophia *Cartesiana*. Hoc tantum obiter noto, cum & ipsius *Merceavæ* intellectio intellectioni operis quartæ Diei innitatur ab eave dependeat, minùs mirum videri debere, quod *Tetractys* tam sacrum esset apud *Pythagoreos* Juramentum.

Postulatum IV.

DUo quasi esse præcipua Mundi Materialis Elementa, *Naturale* alterum, alterum *Divinum*. Prius autem esse subjectum Operationum *Spiritûs Naturæ* quem *Cabbalista Sandalphonem* appellant, Posterius *Spiritûs S.* vehiculum, verumque illud Manna cœleste, quod Cibus Panisve sit Sanctarum Animarum ac Angelorum.

Spiritum Naturæ hic *Sandalphonem* appello tuâ Autoritate adductus. Duo autem hic statuo quasi Elementa Mundi Materialis, non quod totus Mundus Materialis ex istis, tanquam unum perfecte *Mixtum*, consisteret, ut corpus putà terrestre ex

ex quatuor Elemẽtis, sed quòd duo talia corpora specificè distincta, unum *corruptibile* & mutabile, alterũ prorsus *incorruptibile*, in universo hoc rerũ Materialium complexu reperiantur, *Divinum*, hoc *Elementũ* (sic, quod corporeũ sit appellatum) cœlesti præsertim Materiæ seu Æthereæ, tanquam Sanctissimum quoddam illius condimentum, passim sit intersperſum. Atque cœlos equidem שמים duali numero, ob hæc duo Principia seu Elementa, *Naturale & Divinum*, perinde atque propter *globulos & Materiam subtilissimam* verisimile est nuncupari. Quæ verò me ratio moverit, ut hæc duo Elementa statuerem ex variis Locis Scripturæ satis fusè in Scholiis doceo. Quæ nimio tædio hicesset repetere. *Elementum* autem hoc *Divinum* in Visione *Ezechielis* sive *Merceavæ*, subjindicari, suo loco notabo.

Postulatum V.

SOlem in unoquoque vortice & *Medium* esse & *Imum* sive *Infimum*. Partes verò à Sole remotiores *sublimes* esse & *extremas*.

Hoc facilè admitti potest, si consideremus, Motum à Circumferentia versus Centrum, dici descensum, à Centro verò ad Circumferentiam Ascensum.

Postulatum VI.

IN quatuor inæquales partes dividi posse *Vorticem*, quatuorque inde fingi *Mundos* sive *Orbes*, eorumque supremum vocari *Aziluthicum*, alterum *Briathicum*, tertium *Jeziratbicum*, & ultimum denique *Asiathicum*.

Curiositatis nimiæ forsan foret, præcisis limitibus hos quatuor Orbes seu Mundos circumscribere, minusque consultum nullis indicationibus ipsorum spatia determinare. Igitur ne nullam Intervallorum distinctionem fecisse videar, plenioris Explicationis gratiâ, sumpto nostro vortice, puroque supposito & sine Planetis, quorundam tamen interim nomini-

minibus Planetarum retentis, extendatur Orbis sive Mundus *Aziluthicus* à margine Vorticis ad Orbitam *Saturni*, *Briathicus* ab Orbita *Saturni* ad Orbitam *Martis*, *Jeziratbicus* ab Orbita *Martis* ad Orbitam *Mercurii*, *Asiathicus* ab Orbita *Mercurii* ad corpus *Solis* jam frigescentis. Duplicem enim *Parmenides* posuit, & *calidum* & *frigidum* Solem, qui primò *Cometa* factus mox *Planeta* fit seu Terra. In duas verò Regiones dividi potest Orbis *Asiathicus* in superiorem & inferiorem. Superior à *Mercurio* ad *Atmosphæram* extenditur. Inferior Atmosphæram, ipsumque corpus *Astri frigidi* complectitur.

Postulatum VII.

OMnes Animas etiam in Mundo *Aziluthico* corporeis aliquibus vehiculis indutas fuisse.

Hoc certè valde consentaneum est, alioqui, si omni corporeitate caruissent haud videtur adeò verisimile, quòd status earum mutari potuisset. Præterea *Mesitas* Animarum omnium bonarum Pastor, eas dicitur salvaturus [illegible] hoc est, modo quàm perfectissimo. Heb. 7. 25. Quæ tamen Salus consistit in recuperatione corporis *Spiritualis* & *glorificati*, verèque *Paradisiaci*, cujus locus est in Mundo *Aziluthico*, Superioris nempe præsertim Paradisi. Nulla igitur major fælicitas animæ competit, quoad speciem, quàm ut habeat vehiculum sive corpus cœleste, Spirituale & gloriosum. Huc postremò adjici potest Dictum illud *Cabbalisticum*: Nullam virtutem Divinam descendere sine Indumento.

Postulatum VIII.

ESse *Revolutionem Animarum* humanarum per omnes Mundos *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jeziratbicum*, & *Asiathicum*, aut *suâ culpâ* aut *Divino Fato* profectam.

Hinc Animarum Revolutionem quadruplicem omninò esse constat. Singulasque Revolutiones esse certas quasdam in singulis illis Mundis ab introitu ad exitum moras. Hic verò

rò notatu dignum est *Fatales* Revolutiones vitalesve Periodos ex essentiali charactere Animarum exortas immane quantum inter se differre. Quod præsertim intelligendum est de *Revolutione Aziluthica* & *Briathica*. Esse verò Animarum Revolutionem in confesso est apud *Cabbalistas*, qui & גלגול Animarum eam appellant.

Postulatum IX.

ANgelicarum Animarum *Revolutionem*, quanquam ad terrestrem Regionem propriè dictam haud pertingit, ad superiorem tamen partem Mundi *Asiathici* & Atmosphæram extendi.

Hoc enim videtur esse discriminis inter Animam *Angelicam* & *Humanam*, quod *Humana* carnem terrestrem induere possit, *Angelica* verò nequaquam. Cui fortasse affine est illud R. *Mosis Cordueri*: *Vehiculum Angeli melius esse humano, Animam verò hominis meliorem Angelicâ.* Quod certè si ponatur sensu paulò uberiori, nempe quod Anima humana ex sua natura Divinitati aliquanto addictior sit quam Angelica. Angelicam verò vehiculum aliquanto opulentius & quod ad suas delicias promptius alliciat Animam Angelicam, quam humanum humanam Animam ad suas, hinc causa deduci possit cur Angeli priùs lapsi sint quàm Animæ humanæ, priusque in Mundum *Jeziratbicum* discesserint, quàm illæ. Nullum enim ferè apparebat discrimen inter *Angelos* & *Homines* in Mundo *Aziluthico* & *Briathico*, nec ullum erat peccatum in illis Mundis Statibusve reperiri, cum in utrisque retineretur immaculata Innocentia, quemadmodum in *Cabbala Philosophica* insinuavi. Aliqui verò ex Ordinibus Angelicis suâ *culpâ* non *Divino Fato* in Mundum *Jeziratbicum* prorumpentes, tentarunt posteà Animas *Briathicas*; Quæ quidem hic latiùs deducendi non est locus. Nec tamen nisi parcius & compendiosius hisce de rebus egimus in *Cabbala Philosophica*; in Geneseos Cap. 2. & 3.

Postulatum X.

ANimas, quæ non *suâ* quidem *culpâ*, πνεύματα, laborant, sed *Divino* quodam *Fato*, in Mundum *Asiathicum* delabuntur, Divinâ quâdam vi munitas ac agitatas tutò certoque in Mundum *Aziluthicum* reverti.

Hæc enim Vasa sunt electa, quæ Divina virtute fideliter adjuta, nullæ illius Mundi aut res adversæ aut Illecebræ perfringere possunt aut emollire flectereve in vitium. *Agrippa* alicubi, ni malè memini, appellat *Heroas*.

Postulatum XI.

IN Mundo *Aziluthico* Animas tum *Humanas* tum *Angelicas* Divino Amori, Divinisque ac sublimibus speculationibus, neglectâ ferè ac vix perceptâ adhuc vitâ *naturalis vehiculi*, totas fuisse intentas.

Quem quidem Animarum statum in hoc Mundo ipsum nomen innuit. Nam & ipse agnoscis vocem אצילות alludere ad vocem אצל quæ denotat rem propinquam. Hic igitur omnes Animas cum Davide dixisse, Ἀγαθὸν μοι προσκολλᾶσθαι τῷ θεῷ, *Bonum est mihi adhærere & quasi agglutinari DEO*, hoc est, arctissimam cum illo unitatem servare, spretis neglectisque rebus omnibus externis. Tanto amore erga DEUM solum incenduntur Divinamq; contemplationem Animæ in statu *Aziluthico*. Unde hic Locus Mundusve, ob amorem hunc igneum & *Seraphicum*, uti & ob igneam vivacissimamque naturam Cœlestis materiæ ibi locorum (quod & ex celeri Cometarum trajectione deprehenditur) haud ineptè cœlum *Empyreum*, (quæ suprema Beatorum sedes censetur) appellari potest. Compara hunc statum cum statu *Adami* ante *Evam*, è Costa ejus factum. *Gabb. Philosoph.* Cap. 2. v. 8. Ubi *Adamus* in Divinum Intellectum Solem illum Justitiæ (quemadmodum & ipse *Philo* eum appellat *Solem*) quasi Aquilinis oculis perpetuo obtutu defigitur.

Postulatum XII.

IN Mundo autem *Briathico*, Animas intentissimum illud rerum Divinarum studium, internæque Contemplationis ardorem paululùm relaxasse & foras quasi prospexisse, nempe in *Mundum externum* Materialem, & attendisse aliquantulùm *vitæ* ac *motibus vehiculi naturalis*, Societatesque *Politicas* instituisse, & humanitatem interim, ac charitatem sinceramque Amicitiam inter se coluisse.

Atque hunc quidem Animarum statum vel ipsum nomen iterum denotat, quemadmodum & ipse innuis, quasi בריאה diceretur cum allusione ad בראה vel בר foris, extrà. Hic enim notatum est *extra* prospectare animas in hoc statu Societates inire *Politicas* & de rebus agundis consilia capere, sed summa interim cum benignitate & innocentia. Compara hunc statum cum statu *Adami* post *Evam* è costa ejus factam, & ante lapsum, Cabb. Philos. Cap. 2. à v. 18. ad finem capitis. Non incommodè autem hic accidit quod Mundus hic *Briathicus* cœlum occupet *Saturni* & *Jovis*, qui *Consilii* apud Astrologos, & *Benignitatis* sunt Judices. Interea loci non abs re fore censeo hic monere, cùm huc res rediisset, tempus tunc fuisse, in quo DEUS transegit cum Anima *Messiæ* de Passione ejus & Redemptione Mundi. Nam proximè restunc aberant à verò lapsu. Et memoratur præterea in *Pesikta* quod Deus è Throno gloriæ animam *Messiæ* proferens rogabat an vellet populum redimere & pro eis pati. Notum verò est apud Cabbalistas *Thronum* & *Briam* idem significare.

Postulatum XIII.

ANimam *Messiæ* in Mundo *Aziluthico* tantum profecisse & tam arcto amore ac unione cum Divino Intellectu, sive æterno *Logo* coaluisse ut randem summo planè gradu *Aziluthico* vel potius *Hyperaziluthico*, & si Scholasticè loqui liceat *Hypostatico*, cum eo unitus esset, adeo ut Anima *Messiæ* & Divinus

Logos una fieret פרצוף i. e. una persona (ut Anima & corpus unus Homo) quæ rectè appellanda esset *Filius DEI.*

Filium DEI nomen esse *Messiæ* notissimum est. Nec tamen pigebat huc ascribere quod occurrit apud R. *Mosem Corduerum*, nempe: *In quantum homo appropinquat conditori suo in tantum ipsi affundi de Spiritu* [Ruach] *& prout magis se dignum præbet, sic* Neschamah *quoque ipsi affluere, & si ad ultimam* ἀκμὴν *perducat cultum suum, derivari in eum Neschamah Aziluthicam*, ita ut appellari queat *Filius Sanctissimi.* Et in *Emek Hammelech* memini occurrere distinctionem inter *servum DEI*, & *Filium DEI*, ex hujusmodi rationibus. Sed hic Anima *Messiæ* adhuc aliquid magis singulare habet quoad nexum suum cum æterno *Logo* summè *Aziluthicum*, vel ut rectius dicam, *Ineffabilem*, sicut dicitur in Apocalypsi c. 19. v. 12. *Nomen illi inscriptum esse quod nemo novit præter seipsum.* Interea tamen minimè prætereundum censui, cum *Judæi* decem Personas in Divinitate (quarum tamen septem fictitiæ sunt) agnoscant, frustrà adversus nos cavillari, qui tres profitemur, & cum illi hunc vel illum Patriarcham cum hac vel illa unitum asserant, unionem Animæ *Messiæ* cum Persona *Chochmah*, sive *æterno Logo*, inscitè ac immeritò negare.

Postulatum XIV.

ANimam *Messiæ* sic cum æterno *Logo* unitam, à DEO Patre Principem fuisse constitutum omnium Animarum in quocunque statu positarum, Regem utique factum esse quatuor Orbium seu Mundorum, *Aziluthici, Briathici, Jeziathici* & *Asiathici.*

Hoc decretum factum est, sub initium Regni Mundi ve *Briathici* ante pactionem de redimendo Populo per mortem suam. Atque hæc est insignis illa gloria quam obtinebat *Messias* ante jacta Mundi Fundamenta, & quæ ad illum spectabat quatenus erat *Messias.* Unde intelligendus est locus iste Johannis

hannis c. 17, 5. *Glorificame tu Pater, eâ gloriâ quam apud te habui antequam hic mundus factus esset.* Πρὸ τοῦ τὸν κόσμον τοῦτον γενέσθαι παρὰ σοὶ, hoc est, ante Mundum hunc *Asiathicum.* Nam ab istis usque temporibus agnitus est *Messias* Filius DEI unigenitus, quatuorque Mundorum Rex, cui omnis jam olim data est potestas in cœlo atque in terris, sed denuò manifestata & declarata post Resurrectionem. Hinc etiam loci illius obscurissimi, Philip. c. 2. v. 6. 7. 8. facilis est Explicatio. Hic enim Anima *Messiæ* nexu summè Aziluthico vel si mavis Hypostatico cum æterno Logo unita & una פרצוף cum eo facta, adeoque unus verusque DEUS quatuorque Mundorum Princeps vel Rex, non Homo tamen solummodo fit, sed & servus. Qui cum esset in forma DEI non duxit rapinam, parem esse cum DEO, sed ipse se exinanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus, &c. De tam matura verò Inauguratione Animæ Messiæ in hunc gloriosum Principatum sive *Dinarchatum* quo totius sui vorticis factus sit Princeps, illud Psalm. 72. prout interpretati sunt *Septuaginta*, illustre videtur Testimonium v. 5. Καὶ συμμεγεθυνθήσεται τῷ ἡλίῳ καὶ πρὸ τοῦ σελήνου. Ubi *Hammondus* noster vir pius & doctus, Septuaginta ויארוך pro יראוך legisse & rectè quidem opinor, conjectat. Unde sic optimè verti potuit, καὶ συμμεγεθυνθήσεται τῷ ἡλίῳ καὶ πρὸ τοῦ σελήνου. Et duravit nempe *Messias*, in *Dinarchatu* suo τῷ ἡλίῳ, donec *Sol* sui vorticis in *Astrum frigidum* esset conversus, & quanquam simul cum Sole condito non inceperit Regnum ejus, incepit tamen & duravit πρὸ τοῦ σελήνου *ante Lunam*, tanquam *Mercurium* aliquem, circa Solem sui vorticis circumgyrantem, vel antequam conversa esset in corpus opacum ac frigidum. Quod indicio est à primis usque seculis regnum *Messiæ* incepisse. Et דור דורים retro numerando fere attigisse, hoc est Seculum *Aziluthicum.* Atque hæc de Duratione Regni *Messiæ* à parte ante, de qua plura in *Catechismo Cabbalistico* dicentur, ut de duratione à parte post, in *Jesod.*

Postulatum XV.

ANimam *Messiæ*, statim atque Princeps quatuor Mundorum constitutus esset, pactumque Crucis pepigisset cum patre, potestatem habuisse confirmandi Animas etiam *Angelicas* perinde atque humanas in statu suo *Aziluthico* vel *Briathico*.

Eo usque scilicet ut nihil incommodi ipsis acciderer præter *Naturam* præterque *Fatum*. Atque huc sanè spectare videtur insignis ille locus *Pauli ad Colossenses* Cap. 1. v. 19. *Quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in eo inhabitaret; & ut pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliaret omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terris, tum quæ in cœlis.* Sed pergimus ad duos reliquos Mundos.

Postulatum XVI.

ANimas Angelicas in Mundum *Jezirathicum*, præ nimiâ *vehiculi naturalis* vivacitate ac lasciviâ primas prorupisse, nec Innocentiam amplius retinuisse, sed *Irascibili & Concupiscibili*, effræni modo indulsisse.

In Mundo quidem *Briathico* sive Cœlo *Saturni & Jovis* Animæ tum humanæ tum Angelicæ cautè & circumspectè, & senili quasi quodam cum consilio, at cum summo interim candore ac benignitate omnia peragebant. Lapsis verò Animabus Angelicis in Mundum *Jezirathicum*, [illegible] aut loquitur *Plotinus*, vel si malles, *Irascibile & Concupiscibile* mirum in modum exæstuabant, ac si major illarum ad solem appropinquatio naturalia vehicula fortius everberaret & irritaret, nec temerè hic Mundus *Martis* ac *Veneris* Cœlum appellaretur. Hic enim Irascibili & Concupiscibili loca effusissimè relaxabant, malisque Cogitationibus & Inclinationibus nequiter indulgebant. Unde forte in nomine יצירה ad יצרורע alluditur. Inter reliqua autem vitia enormis exorta est superbia & imperium militari virtute proferendi indomita libido, adeò

adeo ut si uspiam, hîc facta sit illa latè famigerata aut *Gigantum* aut *Luciferi* pugna ac Rebellio. Quam feliciter tandem compresserit DEI Filius. Vide *Barue.* Cap. 3. v. 26. *Illic fuerant Gigantes illi nominati qui principio erant permagni, periti re militaris, &c.* perpende locum, egregiè enim huc facit. *Illic fuerant Gigantes*, nempe in magna illa, altaque DEI domo, quæ est cœlum. *Adami* etiam Tentatio per *Ophoneum, Luciferi* Legatum seu Oratorem, huc forsan referenda est. Et opportunè hîc est reminiscendum, per *Serpentem* stylo Prophetico, non unam singularem personam, sed corpus politicum, ut in *Apocalypsi*, intelligi posse. Confer statum Mundi hujus *Jezirathici* cum statu *Adami* consilio serpentis obsecuti. *Gabb. Philosph.* Cap. 3. v. 1. & 6.

Postulatum XVII.

HUmanas etiam Animas tandem lapsorum Angelorum astu ac solicitatione circumventas in Mundum *Jezirathicum* itidem delapsas esse.

Hoc est אמה sive nuda declaratio lapsûs *Adami* in Paradiso cœlesti. Symbolicè & Ænigmaticè in litera descripti. Quippe quum Lapsus *Adami* in Paradiso terrestri Figura sit & Imago lapsûs in cœlesti. Ubi unus aliquis homo non intelligitur, nec unus Serpens vel Diabolus, sed per Prophethicam *Henopaiam* species humana, & corpus Diabolorum sive Angelorum lapsorum Politicum Serpente repræsentatum, sicut Serpens septiceps in *Apocalypsi* exponitur, *Politicè* nempe per *Henopaiam*. Ad quem sensum videtur locutus *Salomon.* Eccles. c. 7, 29. DEUM fecisse האדם *Adamum* sive *Hominem rectum*, והמה *& ipsos inquisivisse* חשבנות רבים. Ubi חשבנות videtur poni pro יצרים. Quod & magis Grammaticè sonat, & huic quidem statui Animarum vel potiùs lapsui, *Jezirathico*, consonantiùs.

Postulatum XVIII.

ANimas humanas pariter ac Angelicas effrænium suarum cupiditatum expletarum sordibus onustas quasi ac lassatas in Mundo isto *Jezirathico*, in Mundum *Asiathicum* porrò subsedisse, *Angelicas* quidem usque ad *Atmosphæram Astri frigescentis* aut jam frigidi, *Humanas* verò etiam in ipsum *Astri frigidi corpus*.

Commodè equidem hactenus accidit ut *Regiones* in quibus Mundi siti sunt, apta nomina æque ac *ipsi Mundi* sint sortitæ, cum Mundus *Aziluthicus* Cœlum, à me *Empyreum* vocatum, occupet, *Briathicus* Cœlum *Saturni* ac *Jovis*, *Jezirathicus*, *Martis* ac *Veneris*, ubique convenienter rebus ipsis significandis. Quod credo aliquo modo videri posse hic contingere, nempe si notemus per *Asiah* מעשה *opus* vel *opificium* rectè alludi, *Mercurium* verò *Facturis*, *Technicis* & *Mechanicis* ab Astrologis Philologisque præfici; *Opificium* verò *Facturasque Mechanicas* materiam aliquam crassiorem requirere. Ne addam in superioribus Mundis *Divinâ* quadam *Magiâ* res ferè fieri. Virtutem verò *Magicam* etiam in superioribus partibus Mundi *Asiathici* multùm minui, in inferioribus verò extingui prorsus solamque vigere *Mechanicam*. Nec prætercundum duxi Mundum *Jezirah* ita fortè appellari non tantùm *morali sensu* ob perversas Cogitationes *figmentave interna*, sed ob *Figmenta* etiam *externa* distorta & absona planèque nova & inaudita, quæ *Rephaim* abusi virtute Magicâ in Mundo *Jezirathico* produxerint, sic dicto, inquam, ob inauditas rerum formationes *externas*, enormes, deformesque, & Divinæ pulchritudinis Legibus contrarias. Qua virtute Magica cum tam fœdè abusi essent, minùs mirandum est, tandem detrudendos fuisse in statum *Asiathicum*, ubi *Magia* minùs viget, sed illius loco tandem succedit Ars *Mechanica* & *Manufactura*. Hæc verò nominum Regionum congruitas mihi nihil tale expectanti, post distin-

distinctionem Mundorum istis limitibus factam, observata est. Quam certè negligere religio erat, cum *S. Johannes* tam præclaro mihi præivit exemplo, qui septem Intervalla Ecclesiæ septem Civitatum nominibus, ad statum singulorum Intervallorum significandum aptis pulchrè distinxit & illustravit.

Cæterùm quantum ad ipsum statum Mundi *Asiathici*, manifestum est Animas huc delapsas sordibusque anteactæ vitæ coinquinatas, magis impuris crassisque vestiri vehiculis. Nam Regionem inter *Mercurium* & *Solem*, etiam antequam Sol incrustetur Maculis non tam cœlestem esse quam aëream ipse agnoscit *Cartesius*. Quæ procul dubio crassescit magis Sole corticibus incrustato. Necesseque est Animas huc delapsas magis segnem ac laboriosam vitam agere quàm cum in superioribus magisque puris Cœli Regionibus spirabant, in terrestria verò tandem corpora detrusas cogi demum hærere quasi ac laborare in luto. Confer statum hunc *Asiathicum* cum statu *Adami* Lapsi. Cabb. Philos. cap. 3. v. 13. 16. 17. 18. 19. Ubi manifestum est, *Mosen* totum laborem *Asiathicum* & *Mechanicum* solâ fere Agriculturâ per *Diorismum* Propheticum exprimere.

Postulatum XIX.

SIngulis Mundis Statibusve Mundos singulos statusve aliquo modo inesse *Aziluthico* Briathicum, Jezirathicum & Asiathicum, *Briathico* Jezirathicum, Asiathicum & Aziluthicum, *Jezirathico* Asiathicum, Aziluthicum & Briathicum, &c.

Hoc certè non magis mirum videri debet *Judæis*, quàm quod apud R. *Mosem Corduerum* occurrit. In *Aziluth* per se fieri אצל five *Aziluth*, *Briah*, *Jezirah*, *Asiah*, quamvis omnia sint *Aziluth*. Quanquam & istud huic rei tam accuratè fortean non quadrat. Res ipsa nullam in se habet difficultatem. Satis enim consentaneum est, in singulis Mundis, quanquam unus certus status maxime valeat præ reliquis, reliquos tamen ibi

 esse

esse δυνάμει, si non ἐνεργείᾳ, aut ὁ ἐνεργείᾳ saltem remissiori, aut in aliquibus saltem animabus si non in omnibus.

Plura hic *Postulata* forte præmisi quàm quibus opus sit in *Mercavæ* explicanda. Sed si quædam sint ad quæ in interpretanda ista Visione non sim recursurus, scias tamen non frustra interseri, cum ea ad quæ recursurus sum suffulciant. Spero autem hæc quæ præmisi adeò consona fore *Visioni*, ut, quemadmodum Lucem *Visioni* allatura sunt, ita robur ac firmitudinem sibi à visione sint reportatura, cæteraque in visione his ita cohæsura ut satis plena ac luculenta hinc emersura sit *Mercavæ* Explicatio.

Antequam verò *Explicationem* aggrediar præmonendum censui, me hoc in loco non quidem Expositionem *Mercavæ Ethico-Politicam*, qualem exhibui in *Divinis Dialogis*, meditari, sed magis *Metaphysicam* vel *Theosophicam*, nec ad ulla *circumstantialia* quæ Propheta obiter tangat, sed ad ea sola, quæ ad essentiam hujus Divinæ Theoriæ spectent, respecturum esse. Ea verò omnia, hisce ferè quæstionibus quinquaginta duabus, quas propositurus sum, contineri existimo. v.g.

1. Quodnam sit Divinæ hujus *Visionis subjectum* adæquatum. 2. Quid *Turbo*. 3. Quid *Spiritus movens Turbinem*. 4. Quid *Aquilo*, terminus à quo movetur. 5. Quid *magna Nubes*. 6. Quid *Ignis se involvens*. 7. Quid item *Splendor circumcircà*. 8. Et quid *Electrum* in medio Ignis. Atque hæc de corpore Turbinis. Quærendum porrò, 9. Quid sint *quatuor illa Animalia*. 10. Cur dicantur *habere in genere similitudinem Hominis*. 11. Cur *quatuor habere facies singula*. 12. Cur *quatuor Alas*. 13. Cur habere *pedes rectos*. 14. *Plantaque* pedum *vitulinas*. 15. Et cur addantur *Scintillæ quasi æris æris candentis*. 16. Cur *manus Hominis cuique sub alis*. 17. *Alæ Animalium* cur *junctæ alterius ad alterum*. 18. Cur *binæ sursum extensæ, binaque contegant corpus*. 19. Cur cum *unumquodque Animal quaternas* habeat *facies*, *quatuor* tamen *distincta* sint Animalium *corpora* easdem

easdem facies habentia. Curve, cum singula, *singularia* Animalia sint, facies tamen habeat unumquodque *quaternas*. 20. Facies *Aquilæ*, Facies *Hominis*, Facies *Leonis*, & Facies *Bovis* quid significent. 21. Quid eorum *coram facie sua ambulatio*. 22. Quid gressus eò quò *impelleret Spiritus*. 23. Curque *non revertterentur* cum ambularent. 24. Aspectus Animalium quasi *Carbonum ignis ardentium* & *Lampadarum quid denotet*. 25. Cur istiusmodi *visio discurrens* in medio Animalium *Splendorque Ignis* & de *Igne fulgur* egrediens. 26. Et cur Animalia dicantur *ire & reverti* (cum antea dictum, non reverti) & in *similitudinem fulguris coruscantis*. 27. *Sonus alarum* quasi *aquarum multarum*, Tonitrui aut Castrorum, quid denotet. 28. *Submissio alarum* ad vocem super Firmamentum, quid innuat. Atque hæc fere sunt quæ quæri possint de *Animalibus*. Pergendum ad *Rotas*. 29. Quid sint *quatuor Rotæ*. 30. Quid *Rota* illa *una super Terram* cum quatuor faciebus. 31. Quid aspectus ipsarum tanquam *Tharsis*. 32. Et quare visa sit *Rota quasi in medio Rotæ*. 33. Quid sit per *quatuor suas partes* ire nec reverti. 34. *Unaque illis similitudo*. 35. *Horribilis earum horum* dorsumve *altitudo* quid denotet. 36. Curque totum *corpus oculis plenum* appareat. 37. Cur dicantur Rotæ *ambulare pariter cum Animalibus*, cum *stantibus stare* & elevatis de terra Animalibus simul cum ipsis elevari. 38. Cur *quocunque ibat Spiritus Rotæ* dicantur sequi *Spirituque vitæ* eis inesse. Atque hæc de Rotis. Quærendum porrò 39. Quid *similitudo Firmamenti* quasi aspectus *Crystalli* horribilis, Animalium capitibus imminens. 40. Quid intelligendum per *Thronum Saphirinum* super hoc Firmamentum. 41. Quid per *Hominem ipsi insidentem*. 42. Quid per *Electrum igne circumhabitante circumdatum*, à lumbis desuper, & usque deorsum splendente in circuitu. 43. Quid per *Arcum pluvium iridemve* circumfulgentem. Atque hæc fere sunt Quærenda quæ occurrunt, Cap. 1. Ezechielis. In Capite vero 10. hæc pauca.

44. Cur *quatuor Animalia* vocentur *Cherubim* in repetita Visione. 45. Cur dictus sit *Cherub* manum de medio *Cherubim* extendere ad ignem dareque in manus viri induti lineis. 46. Cur *corpus Rotarum tergo* habere dicatur & *manus & alas*. 47. Cur ipsis Rotis inclamatum sit, הגלגל *O Rota*. 48. Cur singulæ Rotæ dicantur quatuor facies habere. 49. Curque in Enumeratione una tantum facies distincta singulis attribuatur. 50. Cur quatuor Animalia unum Animal appelletur Ezechiel c. 10. v. 20. (*Hoc est Animal quod videram sub DEO Israël in Flumine Chebar*) & cur Fluminis Chebar facta sit mentio. 51. Quis sit præcisè *DEUS Israël*. 52. Et quæ denique *illius Gloria*.

Hæ sunt quinquaginta istæ duæ Quæstiones essentiales (omissis circumstantialibus) & omnes ferè quæ ad plenam *Mercavæ* intellectionem sint necessariæ. Quibus qui appositè solidéque responderit, hoc est applicando veritates aptas, satisque profundas aut sublimes & quæ non facilè in captum vulgarem cadant, juxta *Postulatum* primum, næ is est qui plenam, perfectamque *Mercavæ* Expositionem dederit. Quid verò nostra tenuitas hac in re possit, DEO cæptis aspirante, jam tentabimus, respondendo singulis Quæstionibus, eo quo positæ sunt ordine.

Ad primam igitur respondeo, Quod Objectum adæquatum Divinæ Visionis apud *Ezechielem* cap. 1. & cap. 10. (omissis circumstantialibus) est Regnum *Messiæ* Spirituale cum *æterno Logo* Hypostaticè uniti, & ab omni ferè ævo, Animarum *Angelicarum* pariter atque *Humanarum* Principis à DEO Patre constituti. Per *Spirituale* autem *Regnum Messiæ* intelligo compagem *Divino-politicam* omnium Animarum sive Angelicarum sive Humanarum quocunque vehiculo, *cælesti*, *terrestrive* indutarum, quæ genuini sint illius subditi, eo sensu quo *S. Paulus* loquitur; *Si quis Christi Spiritum non habet non est ejus*. Rom. 8. 9. Nihil verò nobis hacin notione cum *Vassallis* & *Hypocritis*. Quanquam enim aliquo modo ad eos etiam extendatur

tur Regnum Christi, id tamen in hac Visione non respicitur. Interim opportunè hic moneo, hujus præsertim Visionis gratiâ nomina illa notissima decem *Sephirotharum* decem illis Numeris *Cabbalisticis* fuisse applicata. Hinc enim nomini primæ *Sephiræ Kether* Corona, & decimæ *Sephiræ Malchuth*, Regnum, prima data est occasio. Cumque expectatio *Messiæ* ejusque Regni in terris non tam ad *Gentes* quam ad *Judæos* videretur pertinere, Judæi quidem nomen *Malchuth* retinuerunt. *Græci* verò *Cabbalistæ* facilè illud nomen passi sunt intercidere, decimamque *Sephiram* sive decimum Numerum, omisso nomine βασιλεια, nominibus ἀιὼν & κόσμος, (quæ voces magis Philosophicæ sunt,) contenti sunt celebrare. Solutionis hujus primi Problematis è *Postulato* decimo tertio & decimo quarto petenda est ratio. Interim omittere non possum quin hic notem, Regnum hoc Spirituale sive *Malchuth*, ipsissimam illam *Malchuth* esse quam *Cabbalistæ* Uxorem τοῦ *Seir Anpin* esse fingunt, quæque tam miris Ænigmatis oblarvata occurrit in *Idra Rabba*; Et *Seir Anpin* revera esse Animam *Messiæ* cum *æterno Logo* conjunctam. Atque hoc (quod & suprà innui) in causa esse, cur quidam Cabbalistæ descriptionem & circumscriptionem illius inchoent à *Chochmah*, alii verò à *Gedulah*, & utrique sanè non sine ratione. Nam qui veram illius *Divinitatem* videntur respicere incipiunt à *Chochmah* secunda Partzuph cum qua unitur; qui *animam* illius respiciunt, à *Gedulah*, cum illius Anima referatur ad *Tiphereth*. Quod obiter rursus monere haud abs re censui, cum & Expositionem nostram aliquo modo confirmet.

Ad secundam respondeo; Et congruenter quidem *Cabbalæ* meæ *Philosophicæ naturali*, nimirum, sicuti Turbo Vortex quasi quidam aëreus est, ita Vorticem Æthereum (qualem supponit *Cabbala* mea *Philosophica*) Æthereum quasi Turbinem rectè censeri. Ac proinde *Turbinem* aptissimè significare *Vorticem Æthereum* non absimilem eis à *Cartesio* descriptis. Doctrinam

ctrinam verò cœlestium vorticum partem fuisse Philosophiæ *Pythagoricæ* à Philosophia *Judaica* oriundæ, in *Cabbalæ* meæ *Philosophicæ Defensione* fusiùs doceo.

Ad tertiam, Spiritus movens Turbinem est Principium *Hylarchicum* (de quo in *Enchiridio* meo *Metaphysico*) sive *Spiritus Naturæ*, *æterni Spiritûs* Instrumentum. Vox est רוח, quam vulgò vertunt *Ventus*. Sed & *Spiritus* rectè etiam vertitur. Et septuaginta hoc ipso in loco reddunt πνεῦμα. *Spiritus* igitur *Naturæ* est motor hujus Turbinis, hoc est, ingentis alicujus molis *Monadum Physicarum* in *Abysso*, quo fiat Inchoatio Vorticis Ætherei.

Ad quartam, *Aquilo* verò qui Hebraicè hic dicitur צפון & occultum seu absconditum significat, quippe quod in partibus *Aquilonaribus* vix appareat Sol:

Αὐτὰρ ὁ ἐν ἠέρι πυκνῷ κεῖται ἠερόεσσα

quemadmodum istæ Regiones à *Dionysio Afro* describuntur. Hic *Zaphon*, inquam, est status ingentis illius molis *Monadum Physicarum* in *Abysso*, antequam à *Spiritu Naturæ* contorqueantur in *vorticem*, incipiantque fieri *vortex cœlestis* seu *Æthereus*, cum *Igne in medio*, ut *Pythagorici* loquuntur. Qui status procul dubio est status profundissimæ absconsionis, Invisibilitatis & Tenebrarum. Quemadmodum etiam describi videtur in principio Geneseos. *Tenebræ erant super faciem Abysti.* Hic igitur status *Zaphonicus* est Terminus à quo movetur hic inchoatus vortex sive Turbo. Supra quem statum exaltari incipit per πνεῦμα θεοῦ (quemadmodum vocant septuaginta Interpretes) in proximè sequenti parte descriptionis.

Ad quintam, Nubes magna est ingens moles hujus vorticis inchoati, & ad conditionem sive similitudinem Nubis cujusdam perducti propter obscuram quandam Lucis interspersæ apparentiam. Neque enim nubes perfectè opaca est nec omnimodo lumine destituta, ut nec vortex in hoc statu: Nec materia subtilissima adhuc sufficienti copiâ ad centrum

trum vorticis ablegata, corpusve vorticis satis pellucidum factum.

Ad sextam, sed in proxima parte descriptionis id fit. Ibi enim occurrit *Ignis se involvens* אש מתלקחת *Ignis se captans*, ut habet Bibliorum *Anglicanorum* Margo. Quod *vorticalem* motum planè innuit seu gyrum, ut cum lascivus Catulus caudam suam in gyrum se movendo captat. Sed & ipsa *Turbinis* vox innuit in gyrum moveri seu revolvi. Hic autem Ignis in gyrum motus quid aliud esse potest quàm *Sol vorticis*, quem *Pythagorei* πῦρ. i. e. Ignem simpliciter vocant. Solem autem *vorticaliter* moveri ex motu macularum patet.

Ad septimam: *Splendor circacircum*, est corpus vorticis Ætherei *diaphanum* factum & lumine *Ignis* sive *Solis* ubique perfusum, juxta Postulatum tertium.

Ad octavam. *Electrum* verò in *medio Ignis* est *Elementum Divinum* cœlestis vorticis materiæ inclusum & interspersum, cujus præcipuum vehiculum est pars materiæ cœlestis maximè subtilis & ignea, ac proinde dicitur emanare מתוך האש è medio ignis, intelligiturque cum subtilissimis partibus Materiæ cœlestis, per omnes Regiones Ætherei vorticis aliquo modo diffundi, juxta Postulatum quartum. Hactenus igitur & vorticis cujusdam cum Sole in medio lucente, Descriptio compendiaria. Quæ doctrina vorticum, cum Cabbalæ *Bereschith* pars sit præcipua, maximèque genuina haud parvam fidem facit præsenti Interpretationi *Mercavæ* quæ præ manibus est, quemadmodum & suprà monui. Pergimus ad Quæstiones reliquas.

Ad nonam, Nullius fere rei celebratior mentio est apud *Cabbalistas* quàm quatuor Mundorum, *Aziluthici*, *Briathici*, *Jeziraithici* & *Asiathici*, sive Mundi *Emanationis*, *Creationis*, *Formationis* & *Factionis*, arreptâ hujus quadripartitionis occasione, prout verisimillimum est, ex *quatuor Animalibus* hujus Visionis *quatuorve Rotis*, quæ, ut mox indicabimus, idem fere significant. Et certè satis patet apud *Cabbalistas* doctrinam qua-

quatuor Mundorum, partem esse *Cabbalæ Mercavæ*. Quam & ipse itaque feci *Expositionis* nostræ *Mercavæ* partem, sano sensu intellectam, & præsenti Hypothesi consentaneo. Dico igitur *quatuor Animalia* esse quatuor *Mundos* vel *Æonas* Animarum Angelicarum pariter atque Humanarum quatuor distinctas Regiones alicujus Ætherei vorticis, successu temporis occupantium, (nam quæ successivè contingunt sub uno intuitu simul repræsentantur in Visionibus Propheticis) juxta Postulatum sextum, octavum & nonum. Nec offendi debet quisquam quod *Mundos* appellem cum ipsas Animas intelligam, tum quod has Animas tanquam quatuor diversarum Regionum vel Orbium Ætherei vorticis Incolas considero, tum quod *Cabbalistæ Judaici* Mundum Creationis de ipsis Animabus humanis; Mundum Formationis verò de ipsis Angelis intelligunt. Quòd certè planè arguit quatuor hos Mundos adeò apud *Cabbalistas* celebratos de personis potiùs intelligendos quàm de locis: Quemadmodum & nos expositurì sumus, mentione locorum stationumve ubi commodum fuerit non neglectâ. *Quatuor* verò *Animalia quatuorve Rotas* Mundos hosce quatuor significare sensu supradicto ex mente ipsorum Cabbalistarum, tum ex Libro *Jezirah*, tum ex *Tractatu de Anima R. Mosis Corduerì*, Cap. 2. apertè constat. Ubi quatuor quasi species aut tres saltem animarum facit, nempe *Neschamah*, (quæ est vel *Azluthica* vel *Briathica*) *Ruach* & *Nephesch*, tres verò posteriores realiter facit distinctas diversisque post mortem locis collocat, Hominemque ex istis tribus constare autumat. Verba hæc sunt: Congressi sunt *Ophan*, (*Rota*, i. e. Mundus *Asiah*, ob *Sandalphonem* qui dicitur *Ophan*) & *Angelus* (*Metatron*, seu Mundus *Jezirah*) & *Thronus*, seu *Mundus Briah*, atque dixerunt, *Faciamus Hominem. Nam ex compositione nostra*, Neschamah *ex* Throno, & Ruach *ex* Angelo, & Nephesch *ex* Ophan, &c. Et rursus per *Thronum* ait intelligi *Briah*, per Metatronem *Jezirah*. *Sandalphonem* verò esse *Rotam* & de illo dictum

dictum esse Ezech. 1. 15. *Et ecce Rota una erat in terra*. Et in eodem denique capite *Metatronem* vocat *Animal* illud *Ezechielticum*. Ex quibus abunde patet per quatuor Animalia Rotasve, supra dictos quatuor Mundos apud *Cabbalistas* intelligi. Ego verò *R. Mosem Corduerum* aliosque *Cabbalistas* insignem errorem commisisse censeo, quod ex eo quod una eademque Anima quatuor statuum vices subire possit, juxta *Postulatum* octavum, Animam humanam ex quatuor tribusve Animabus realiter distinctis constare arbitrati sint. Quem errorem per hanc nostram *Expositionem* satis feliciter correctum fore spero. Quando dicunt vestem *Aziluth* esse *Briam*, & vestem *Briæ Jeziram* & *Jeziræ Asiam*, si de variis subtilitate ac puritate differentibus vehiculis intelligeretur, ferendum esset. Sed cum *Nephesch* faciunt vehiculum *ruach* & *Ruach* vehiculum *Neschamæ*, id certè intolerandum est, utpote quod innuat omnia esse corporea. Quæ nimis crassa profectò est philosophandi ratio.

Ad decimam. Præmoneri dico in genere similitudinem Hominis hisce quatuor Animalibus competere, ne quis ob capita *Aquilina*, *Leonina*, *Bovina*, alasque humeris additas, & ob ungulas Vitulinas quidvis potius ea existimet quàm humanarum Angelicarumve Animarum Symbola. Interim verò dum eadem hæc Animalia *Cherubini* dicuntur in Visione repetita cap. 10. non levis est subindicatio Animas humanas & Angelicas easdem fere esse & eâdem fere humanâ figurâ specieve gaudere & sub ea apparere. Et postremò manifestò hinc constare per *quatuor Animalia* nullos alios quatuor Mundos intelligi posse quàm qui ex Animabus humanis Angelicisve consistant; adeo ut Mundus Aziluthicus & Mundus Fabricæ qui dicitur, ex eo genere sit. Et certè non levis absurditas est apud Recentiores *Cabbalistas*, quod Mundus *Aziluth* & Mundus *Asiah* quatenus Mundus *Fabricæ* dicitur, à reliquis duobus Mundis toto genere differant. Quem quidem errorè hæc visio pulchrè corrigit.

Ad undecimam. Huic Quæstioni satisfaciendum est ex *Postulato* undevicesimo. Nec levis quidem momenti veritas hic subindicari potest nempe quatuor istos status δυνάμει radicali & essentiali semper Animæ cuique inesse, quanquam non semper ἐνεργείᾳ. Perpende etiam cætera quæ isti *Postulato* subnexa sunt, ut & ipsum *Postulatum* octavum.

Ad duodecimam. Cum quatuor Animalia quatuor *alas* habere dicantur, id nihil amplius innuit, quam alata esse Animalia. Cum verò Animalia Animarum Symbola sint, Animarum alatarum esse Symbola, hoc est, non ἀνωφερείας culpâ in Mundum *Jezirathicum*, *Asiathicumve* delapsas esse, sed *Divino* potiùs *Fato* juxta *Postulatum* octavum descendisse, quos *Heroas* alicubi appellat *Agrippa*, aut saltem ex eo genere esse, quæ serio resipuerint Divinaque itidem gratiâ alas recuperaverint. Meminisse enim oportet Objectum adæquatum hujus visionis esse *Regnum* Messiæ *Spirituale*, quemadmodum in solutione primæ Quæstionis explicavimus. *Alarum* verò mentio hic optimè convenit cum illa Animarum appellatione apud R. *Mosem Corduerum*, ubi ait, *Aves* SANDALPHONIS *esse* NEPHESCHIN, *Aves* METATRONIS RUCHIM, *&* *Aves* THRONI NESCHMATHIN. Quod sano quidem sensu intelligi potest de triplici statu Animarum, quasi in Mundo *Briathico* appellari deberent *Neschmathin*, in Jezirathico *Ruchim*, & in Mundo *Asiathico Nepheschin*. *Thronum* enim ad Mundum *Briathicum*, *Metatronem* ad Mundum *Jezirathicum*, & *Sandalphonem* ad *Asiathicum* pertinere supra est notatum. Interim cum Anima quatenus in corpore terrestri *Nephesch* appellanda sit, i. e. ψυχὴ, & quatenus in vehiculo *Jezirathico Ruach*, i. e. πνεῦμα videndum an non aptè hinc explicari possint verba illa Pauli 1. Cor. 15. Ἐὰν σῶμα ψυχικὸν ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. Esse utique corpus quod animæ congruat quatenus in statu *Nephesch*, esse quatenus in statu *Ruach*, nec corpus, quanquam idem numero, eodem modo se habens, vel similiter modificatum, utrique statui posse competere.

Sed hisce cùm minùs huc pertineant, non est immorandum.

Ad decimam tertiam. Habere verò dicuntur *pedes rectos*, partim ut plenius innuatur, staturam habere humanam, partim ut rectitudo ambulationis incessusve eorum significetur, adde & Affectus. Nam pedes affectus significant apud *Pythagoreos*. Ac proinde רגל ישרה dici potest eo sensu quo ישרון Esai. 44. 2.

Ad decimam quartam. *Septuaginta* pro plantis pedum *vitulinis* ponunt πόδας ἀπαρτί, i.e. *Pedes alati*. Unde constat eos nihil humile de pedibus horum Animalium sensisse. Nec humile certè quicquam sonat quòd plantas *vitulinas* habere dicuntur. Nam perinde est ac si dixisset *Angelicas*, hoc est, *Cherubicas*. Nam *Cherub* Vitulus est vel Bos. Faciesque *Cherub* in decimo capite *Ezechielis* respondet faciei *Bovis* in primo, ipsumque nomen *Cherub* est à כרב *arare*. Plantæ igitur *vitulinæ* seu *Cherubicæ* magnam illam affinitatem innuunt & cognationem inter naturam Animarum *Angelicarum* & *Humanarum*. Ex aliis enim indiciis *Humanas* Animas esse innuitur, ex hoc *Angelicas* vel *Cherubicas*. Ac proinde in repetita visione ubi *Cherubini* tam apertè dicuntur plantarum *Vitulinarum* nulla fit mentio quippe supervacanea futura.

Ad decimam quintam. Et digna sanè pedibus his *Cherubicis* subsequens est descriptio, quod nempe *scintillæ* addantur *quasi æris politi vel candentis*. Quum enim pedes affectum significent, Æs politum & candens puritatem & firmitatem affectuum, scintillæ verò exilientes, ad occursum rerum difficiliorum ejaculationes cœlestes denotant.

Ad decimam sextam. *Manus hominis* sub *alis* cuique est, partim ut humana forma ad has Animas reverà pertinere expressiùs intelligatur, partim ut subindicetur, Alas versus DEUM sursum extensas nihil valere nisi præstò sint manus, id est, opera & conatus fidelisque executio earum rerum, quæ ad vota obti-

obtinenda contribuant. Legemque hanc esse Adamantinam per omnes Mundos *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jezirathicum*, & *Asiathicum*. Otiosam verò & inertem speculationem in *Regno* Messiæ *Spirituali* ubique exulare.

Ad decimam septimam. *Alæ* verò *Animalium* in extensione sua sursùm junctæ sunt alterius ad alterum ut intelligatur unio animorum ac votorum omnium Mundorum in Regno *Messiæ* Spirituali, ardentissimumque ac promptissimum pro bono publico desiderium ac studium. Nam manus subest alis unicuique, ut suprà notatum est.

Ad decimam octavam. Quod *binæ* autem *sursùm extensæ binæque* dicantur *contegere corpus*, commodissimè sic intelligitur. Nempe si meminerimus binas illas extensas eas alas esse quæ suprà dictæ sunt conjungi cum alis alterius Animalis, quo intelligitur omnium Mundorum partiumque singulorum, votorum, studiorumque pro communi bono unio ac societas. Dum verò hæ sic extensæ ac unitæ sunt, alteræ rectè observantur *contegere corpus*, hoc est, *demitti*. Alæ enim demissæ contegunt corpus avium. Quibus innuitur singulorum bonum privatum communi bono oportere ac solere submitti ac subordinari, & tamen etiam hac alarum demissione singulorum Animalium corpus tegi, hoc est, submittendo & subordinando privatum bonum bono publico, privatum cujusque bonum ac securitatem re ipsâ procurari. Atque hoc id ipsum est quod egregius ille Philosophus ac Princeps *M. Antoninus* in *Meditationibus suis* toties inculcat, de malis privatis ferendis, nempe, *quod in bonum cedant Universi*.

Ad decimam nonam. Solutio hujus Quæstionis facilè elici potest ex solutione Quæstionis nonæ & undecimæ. Respondeo igitur quanquam unumquodque Animal quaternas habet facies, hoc tamen nihil impedire, quo minus quatuor distincta sint Animalia, nempe distincta Animalium corpora quaternas facies habentia, quippe quæ quatuor distinctos Mun-

Mundos suprà memoratos repræsentant, qui ex eo præsertim distinguuntur, quod singuli unum peculiarem statum habent longè præ reliquis tribus prædominantem, unoque aliquo ex quatuor istis Animalibus, distinctè repræsentabilem. *Aquilâ* nempe, *Homine*, *Leone* vel *Bove*, ita ut unus Mundus sit *Aquilæ*, alter *Hominis*, tertius *Leonis*, quartus *Bovis*. Hinc quatuor distincta corpora Animalium sunt, non unum solummodo corpus quatuor faciebus præditum. Cum verò quatuor isti Mundi non solùm unum quempiam statum in eminenti gradu habeant, sed tres etiam reliquos, gradu aliquo magis minusve suppresso, hinc distincta ista quatuor corpora, non unica facie contenta sunt singula, sed quaternis faciebus gaudent, unâ præ reliquis eminenti, & à qua Corpus Animalve specialiter nominari possit *Aquila*, *Homo*, *Leo* vel *Bos*, quemadmodum fit in Apocalypsi cap. 4. 7. Quodque porro confirmari potest ex Ezechiel cap. 10. v. 14. Postremò quantum ad ordinem Nominationis Animalium fit certè prout res tulerit. Quemadmodum videre est Ezech. c. 1. v. 10. Ubi numeratio incipit à facie Hominis, Capite verò 10. v. 14. Numeratio incipit à Cherub, id est, à Bove. In Apocalypsi verò incipit à Leone. Cap. 4. v. 7.

Ad vicesimam. Quid ni igitur nobis liceat ab ea facie vel Animante incipere quod præsenti Argumento maximè conveniat, & quid singula significent breviter ex præmissis *Postulatis* indicare. Dico igitur ex *Postulato* undecimo per *Aquilam* Mundum Animarum *Aziluthicum* denotari. Animal enim aliquod singulare per *Propheticam Henopæiam* multitudinem personarum quantamcunque significare posse notissimum est. Vide *Synopsin meam Propheticam*. Lib. 1. cap. 3. Cum verò sedes Mundi *Aziluthici* sit *Cœlum Empyreum* ab *Imo* vel *Infimo* vorticis maximè remotum, ac proinde Regio maximè sublimis per *Postulatum* quintum, cumque status Animarum *Aziluthicus* sit status fixissimæ contemplationis in *Solem Mundi Intellectualis* (quam ipsam ob causam status primus *Adami* describitur

tanquam hortum *Eden* inhabitantis versus *Kedem*, nempe quod eximio quodam modo radiis החכמה הקדומה *Sapientiæ Primordialis*, uti appellatur in *Sepher Jezirah*, semità 20, illustraretur; Et R. *Abraham* F. D. omnes plantas Sapientiæ acceptas asserit מקדם *ab Oriente*, scilicet *Intellectuali*, & plantatas fuisse in עדן Sapientiæ) hinc inquam manifestum est, sive *altum Aquilæ volatum* sive *visus aciem*, quam in ipsum Solem, illæso oculo potest defigere, consideres, hoc Animal aptissimum Symbolum esse Mundi Animarum *Aziluthici*. Perpende quæ scripsimus ad *Postulatum* undecimum; Mirabilem deprehendes rerum congruitatem, & quàm consentaneum sit Mundum statumve Animarum *Aziluthicum* primum earum statum fuisse, & per *Aquilam* in hâc Visione significari.

Jam verò per *Hominem* statum Mundumve *Briathicum* indigitari ex *Postulato* duodecimo ejusque explicatione manifestissimum est. Quòd hic Mundus secundus sit ordine ex ipsius descriptione abunde patet. Nec verò per *Bovem* aut *Leonem* rectè repræsentari potest. Restat igitur ut repræsentetur per *Hominem*. Quin imò ex charactere *humano* res satis confirmari potest, cujus est Politicas Societates inire, pacem colere & justitiam, de rebus agundis consilium capere & similia, qui planè est Mundi *Briathici* character. Perpende *Postulatum* duodecimum & quæ sub illo innuimus. Mundus denique *Briathicus* est status quidam *Paradisiacus*, quomodo igitur aut cum labore ac lassitudine *Bovis*, aut cum *ferocitate Leonis* convenire potest? Relinquitur igitur ut repræsentetur per *Hominem*.

Porrò ex ipsa descriptione Mundi *Jezirathici*, cum planè constat per *Leonem* significari, nempe quod in eo statu τὸ λογικὸν καὶ θυμικὸν in Animabus Angelicis præter modum excitatum sit, & ambitioni & superbiæ contentionique bellicæ lora laxata, adeo ut Regnum sive Regionem *Briathicam* ex qua lapsa erant vi & armis tandem invaserint, ingentesque tumultus fecerint, quos Sapientia sua ac fortitudine tandem compressit

sit *Animæ Messiæ* qui Princeps Mundorum erat constitutus, juxta *Postulatum* decimum tertium & decimum quartum. Atque huc forsan rectè trahi possunt ea R. *Simeonis Jochaidæ* quæ occurrunt apud *Rittangelium* in librum *Jezirah*. Ubi mentio fit *Serpentis occidendi*, & *Filiæ super Turrem positæ* in Aere, factæque Proclamationis singulis diebus *in Cælo*, quicunque interfecerit *Serpentem* illi datum iri in uxorem *Filiam Regis* cum *indumento aureo*. Quod aurum *sex dies Creationis* significare innuit idem *Simeon Jochaides*. Sex dierum verò opera peregisse *Messiam*, literaliter intellecta in *Apologia mea* apertè moneo. Estque hic ipse *Messias*, nempe *Schiloh*, cum multi bellatores virique clypeati nihil valuerint, quem *R. Simeon Jochaides* dicit interfecisse *serpentem* & *exercitum ejus* in *Mari* & in *Arida* & in *Cælo*, quasi eadem Anima *Messiæ* Dux etiam esset *israëlitarũ* in Deserto. Quàm rectè igitur *Leo* Mundo *Jezirathico* conveniat vel ex his constare potest. Sed & ex hoc etiam porrò conjectari: Nempe quod hæ Animæ Angelicæ propter vigorem vehicularem animique fortitudinem אלהים dictæ sint, à se ipsis saltem, qui vel audaciam suam ac temeritatem qua in statum hunc *Jezirathicum* ausi sint prorumpere, fortitudinem reputarent. Cum certè sibi cavere oportuisset à nimia appropinquatione versus Solem tanquam ab Inferno πρὸς ἄβυσσον ἄλλον ἄλλοτε, ne sicut infelices Tineæ nimis prope candelam volitantes alas tandem urerent. Hæ tamen Animæ istæ occasione אלהים dictæ & sic apud se ipsas reputatæ, rerumque ferè omnium bonarum malarumque (propter calorem ac temulentiam in vehiculis excitatam) experientiâ ac notitiâ instructæ, de qua maximè gloriarentur, sunt illi *Elohim*, quorum mentionem facit serpens ad *Adamum*. Gen. 3. 5. *Eritis sicut* ELOHIM *scientes boni & mali*, hoc est, יצר טוב ויצר רע quemadmodum appellat R. *Moses Ægyptius* in *More Nevochim*, unde hic status *Elohim* (quem *Cabbalistæ* Mundum Angelorum appellant cum sit Mundus tantummodo Angelorum lapsorum) *Jezirah* sive

Mun-

Mundus *Jezirathicus* rectè nominatur. Ut hìc præteream, יצרים החיצונים figmenta sive Formationes externas *perversâ Magiâ* per rebelles hos Spiritus noviter excitatas ulteriorem occasionem nomini *Jezirah* dare potuisse. Palam interim est præfervidam Animarum Angelicarum audaciam, rectè per *Leonem* significari. Postremò ex eo etiam res conficitur, quod *Bos* & *Aquila* maximè ex Diametro opponi videantur, ob segnitiem unius & velocitatem alterius. Ut *Aquila* igitur in sublimi volans Mundum *Aziluthicum* repræsentat, ita necesse est ut *Bos* Animal tardum & in terra segniter se movens mundum repræsentet *Asiathicum*, unde cum & *Briathicus Homini* assignatus sit, *Jezirathicus* necessariò relinquitur *Leoni*.

Denique ex Descriptione Mundi *Asiathici* ad *Postulatum* decimum octavum, manifestum est *Bovem* statum istum admodum aptè significare. Cum omnia tunc crassiora incipiant fieri ac segniora donec Animæ lapsæ in terreno tandem luto pedem figant tanquam lassus Bos. Cætera vide in Notis ad *Postulatum* decimum octavum; Ubi status *Adami* in terrestre corpus lapsi laboribus Agriculturæ illustratur. Quàm autem accommodum Agriculturæ Animal sit Bos, omnes norunt. Nec hìc præterire possum quàm apta solutio egregii quidem Problematis hoc in loco occurrat, nempe cur *Moses Bovinam* Figuram vel *Vitulinam* præ reliquis elegerit quam super Arcam Fœderis collocaret. Nam cum integram Quadrigam illìc collocâsse, opus futurum fuisset magis molimìnosum, illud Animal elegit quod maximè erat proprium. *Bovem* scilicet Mundi *Asiathici* Insigne quò *Anima Messiæ* jam descenderat Tentoriumque fixerat inter filios Israëlis.

Quàm ad vivum igitur Mundus *Aziluthicus*, *Briathicus*, *Jezirathicus* & *Asiathicus* in *Aquila*, *Homine*, *Leone* & *Bove* depicti sint vidimus. Animal autem quod *Aquila* appellandum est (& sic de reliquis tribus Animalibus) cum quaternis faciebus repræsentari, Arcanum est *Cabbalâ Mercavaâ* dignum, cum inde

inde moneantur Animæ in quocunque statu constitutæ sint radicem uniuscujusque Mundi in ipsis manere. Quod magnæ profectò animationi debet esse animabus in Mundos inferiores lapsis & excitationi ut animum habeant revertendi, cautioni verò eis qui in Mundis sint superioribus. Juxta Monitum illud Apostoli, *Itaque qui videtur stare videat ne cadat.*

Ad quæstionem vigesimam primam. Ambulatio Animalium coram facie sua אל עבר פניו nihil amplius significat quàm incessum directum, nec per ullam vim externam internamve pravitatem à via deflectentem. Quod Privilegium est quod solis subditis *Regni* Messiæ *Spiritualis* competat.

Ad quæstionem vicesimam secundam. *Regnum* verò *Messiæ Spirituale* per hanc Visionem *Ezechieliticam* significari ex præsenti Quæstione patere potest. Nam cum gressus Animalium eo ferantur quo impellit Spiritus, illud planè insinuat subditos *Regni* Messiæ *Spiritualis* impulsu instinctuve Divini Spiritûs sua omnia agere, nihil ex voluntate propria, quasi omninò essent [illegible], afflatuque Divino ad opera sua instigati. רוח igitur in hac Visione significat רוח הקדוש *Spiritum Sanctum*, quem *Cabbalistæ* aliàs vocant בינה estque is ille אחד רוח אלהים חיים qui in *Sepher Jezirah* memoratur. Quem Spiritum *R. Aharon* eminentissimus *Cabbalista* intelligi vult Psal. 33. 6. *Verbo DEI facti sunt Cœli & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Cæterùm רוח שנית sive *Spiritum secundum* quem commemorat *R. Moseh Botril*, de Spiritu Deorum viventium procedentem, ego verissimè intelligendum existimem de *Spiritu Naturæ* Divini Spiritûs instrumento, Spiritum vero אלהים חיים DEI viventis unicum esse, nempe *Spiritum Sanctum*, firmiter esse tenendum. Qui est una ex *Divinis Hypostasibus* in hac Visione occurrentibus, eruemus duas reliquas suis locis.

Ad quæstionem vicesimam tertiam. Non reverti dicuntur cum ambularent eò quod nullâ vi externâ possint repelli. Neque enim ulla vis aut consilium est contra DEUM. Divino

vino verò Fato Afflatuque suprà notatum est hæc Animalia ferri.

Ad quæstionem vicesimam quartam. Aspectus verò Animalium quasi carbonum ignis ardentium & Lampadarum, Ignis quidem Zelum firmum & fervidum, lampades claram cognitionem illuminationemve significant, atque utraque tanquam dona Spiritûs Sancti, qui hic omnia movere intelligitur. De *Messia* enim dictum est ille baptizabit vos Spiritu S. atque Igne, sed magis Philosophicè fortean intelligi potest de Vehiculis cœlestibus seu Æthereis & [illegible] apud *Pythagoreos* celebrato; Quam tamen conditionem comitantur supra dictæ virtutes.

Ad quæstionem vicesimam quintam, *Discursio splendoris Ignis* & de igne fulguris egredientis inter Animalia, visa est frequens eruptio atq; emicantia virtutum *Spiritûs Sancti* in membris *Regni* Messiæ *Spiritualis*. Quæ res etiam significata est eximiè per linguas igneas tempore *Pentecostes* sedentes super unumquemque Apostolorum, juxta promissum veri *Messiæ Jesu Nazareni*, quo omnibus innotesceret hunc ipsum eum esse.

Ad quæstionem vicesimam sextam. Animalia quanquam ante dicta sunt non reverti, hic tamen ire & reverti dicuntur, sed alio planè sensu. Priori enim sensu dicta sunt non reverti eò quod repelli non possint ullâ vi nec à semita recta deflecti. Hic verò reverti dicuntur tanquam re feliciter ac celeriter gestâ. Unde itus reditusque eorum comparantur fulguri coruscanti. Vel adhuc magis Philosophicè, itus reditusque instar fulguris coruscantis, cum fulgur de cœlo sit, significare possunt descensus harum Animarum de cœlo certosque ad cœlum reditus, juxta *Postulatum* decimum. Reciprocatio enim coruscantis fulguris hunc itum reditumque non ineptè repræsentat. *R. Moses Ægyptius* in *More Nevochim* part. 3. cap. 2. de motu circulari cœlorum intelligit. Ego de circuitu sive Revolutione

tione Animarum potius intelligendum autumo. Quod ex *Rotarum* explicatione pleniùs confirmabitur.

Ad vicesimam septimam: *Sonus* verò *Alarum* quasi aquarum multarum, Tonitrui, aut Castrorum dicitur, quo intelligatur quatuor hæc Animalia non esse tot Animalia singularia sed significare totidem numerosas admodum multitudines personarum Animarumve Angelicarum & Humanarum secundum stylum Propheticum. Vid. *Synopsin Propheticam*. Lib. 1. c. 3.

Ad vicesimam octavam. *Submissio* denique *Alarum* ad vocem super Firmamentum ex Textu sic intelligenda est. Dicitur enim, *cum vox fieret super Firmamentum, quod erat super caput eorum, quod stabant & submittebant suas Alas.* Ubi vox procul dubio vox est Aurigæ hujus Quadrigæ Currusve *Cherubici*. Unde significatur motus eorum sisti perinde cœlesti aliquo signo aut instinctu atque cœlitus cieri, eaque penitus à Divino verbo Spirituque regi. *Nam in verbo est Spiritus.* Joh. 1. 4. Stare autem non solùm dicuntur sed submittere vel demittere alas suas, quod nulla vota nullasque proprias voluntates habeant, ac proinde jussu cœlestis Aurigæ non solùm motum externum corporis sistant sed internum appetitum & voluntatem atque sic alas submittant.

Ad vicesimam nonam. Pervenimus jam ad *Rotas*, quæ idem fere significant quod *Animalia*, quatuor nempe status Animarum, sed respiciendo præsertim ad *Revolutiones* earum ab uno statu ad alterum. Quam Cabbalistæ גלגול i. e. *Revolutionem Animarum* appellant. *Quatuor* verò *Rotas* & *quatuor Animalia* idem fere significare ex eo intelligitur quod annotavit etiam ipse R. *Moses Ægyptius* in *More Nevochim*, nempe quod & *ipsæ Rotæ* sunt caro & terga, & alæ & manus. Quæ certè res valde absona esset nisi *Rotæ* idem innuerent quod *quatuor Animalia*, nempe Animas in quatuor distinctis conditionibus constitutas, sed quatenus in *Rotatione* sive *Revolutione* (גלגול) consideratas.

sideratas. His præmissis ad quæstionem vicesimam nonam respondeo. *Quatuor Rotas* significare quatuor illos status Animarum. *Aziluthicum, Briathicum, Jezirathicum* & *Asiathicum*; quatenus sunt in Revolutione, juxta *Postulatum* octavum & nonum. Hoc dico præcipuè significari quanquam fortassis aliqua potest esse allusio ad quatuor Orbes *Postulato* sexto memoratos.

Ad tricesimam. *Una* illa *Rotæ* super terram cum quatuor faciebus est Mundus vel Orbis *Asiathicus*, hoc est, Animæ illius Mundi quoad *Revolutionem* suam spectatæ. Hæc *Rota* speciali sensu *Ophan* dicitur, & *Sandalphon* apud *R. Mosem Corduerum*. Habere verò dicitur quatuor facies ob nullas alias rationes quam ob quas *Bos* sive *Animal quartum*, quatuor facies habere dicitur, quas nihil opus est hic repetere. Resolvuntur verò in *Postulatum* undevicesimum. Interim notandum etiam hac è re elucescere *Rotarum* & *Animalium Identitatem*. *Asiathicum* verò Mundum per hanc *Rotam* notari inde constat, quod esse *super terram*, hoc est, ad terram usque sive *Astrum frigidum* (quæ pars est Orbis *Asiathici* infima dicatur pertingere. Qui unus locus opinionem *Jonathanis, Ben Uzziel* abunde confutat, qui Orbes cœlestes *Aristotelicos* per has *Rotas Ezechieliticas* vult intelligi, quemadmodum notavi in *Dialogis Divinis*.

Ad tricesimam primam. Aspectus verò *Rotarum* tanquam *Tharsis* dicitur cum allusione ad significationem vocis *Tharsis*, quæ quanquam lapidem pretiosum marini coloris significet, significat etiam simpliciter *Mare*, (atq; sic reddit versio vulgaris Latina) *Mare* autem stylo Prophetico *multitudinem* denotat. Atque hoc proinde respondet *sono Alarum Animalium* (in Quæstione vicesima septima) *tanquam Aquarum multarum*, quibus significabantur ingentes multitudines. Unde iterum innotescit *Animalium* & *Rotarum identitas*.

Ad tricesimam secundam. Visa est *Rota* quasi *in Medio Rotæ* propter quatuor Orbes *Postulato* sexto descriptos. Hæc certè longè tolerabilior est Interpretatio quàm *Jonathanis Ben Uzziel* qui Orbes *Aristotelicos* se mutuò involventes hic intelligendos existimat cum nec ipse numerus congruat. Neque ego certè quatuor illos Orbes principaliter hic significari censeo sed obiter tantum perstringi. Præcipuum verò Visionis scopum hoc in loco esse subindicationem quatuor Periodorum *Revolutionumve* Animarum quæ majores sint aliæ aliis, sicque aliæ alias includant. Ut si v. g. Periodus fiat à summa parte ad imam partem (modo quodam *Epicyclari*) & ad summam rursus, Orbis *Aziluthici*, deinde à summa parte Orbis *Aziluthici* ad imam partem *Briathici*, *Jezirathici*, vel *Asiathici* & ad summam à singulis rursus *Aziluthici*, manifestum est primam Periodum seu Revolutionem includi in secunda, secundam in tertia & tertiam in quarta tanquam omnium maxima. Et sic vice versâ ab ima parte *Asiathici*, &c. Rotam igitur visam esse quasi in medio Rotæ nihil amplius significat quàm Revolutiones Animarum alias aliis majores esse posse ac proinde alias ab aliis includi.

Ad tricesimam tertiam. Quod autem dicuntur *Rotæ* per suas *quatuor partes* ire & non reverti, distinctionem quatuor Orbium suprà memoratorum innuit. Isti sunt illi ארבעה רבעים quatuor quartæ partes sive Regiones in quibus singulæ eunt. Non reverti verò dicuntur, non quidem eò quòd rectâ quasi lineâ pergant, hoc enim *Revolutioni* earum repugnaret, sed quod *Divino* quodam *fato* ac invincibili ferantur, quemadmodum monui de *Animalibus*.

Ad tricesimam quartam. Quod verò *una Rotis sit similitudo* non contemnendum subinnuit Arcanum & *Mercavæ Cabbalâ* non indignum, (hoc est,) Nihil fere habere Mundum inferiorem quod non habet aliquo modo superior. Quod certe aliqua ratione repræsentatum est in *quaternis faciebus singulorum Animalium*, nempe, consimiles ferè ubique esse negotiationes,

nes, consimiles ubique Animarum formas visibiles, Humanas putà, & secundum quosdam *Rabinos* in masculinam & fœmininam distinctas, plasticamque habere singulas, quæ pro singulis Mundis, omissis omittendis, vehicula in figuram humanam efformet. Nec opus est ut in re tam facili latiùs expatiemur.

Ad tricesimam quintam, *Horribilis Canthorum* dorsorumve *Rotarum altitudo* vastas illas denotat Animarum Revolutiones à Mundo *Aziluthico* usque ad *Astrum frigidum Asiathici* & hincrursus ad Mundum *Aziluthicum* [Εξ ὧν οὐ ἔστι;] Quis non horreat & obstupescat ad tales rerum vicissitudines, ad tam immensos Animarum delapsus ascensusque. Ut ea Anima quæ modò in summo *Cælo Empyreo* sicut *Aquila* volitabat, succedentibus seculis tandem in *terra* reperiretur, & ut *Bos* lassus pedem figeret in *Luto*, juxta hanc Visionem *Ezechielis!*

Ad tricesimam sextam. Quod corpus Rotarum oculis plenum appareat, ex eo fit quod reverà *Rotæ* nihil aliud sint quam ipsæ Animæ rotatæ sive in גלגול constitutæ. Atque sic oculi pari ratione illis attribuuntur, atque terga, alæ ac manus. *Ezech.* c. 10. 12. Quibus planè significatur *Rotas* & *Animalia* eandem rem repræsentare, quemadmodum sæpe jam notavi.

Ad tricesimam septimam. Idemque in sequenti Quæstione innuitur. Illa enim admodum trivialis abjectaque foret observatio; *Rotas* nempe ambulare pariter cum *Animalibus*, cum stantibus stare & elevatis de terra Animalibus, simul cum ipsis elevari, nisi monitu hôc subinsinuaretur, unam eandemque rem significari (quamvis non sub eodem respectu) per Animalia & per Rotas ipsas (nempe in hac Philosophica Theosophicâve Interpretatione Visionis) & ut una eademque res semper movetur simul cum se ipsa, ita *Animalia* & *Rotas*, unam eandemque rem repræsentantes, ad instar unius rei, simul moveri aut simul quiescere.

Ad trigesimam octavam. Hoc verò porro confirmatur etiam

etiam ex hac quæstione. Iterum enim dicitur de *Rotis* quod supra dictum est de *Animalibus*. *Quocunque scilicet ivet Spiritus eas sequi.* Quo innuitur easdem esse Animas quæ per quatuor *Animalia* repræsentantur. Ac proinde membra omnes esse *Regni* Messiæ *Spiritualis*, quemadmodum suprà notavi. Veritatem verò hanc vehementiùs inculcari, addendo porrò, *Spirittum vitæ* fuisse in Rotis (quod & cap. 10. v. 17. repetitur) רוח החיים *Septuaginta* vertunt πνεῦμα ζωῆς. *Spiritus* autem *vitæ* Rotis non competit sed animabus, quibus *Divina Natività* nondum perdita sit, aut rursus recuperata. Neque infrequens est apud Prophetas unam eandemque rem sub diverso respectu per res diversas in eadem visione repræsentare. Sic Apoc. c. 17. Imperium Romanum quatenus *latum* ac *populosum* per *multas aquas* repræsentatur super quas *meretrix* sedet. v. 1. Et v. 3. quatenus in *corpus Politicum* redactum per *Bestiam* figuratur, cui eadem mulier insidet. Atque hæc de Rotis. Pergimus ad Aurigam & Thronum ejus, &c.

Ad tricesimam nonam. Per *similitudinem Firmamenti* quasi aspectum *Crystalli horribilem*, cui Thronus est impositus, intelligitur ingens vorticis *Expansum*, *diaphanum* ut *Crystallus*, propter verò immensam extensionem *horribile*, ita ut horrorem spectanti vel contemplanti incutiat, præsertim dum considerat Animarum גלגול per tam vasta spatia rotari.

Ad quadragesimam. Quantum ad *Thronum Saphirinum* non dubito quin aliqua allusio esse possit ad lapidem *Saphirum*. *Cælestem* enim quandam ac ætheream naturam refert color ejus *cæruleus*. Tinctus verò ac coloratus est commodè in reliquo æthere Thronus, ut sit Objectum ab immensa mole Ætheris circumfusa distinctum, quæ diaphana seu pellucida ut crystallus repræsentatur. *Durities Saphiri* durabilitatem Regni illius qui Throno insidet, significat. Huc spectat illud ad *Hebræos* cap. 1. (ex Postulato decimo tertio & decimo quarto) *v.* 8. *Thronus tuus DEUS in seculum seculi, virga recta, virga regni*

gni tui, dilexisti justitiam & odisti transgressionem, propterea, unxit te ô DEUS, DEUS tuus oleo exultationis ultra consortes tuos. De regno *Messiæ* ejusque anima hîc agi manifestissimum est, cum de unctione facta sit mentio. De qua paulo post in hac visione. Altera *Saphiri* virtus est, ut *veneream impuritatem* non ferat, fœdasque libidines comprimat. Quæ purissima & immaculatissima Virginitas statui summè *Azluthico* maximè convenit. Et *redempti à terra* Apoc. 14. Agni utique assecla, *virgines vocantur ob puritatem affectuum.*

Verùm enimverò quanquam hæc non contemnenda sunt, magna tamen animo insidet suspicio majus adhuc quid per Thronum *Saphirinum* indigitari. In *Tykune Zoar*, Orationis *Eliahu* Interpres, de Numerationibus tandem agens apertè ait dictionem ספירות à voce ספיר [Exod. 24. 10. כמעשה לבנת הספיר] derivatam esse: quasi *Sephiroth* Numerationes non significaret, sed Emanationes flammantes & scintillantes, Splendoremque *Saphiri* imitantes. Cujus quidem sententiæ quanquam minimè accedo, ut qui decem *Sephiroth* decem Numeros tantum significare existimem, quemadmodum fit in *Denario Pythagorico*, tamen dissimulare non possum quin admodum verisimile credam Thronum hunc *Saphirinum* etiam ad *Sephiroth* per satis perspicuam nec minus usitatam *Paronomasiam Prophethicam* alludere. Non quidem ad *Sephiroth* ipsas quæ non nisi meræ Numerationes sunt, sed ad eas res quarum sunt Repositoria, & ad ipsas sanè quatenus earum rerum Repositoria sunt, & ad tres primas præcipuè, quæ tres primariæ seu *Primordiales* Numerationes à *R. Schabthe* appellantur. Suntque *Corona Summa, Sapientia & Intelligentia.* Quas & *tres mentes* esse asserit (si satis fidus sit *Rittangelius* illius Interpres) quas inde necesse est *tres* esse *Personas*, quippe quæ sic habent *centra* sua *perceptiva* distincta singulæ. Ipseque asserit quamlibet earum esse mentem per se, & in æquali dignitate quasi summè unum quid constituere. Quæ quidem ad Fidem Christianam

stianam Catholicam & Orthodoxam quàm proximè videntur accedere.

Cæterùm illud ad quod nos hîc maximè spectamus, hoc est: Allusionem scilicet hanc ad tres primarias Sephiroth, insinuare ipsam *Divinitatem* hunc Thronum *Saphirinum* esse ad quem evecta sit Anima *Messiæ* per *Postulatum* decimum tertium, ex unione illius Hypostatica cum Persona *Chochmah*, sive *æterno Logo.* Unde ipsa *Divinitas* quæ sui ipsius Locus, Thronus ac Fulcrum est, facta est *Animæ Messiæ* Thronus atque Fulcrum. Neque habet hæc locutio quicquam in se absoni, cum DEUS & מקום & מעון & *Locus* & *Habitaculum* appelletur. Ut verò tres primæ *Sephiroth* triunam *Divinitatem* complectuntur, ita septem reliquas creatorum Spirituum præsertim bonorum Universalitatem significare in Annotatis ad secundam Tabulam *Cabbalisticam* breviter indico. Ita ut Thronus *Saphirinus* simpliciter ad *decem Sephiroth* alludere possit, quibus omnibus aliqua ratione *Animæ Messiæ* dici possit insidere: ut & ipsi mali Genii ipsum scabellum fieri Throni illius, quos quasi pede premat supprimatve, reliquos verò *Spiritu* regat ut supra notatum est.

Quin & *Ophan* sive *Sandalphon*, quatenus *Spiritum Naturæ* etiam sensu magis extenso significare potest, inferioribus hujus Throni partibus meritò videtur posse accenseri. Quid enim istuc mirum si is qui cum Divina Sapientia sive *Chochmah*, quod *internum* est *æternumque DEI verbum*, tam mirificâ unione unitus sit, absolutissimum imperium habeat in *Verbum externum* qui *Spiritus* est *Naturæ*, adeò ut illum in quoscunque voluerit motus excitare possit & omnimoda miracula patrare, elementaque Mundi mutare ordinareque prout libuerit. Qui enim *Filiam Regis* habet *auream* etiam illius habet *tunicam*, quæ *sex dies Creationis* significat quemadmodum videre est in *Tykune Zoar.* Ingens verò hoc Privilegium ei concessum videtur ex fide pacta de *Redemptione Populi DEI* & de *occidendo*

cidendo Serpente in *Cælo* in *Mari* & in *Aridâ*. Quò quædam non coactè respicere videntur quæ in eodem libro occurrunt, in *Sepher* nempe *Jezirah*. Ubi mentio fit Filiæ Regis in Turri conspicabilis, quæ in uxorem cessura sit illi qui *serpentem* occiderit puta in Cœlo *Jezirathico* perinde atque in Mari & in Aridâ. Ibi verò dicitur *Schiloh* fuisse qui hoc præclarum facinus patraverit, quemadmodum supra notavimus.

Quæ verò potest esse illa *Filia Regis* in Turri sublimi nisi *Chochmah* sive *Æterna DEI Sapientia*, quidve *nuptiæ* nisi unio *Hypostatica*, ut *Anima Messiæ* & *Sapientia DEI æterna* una fiant *Hypostasis*, sicut vir & fœmina unum corpus, quemadmodum innuit Apostolus. *Filiam* verò *Regiam* ac gloriosam in *turre*, idem esse quod *Chochmah* in *Kether*, illa appellatio unitatis *Pythagorica* (ἑνὰς πάντων) persuadere potest. Ubi πύργος, id est, *Turris*, respondet τῷ *Kether*, Coronæ, & ἑνὰς, per quem *Graci Cabbalistæ* τὸν τῶν *Divinam mentem* intelligunt, respondet τῇ *Chochmah*. Sed Throno huic *Saphirino* explicando plus satis operæ impensum est, nisi quod hinc facilius satisfacturi simus Quæstioni sequenti.

Ad quadragesimam primam. Hominem igitur Throno *Saphirino* insidentem sine morâ respondeo *Animam* esse *Messiæ* cum *æterno Logo Hyperaziluthicè*, vel si Scholasticè mallemus loqui, *Hypostaticè* unitam, juxta *Postulatum* decimum tertium. Hic est ille λόγος τοῦ θεοῦ qui humanâ formâ equo insidens conspicitur, Apoc. 19. Idem nempe qui מימרא דיי *Verbum Jehovæ* (ὁ λόγος τοῦ θεοῦ) apud *Chaldæum* Paraphrasten toties dicitur, quemadmodum notat *Rittangelius* in *Sepher Jezirah*. Verbum autem hoc *Jehovæ* humanâ formâ Patriarchis apparuisse notissimum est. Quam igitur ob causam meliorem id factum putari potest, quàm quod *nudus Logos* non esset, sed λόγος ἐνσαρκωθείς, quanquam nondum ἐνσαρκωθείς *Logos* cum *Anima Messiæ* quamquam nondum cum *carne illius* unitus, ac proinde humanâ formâ, qualis est ferè Animarum separatarum Angelorumque, nisi fortè datâ operâ figuram mutent.

Atque profectò ipse *Calvinus* Hominem hunc Throno insidentem Christum esse enixè contendit, aptisque Sacræ Scripturæ locis confirmat. Nam sub hac forma repræsentatum esse in Visione *Danielis* secundamque Trinitatis personam ibi referre statuit, ut Antiquus Dierum primam, (quid autem in hac *Ezechielitica* Visione primam personam referat, mox notabimus.) Neque enim contentus patrum sententia *Calvinus*, qui dicunt in genere hoc præludium fuisse magni illius Mysterii apud Paulum memorati, *DEUS manifestatus est in carne*, meritoque illud *Hieronymi* execrans, qui verba ait fieri de Patre ipso, probat hîc Filium, secundam Personam, humanâ naturâ indutum, esse intelligendum ex Johan. 12.41. *Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus*, nempe Christi, *& locutus est de eo*. Et si Dominus solio insidens celso & elato, illic Christus est, cum Logo æterno unitus, procul dubio idem Christus est in Visione hac *Ezechielitica*, cum *Apprehensio Ezechielis & Esaiæ in utraque visione eadem sit*, quemadmodum nos docet *R. Moses Ægyptius More Nevochim*, part. 3. cap. 6. & res ipsa demonstrat.

Concludimus igitur Hominem insidentem Solio *Logon* esse ἐνσαρκωθείς, cum nec DEUS Pater, nec Spiritus Sanctus humanam naturam sumpsisse dicantur. Et ut de tertia *Hypostasi* ex mentione *Spiritus* suprà constabat, sic de secunda ex humana Forma super Solium *Saphirinum* apparente hîc satis constare censeo. Atque hinc fortean opportunè moneri possumus, cur in Incarnatione *Messiæ* nulla Animæ facta sit mentio. Ut Johan. 1. 14. *Et Logos caro factus est*, quasi nudus Logos cum carne unitus esset, nullâ animâ interveniente. Sed ratio est, quia unio *Animæ Messiæ* cum *Logo* infinitis fere ante seculis, facta intelligitur. Unde sat erat de *Logo* meminisse, cum *Logos* animam in se contineat.

Ad

Ad quadragesimam secundam, ut duabus proximè sequentibus Quæstionibus accuratiùs respondeatur, versum vicesimum septimum & vicesimum octavum quàm exquisitissimè possum, Latinè reddam. *Et vidi quasi speciem* CHASMAL, *tanquam aspectum Ignis domus illi circum, ab aspectu lumborum ejus & suprà, & ab aspectu lumborum ejus & infra; vidi tanquam aspectum ignis & splendorem ei circum; velut aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviæ, sic aspectus splendoris circum.* *Chasmal* & vulgaris versio Latina, & septuaginta Interpretes & pleræque omnes Translationes reddunt *Electrum*, quod Medici vulgo *Succinum* vocant, quodque cordi imprimis amicum esse ajunt, ut taceam de Cerebro. Quod satis consentaneum est conspectui ejus circa medias partes. Nam *domus igni* est *circa Electrum*. Usus ejus in oleum redacti eximius est apud Medicos. Per *Electrum* verò hoc significari *Divinum Elementum* suprà ad quæstionem octavam notavi. *Aureamque Filiæ Regis Tunicam* huc referendam censeo, aurumque purum transparens ex quo Nova *Hierosolyma* facta est Apoc. 21. Nam *aurum transparens* procul dubio ad *Electri* speciem quàm proximè accederet. Sed mutata *Divini* hujus *Elementi* consistentia in speciem olei nostris rebus magis accommoda est, ut aptiùs conveniat cum illo loco suprà citato ad *Hebræos*. *Thronus tuus DEUS in seculum seculi, &c. Dilexisti justitiam & odisti transgressionem, propterea unxit te O DEUS, DEUS tuus oleo exultationis ultra consortes tuos.* Qui locus planè intelligendus est de *Messia*. Et *Messiam* itidem hac in visione intelligi debere etiam ex hac ipsa voce חשמל non obscurè insinuari videtur.

Nam חשמל per תמורה sive transpositionem literarum *Cabbalisticam* est למשח tanquam inscriptio esset hujus Figuræ humanæ super solium sedentis, quâ indicetur cujus esset figura vel Imago, quemadmodum inscribitur femori Herois *Apocalypsici* Equo albo insidentis. *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Fateor deesse ' literam, sed admodum commodè. Nam sic

sic & nomen *Messiæ*, quanquam non adeò plenè, satis apertè subinnuit, quasi legendum esset למשיח & simul naturam illius rei, quæ *electri* speciem præ se fert. (Quod *Divinum* illud *Elementum* esse censeo in Postulato quarto memoratum) perquàm eximiè illustrat, nempe quod sit למשח *in oleum* vel *unctionem*. Quod quidem *oleum* sive *Divinum Elementum* est vehiculum *Spiritûs Sancti*. Estque hæc ipsissima illa unctio de qua *S. Johannes* monet fideles. 1. Johan. 2. *Unctio* utique quæ *ipsos doceat omnia & quam à Christo acceperint.* Universi enim hujus *Divini Elementi* penes ipsum est dispensatio, quatenus in unam personam cum *Divino Logo* coaluit, ut facile demonstrari potest, ex Johan. c. 6. Unde non temere per omnes Mundos diffundi suprà observavimus. Maximè proprius autem Effectus primusque hujus unctionis est in cor ipsum, quo à sui amore mundetur, ut Amoris verè Divini fiat capax. Servatorque *beatos mundos corde* prædicat *quia ipsi DEUM videbunt.* Et certe non incommodè accidit quòd per *Gematriam* Cabbalisticam חשמל unguentum hoc, & אור פנאל i. e. *Lux faciei DEI*, idem valeant. Qui valorum consensus notatus est ab ipsis *Cabbalistis* in *Emek Hammelech*, sive *Valle Regia*. Adduntque insuper מלבוש & חשמל per suam *Gematriam* idem esse. Et verum equidem est literas utriusque in unam summam collectas, utrobique eandem esse sive æqualem. Unde certè illi haud inscitè colligere possunt *Chasmal* hoc in Visione ad *vestimentum internum aurcum Filiæ Regis* suprà memoratum rectissimè referri, esseque *vestem internam* ad quam *Renati* pro suo modulo suspirant, quemadmodum monet Apostolus. 2. Cor. 5. v. 2. 3. 4.

Quid sit igitur *Electrum* & quæ Mysteria esse possint in voce חשמל sufficiat pauca hæc breviter libasse. Quod verò domus Igni dicitur esse circa *Electrum* vel *Chasmal*, videtur innuere *Chasmal* sive *Divinum Elementum* in igneo sive Æthereo *Messiæ* vehiculo includi, totum verò vehiculum ex eo non

componi, quamvis eo ungatur longè ultra consortes. Cum verò domum ignis ab aspectu lumborum & suprà & ab aspectu lumborum & infra extendi ait, totum vehiculum *Animæ Messiæ* igneum, quod dixi, vel ætherum esse notat, ipsumque *Electrum* pervadere, atque hoc omne esse *particulare corpus* gloriosum *Messiæ* distinctum ab alia gloria quam statim proximis verbis describit. Vidi tanquam *aspectum Ignis & splendorem ei circum, &c.* Quorsum enim ista Repetitio nisi quod aliam igneam gloriam sive Lucem velit describere. Quæ qualis sit in subsequenti Quæstione dicemus.

Ad quadragesimam tertiam. *Vidi*, inquit, *tanquam aspectum Ignis & Splendorem ei circum, velut aspectum Arcus cum fuerit in nube in die Pluviæ, sic aspectus splendoris circum.* Hæc est altera illa gloria à vehiculo *Messiæ* distincta. Describitur autem per *Ignem*, & *Splendorem*, & *Arcum pluvium*. Est autem hic *Aziik Jomin*, secundum tuam Tabulam *Cabbalisticam*, qui respondet *Antiquo Dierum* in Visione *Danielis*. Et tria etiam hic occurrunt ut illic, nempe in tua Tabula, *Ignis, Splendor, Iris*. Quæ tria *causaliter* si fas sit ita loqui, in Prima *Sephirah* vel *persona* continentur. Ipse enim *DEUS Pater* est ἀνωγενεὸς & causaliter in se continet *Filium* ἀπόγονον τοῦ θεοῦ αὐτοῦ, & ab eo cum Filio procedit *Spiritus Sanctus*. Cujus varia dona per colores *Iridis* repræsentantur. *Pater* est causa causarum etiam sui ipsius & *simplicissima* quasi *Lux*, unde & vocatur *Pater Luminum*, ut qui prima Lux sit & simplicissima sed sub triplici specie hic repræsentata, *Ignis*, *Splendoris* & *Iridis* propter rationem suprà dictam *Ignis* est *caput imperceptibile*, *Splendor* vel *Lux* est *Caput Ensoph*. (Nam אין סוף & אור quemadmodum ipse mones, per *Gematriam* idem valent) & *Arich Anpin* diffusio *Spiritûs*. Sed hæc omnia *latenter* ac *causaliter*, nisi quod *Lux* sit expressa appellatio hujus primæ personæ prout ipse in Cognominibus & subordinatis mones. Hæc igitur in ultimo loco

loco memorata *Lux* & *Gloria*, est *Gloria Patris* vel *Lux Paterna*, quam, cum nos, nisi per nebulam quasi, contemplari non possumus, rectè dicitur circundari *arcu cælesti* seu *Iride*, vel si malles *Halone*, quæ etiam *Corona* dicitur: Nullusque dubito, quin prima *Sephirah* vel פרצוף *Kether*, i. e. Corona, ab hac visione *Ezechielis* dicatur, splendida quidem ut colores *Iridis*, sed cum integro circulo ut *Halo* sive *Corona* circa *Solem*. Rectè autem hæc prima *Sephirah Kether* seu *Corona* dicitur, quia *complectitur* omnia *causalitate*. Unde manifestum est *gloriam Patris* illâ indicari. Ex quibus concluditur, etiam de *prima Hypostasi* in hac Visione *Ezechielis* apertè constare perinde ac de *tertia* ac *secunda*, cum qua Anima *Messiæ* unita est, & super excelsum Thronum *Saphirinum* collocata, *paternâ* etiam *gloriâ* circumfulgens, quemadmodum habet illa Ecclesiæ nostræ doxologia ad Christum: *Tu enim solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus ô Christe cum Spiritu S. altissimus es in gloria DEI Patris, Amen.* Atque hæc de primo capite *Ezechielis*. Pergimus ad Quærenda in Capite decimo.

Ad quæstionem quadragesimam quartam. In repetita visione quatuor Animalia dicuntur *Cherubin*, cum tamen in prima visione dicatur aspectus eorum esse tanquam *Hominis*, דמות אדם לראות *Similitudo hominis eis*, quo significabatur Animas esse *humanas*: Hinc, inquam, innuitur perinde esse sive Animæ *humanæ* sive *Angelicæ* censeantur, cum tanta inter eas intercedat naturæ similitudo, quemadmodum intelligi potest, ex *Postulato* decimo octavo. Quæ certè eximia clavis est ad retegendos errores aliquos immanes recentiorum quorundam *Cabbalistarum*, cum nomen *Adam* ad Angelos perinde pertineat atque ad genus humanum.

Ad quæstionem quadragesimam quintam. Per virum indutum lineis Sacerdotem aliquem intelligi existimo, vel Prophetam, cujus Zelus accendatur, operaque Functionis promo-

veantur ac dirigantur assistentiâ Spiritûs & ministerio Angelorum.

Ad quæstionem quadragesimam sextam. Rotæ carnem & terga habere dicuntur & manus & alas, immo addam & caput ℣. 11. (nisi forte nihil aliud significet quàm primam partem) & oculos expressissimè; etiam Rotas ipsas asserit plenas esse oculis, non contentus dixisse carnem, terga, manus & alas sic esse, quasi totæ fere consisterent ex oculis. Hæc autem omnia tanta cum industria inculcantur, ut satis possimus intelligere, quatuor *Rotas* & quatuor *Animalia* idem esse uti supra monuimus. Animalibus enim non Rotis istiusmodi partes competunt. Cæterùm cum hæc Animarum Universitas in quatuor *Animalibus* plenè contineretur, nemo profectò causam facilè excogitare potest, cur hic iterùm in *Rotis* tanta arte tantoque opere depingerentur, nisi ut expressissimè inde deprehendere possimus *Revolutionem Animarum* per has Rotas indicari.

Ad quæstionem quadragesimam septimam. Et ne *aures* ipsis deesse videantur, ipsis *Rotis* acclamatum est Propheta audiente. הגלגל *O Rota.* Et surdum profectò esse oportet qui hac voce experrectus non statim agnoscat ad *Cabbalisticam* Animarum גלגול hic alludi. Estq; mutatio vocabuli in hoc loco (nam hactenus *Ophannim* dixerat) quasi clavis totius *Mysterii Rotarum*, apertaque indicatio, Revolutionem Animarum, tum Humanarum, tum Angelicarum hîc indigitari, earum præsertim quæ non tam *propriâ culpâ* quàm *Divino fato* descenderint, nullasque ascendere posse nisi pars fiant *Rotarum Regiæ Quadrigæ* semper benedicti *Messiæ.* Ut verò Auriga *Rotas*, *præteritis Animalibus*, nisi *Rotæ* ipsa *Animalia* essent, inclamaret, videtur absurdissimum. Acclamando verò הגלגל non unam aliquam Rotam, sed omnes quatuor intelligit. Sic enim גלגל significat. Ezech. 23. 24. & in hoc ipso capite ℣. 6. Quo solo in loco occurrit vox גלגל, in aliis locis omnibus in utraque visione

vox

vox אופן & אופנים usurpantur, præterquam hujus capitis versu 13. ubi acclamatur הגלגל. Videtur autem vox גלגל vers. 6. datâ operâ usurpari, ut ubi acclamandum foret הגלגל ℣. 13. de omnibus Rotis *Aziluthica*, *Briathica*, *Jezirathica* & *Asiathica* intelligi possit fausta hæc & alacris Acclamatio. Quippe quod Rotæ hæ quatuor, *Regnum* notant Messiæ *Spirituale* quacunque in Rotatione positum.

Ad quadragesimam octavam. Singulæ verò *Rotæ* quatuor facies habere dicuntur ob eandem causam ob quam singula *Animalia* dicta sunt quatuor habere facies, & præterea, quod toties inculcatum est, quod idem significent quod *Animalia*, nempe Animas quatuor Mundorum, Rotatione sive Revolutione tantum additâ.

Ad quadragesimam nonam. In enumeratione verò, una tantùm facies distincta singulis Rotis attribuitur, tum ut in hoc etiam Rotæ similes sint Animalibus, quorum singulis, quamvis quaterna haberent capita, unum præ cæteris peculiariter attribuebatur, *Aquilinum*, *Humanum*, *Leoninum* aut *Bovinum*, tum ut hâc enumeratione prior illa veritas plenius confirmaretur.

Ad quinquagesimam. Quatuor autem Animalia unum Animal appellantur vers. 20. quia in omnibus Mundis & Revolutionibus unæ eædemque sunt individuæ Animæ, sive sint in statu *Aziluthico*, sive *Briathico* seu denique *Jezirathico*, *Asiathicove*. Cumque nec Angelicæ profectò Animæ à nostris plena specificatione videantur distingui, hinc innumeræ hæ multitudines Animarum sive *Angelica* sive *Humana* sive in hoc statu, sive in illo per Propheticam *Henopæiam unum Animal* rectè dicuntur, præsertim cum sint *unum Regnum* & sub uno Principe, Anima nempe *Messiæ*. Facta verò hic mentio est Fluminis *Cobar* ut plane constare possit, eandem esse visionem quam prius viderat על נהר כבר (in ea scilicet visione [illegible]). Quod bis il-

lic

lic inculcatur quo probabilius fiat, aliquid subesse Mysterii. Et certè mihi tale videtur Mysterium subesse quod non parvi momenti sit ad rectam Intellectionem Visionis. Innuit igitur hæc circumstantia loci, *subjectum visionis* in genere non esse de rebus *purè immaterialibus* & æternis, sive de tranquilla prorsus serenaque, de fixa immobilique Æternitate, sed de rebus Immaterialibus, cum *fluxu temporis* seculorumque decursu ob *unionem cum materia*, conjunctis. Hoc נהר כבר Flumen Chebar (sive ad מים כבירים ad validum Aquarum fluxum, sive ad significationem כבר, quatenus temporis particula est ac fere præteriti, alludatur) significat. Nam & *Heraclitus* olim omnia ferri dicebat πάντα ῥεῖ, addebatque, ni malè memini, nihil verè enunciari posse de re quapiam, quia res priùs effluxerit, quam de ea possit quid pronunciari. Sed hoc certe verum est, mutationes Mundi materialis esse quasi in perpetua *præteritione*, ut omittam tres primos æonas hujus Visionis, *Aziluthicum, Briathicum*, & *Jeziráthicum* jam præteriisse, ut rectè hæc visio super fluvium *Chebar* conspecta dicatur, juxta rationem nominis *Chebar*. Et ex quatuor Rotis manifestum est, omnia hic esse in motu. Quæ quidem quanquam in principio notasse, magis methodicum fuisset, malui tamen hic memorari quàm silentio prorsus præteriri, cum inscitiam eorum *Cabbalistarum* opportunè prodat, qui quosdam ex his Mundis *Mercavæis*, ad res purè materiales evehant, cum ne unum quidem Mundum pure immaterialem indicari mihi satis constare videatur.

Ad quinquagesimam primam. Ex prædictis satis clarè constat, DEUM Israëlis præcisè sumptum, esse *Æternum Logon* cum *Anima Messiæ* unitum, quemadmodum rectè deduci potest ex sexto capite Esaiæ, & Johan. 12. vers. 41. *Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam ejus* (nempe Christi) *& locutus est de eo.* Visionem autem *Esaiæ* & *Ezechielis* eandem fere esse

esse supra notavimus ex *Maimonide*. Hunc fuisse *DEUM peculiarem* & quasi *Angelum custodem Populi Israëlis* multa Scripturæ loca naturaliter videntur indicare. Ut 1. Cor. 10, 4. Ubi *Christus* dicitur cibasse & potum præbuisse *Israëlitis*. Et vers. 9. *Israëlitæ* dicuntur tentasse *Christum*. Christus verò nuda Divinitas non est sed Anima *Messiæ* cum *æterno Logo* unita. Et certè quod occurrit Heb. 13. vers. 8. ultra, haud incommodè, extendi potest quàm ad Nativitatem Christi in carne. *JEsus Christus heri & hodie idem & in secula.* Ille debellabat *serpentem* in cœlo, ille debellabat in Mari nempe *Pharaonem* in Mari Rubro, idemque debellabit *serpentem rufum septicipitem*, Imperium utique *Romanum* suisque tandem in manus tradet. Hoc autem dictum est ad *Hebræos* ut afflictiones pro Christo fortiter possent ferre. Vide Mysterium Pietatis lib. 1. cap. 8. Dedisse etiam Legem *Israëlitis* in Deserto (quanquam *Incognito*, quod dicitur) nec in forma Filii DEI sed custodis Angeli populi Israëlitici innuere videtur *Baruc*, cap. 3. 36. Is DEUS noster, non æstimatur alius cum ipso comparatus, id est, Vilescunt Dii gentium cum DEO Israëlis comparati, quia ipsi meri Angeli sunt DEUS verò Israëlis æterna Sapientia החכמה הקדומה cum Anima *Messiæ* unita, quemadmodum sequitur, Invenit omnem viam scientiæ (id est, tum *Legem*, tum *Cabbalam*) *quam dedit* JACOBO *filio suo & ISRAEL dilecto suo. Postea in terra visa est & inter homines conversata.* Nempe Sapientia hæc demum incarnata est, quem *JEsum Christum* vocamus. Sed expressissimus locus pro illius Incarnatione est. Johan. 1. vers. 14. *Et sermo caro factus est.* Hic est מימרא דיי (*Hebraice* diceretur אמרה fœminino genere, perinde ac חכמה) qui toties apparuit humana formâ Patriarchis, unde rectè colligi potest Animam *Messiæ* subfuisse, quippe qui fuerit quasi Angelus Custos Familiæ *Israëliticæ*. Quod planè hic innuitur apud Johannem vers. 11. *Ad sua venit* (id est,

est, ad proprium populum, quibus tam diu tanquam Angelus eorum custos præfuerat) *& sui eum non exceperunt.* Et certè nunc מלאך יהוה nunc יהוה dicitur. *Zachar.* 3,1.2. Nam de Angelo *Jehovæ* vers. 1. Magni Sacerdotis Patrono vers. 2. dicitur, quod dixit Jehovah, ad Satan, Increpet Jehovah in te Satan. Ipse igitur Angelus dicitur Jehovah. Quod nusquam tamen verum esse potest nisi in persona Cbristi, qui & Angelus fœderis, & Angelus custos Israëlis, & Jehovah simul erat. Hæc & similia loca mihi plane demonstrare videntur, Animam *Messiæ* cum æterno Logo ante Incarnationem fuisse unitam, atque hanc Hypostasin ex Animâ *Messiæ* & æterna Sapientia sive *Logo* coalescentem DEUM esse *Israëlis* præcisè sumptum.

Ad quæstionem ultimam. Quæ verò sit hujus DEI *Israëlis* gloria facilè intelligitur ex tota expositione hujus Visionis *Ezechielis.* Estque hæc ipsissima illa gloria Christi quam memorat Johan. 17. vers. 5. *Ego te glorificavi in terra, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem*, nempe firmiter statuit, sicut promiserat in Mundo putà *Briathico*, pro redemptione populi in hac terra, infima Regione immensæ illius Provinciæ sibi à Patre commissæ pati. In sequenti igitur versu orat, ut in eas postmodum Regiones superiores redire liceat, ubi *apud Patrem* vel in *gloria Patris* quemadmodum in Visione *Ezechielis* describitur, regnaverat, ante Mundi *Asiathici*, in quo tunc consistebat, jacta Fundamenta. Hic enim sensus videtur genuinus illius Orationis vers. 5. *Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temet ipsum eâ gloriâ quam habui apud te priusquam Mundus esset.* Quod necessario de humana natura intelligendum est. Divina enim est immutabilis nec potest status illius minui. Et dicit eâ gloriâ quam *habui* & *ὤν*, quod nulla Grammatica permittit ut vertatur *Habiturus sum*; & si permitteret, frigida tamen profectò sic esset & diluta Interpretatio.

Argumentum enim nihil in se peculiare haberet, omnibusque nervis careret ac venustate.

Atque nunc spero me, pro modulo meo, quinquaginta hisce duabus quæstionibus circa visionem *Ezechielis* satisfecisse. Quæ procul dubio Veteris *Cabbalæ Metaphysicæ* pretiosissima est Fodina. Ex qua omnes veritates *Metaphysicæ* ullius momenti effodiendæ sunt, aut saltem commodè ad eam referendæ. Cujus rei eximium puto fuisse instrumentum decem Numeros, quos *Græci Cabbalistæ Denarium Pythagoricum*, *Hebræi* decem *Sephiroth* nominant. Nec tamen *Numeros* sed *Emanationes* esse, haud satis solido consilio, quantum ego quidem existimo, finxerunt. Sed penes harum rerum peritiores judicium esto. Ego interim usum horum decem Numerorum Nominumque in *Tabula Cabbalistica*, singulis affixorum, per modum brevis quasi *Catechismi Cabbalistici* vel potiùs *Mercavæ*, aliquot propositis Quæstionibus illustrabo: ut clariùs pateat nihil opus esse ut istæ decem *Sephiroth* pro tot *Emanationibus* habeantur. Decem verò illa Nomina ad Visionem hanc *Ezechieliticam* spectare nullam puto apud emunctæ naris homines unquam fore controversiam.

CATECHISMUS CABBALISTICUS,

Sive

MERCAVÆUS,

Quo, in DIVINIS MYSTERIIS MERCAVÆ EZECHIELITICÆ

Explicandis & memoriâ retinendis

DECEM SEPHIROTHARUM Usus egregiè illustratur.

QUæst. I. Visionis *Ezechielitiæ* quodnam est subjectum proprium & adæquatum?

Resp. Subjectum proprium & adæquatum Visionis *Ezechielitiæ* est Regnum *Spirituale* DEI *Israëlis* quatenus DEI *Israëlis*.

Hic autem notandum ex hac summaria quæstione rationem patere Nominis decimæ *Sephiræ* quæ vocatur *Malchuth*, id est, *Regnum*. Nomen verò decimæ sive ultimæ *Sephiræ* hoc esse, quoniam tametsi *Malchuth* prima sit *propositione*, illius tamen *cognitio* ultima est assecutione. Plena enim illius cognitio ante non obtinetur quàm satisfactum fuerit Quæstionibus de reliquis novem. Quod verò *Græci Cabbalistæ* hanc *Sephiram* βασιλείαν non vocant, sed tantum, κόσμον vel κύριον, inde factum esse, quod vox βασιλεία non tam ad *gentes* quam ad *Israëlitas* sive *Judæos* pertineret, supra insinuavi.

Quæst. II. Quisnam est hic DEUS *Israëlis* quatenus *Israëlis*?

Resp. Est Anima *Messiæ* in unam personam (*Hebræi Cab-*

Cabbalistæ, פרצוף, *Græci* πρόσωπον vocant) cum secunda persona *Divinitatis* coalescens.

Quæst. III. Suntne igitur *Personæ* unâ plures in *Divinitate*?

Resp. Sunt omninò tres.

Quæst. IV. Quomodo appellatur prima?

Resp. Prima vocatur *Kether*, כתר hoc est *Corona*, & *Attik Jomin*, Antiquus dierum. Sic appellatur à *Cabbalistis Hebræis*, estque planè Summitas *Divinitatis* omniumque supremus Pater atque Rex. A *Græcis* verò *Cabbalistis* vocatur τὸ ἀρχαῖον πάντων. Item fortasse Κρόνος quasi Ἀκρόνους præterito α (quod facile fit) ac si diceres τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ. Per τὸν νοῦν verò illi intelligunt Δία, *Jovem*, Hæc & notatio & vis nominis occurrit alicubi apud *Macrobium*. Κρόνος verò qui & valdè senex depingitur, cujusque vel ipsum nomen ad temporis significationem alludit, apte respondet nomini *Attik Jomin*, i. e. *Antiquo Dierum*. Sed & ζεὺς πάντων hæc *Sephirah* appellatur a *Pythagoreis* qui *Græcorum Cabbalistarum* sunt antiquissimi, τὸ ἄκρον verò τοῦ νοῦ & *Kether* sive *Coronæ* optimè conveniunt cum πύργῳ *Turri*, quæ Acropolis est summitasve Civitatis. ὃς verò cum sit *Mens Divina*, pulchrè convenit, ut τὸ ἄκρον τοῦ νοῦ, quod est πνεῦμα θεῖον, appellatur ζεὺς πύργος, *Jovis Turris*. Sic autem appellatur Unitas in *Denario Pythagorico*. Atque hinc planè constat cur *Kether* primæ *Sephiræ* nomen dederit. *Kether* verò qua ratione è Visione *Ezechielis* emicuerit supra notavimus.

Quæst. V. Quomodo appellatur secunda Persona?

Resp. Secunda Persona appellatur *Chochmah*, *Sapientia*. Secundamque *Sephiram* occupat. Denotatur etiam per *Regis* putà *Supremi Filiam in Turre*. Quod præclarè convenit cum *Pythagoreorum* ζεὺς πύργος. Ubi πύργος τὸ ἄκρον τοῦ ζεὺς significat, idemque est quod supremus omnium Pater atque Rex, utque hæc *Sephirah*, *Chochmah* apud *Hebræos*, ita apud *Pythagoreos* Ἔνοιαν vocatur. Hoc enim apud ipsos nomen est Binarii. *Platonici* vocant τὸν νοῦν. *S. Johannes* τὸν λόγον ad מימרא רייא alludendo

quod nomen est secundæ Personæ apud *Chaldæum Paraphrasten*, innuique suprà אמרה appellandam fuisse *Hebraicè*, nulsumque sexus discrimen esse in Divinitate certissimum est. Quomodo verò hæc secunda Persona è Visione *Ezechielis* eluxerit, suprà monuimus.

Quæst. VI. Quomodo vocatur Persona tertia?

Resp. Tertia Persona vocatur *Binah, Prudentia*, tertiamque *Sephiram* occupat, & à *Pythagoreis* expresè vocatur φρόνησις, *Prudentia*. Apud *Johannem* verò c. 1. ℣. 4. ζωὴ, ὃς ἐστὶ ζωὴ ἐν. Unde *Pythagoreorum* ζωὴ sic appellari forte potest (qui λόγος apud *Johannem* respondet) ἐν ὃς ἐστὶ ζωὴ ἐν. Tertia verò hæc Persona occurrit in Visione *Ezechielis* sub nomine רוח sed præsertim sub nomine רוח החיה quæ pulchrè respondet ζωὴ apud *S. Johannem*. Cur verò veteres Cabbalistæ vocem רוח vel רוח החיה in ביגה verterint nihil necesse est hic inquirere. Satis est quod antiquæ *Cabbalæ* vox in Christianâ Religione sit restituta.

Interea loci abundè patet, quomodo primi tres *Numeri* sive *Sephiroth*, nominũ *trium* Divinarum *Hypostasium*, sive *Personarũ* tã in Tabula *Sephirothica* quàm in *Denario Pythagorico* apta fiant Repositoria, horumq; trium *Numerorum* sive *Sephirotharũ* hunc esse usum genuinũ, neq; quicquam necesse esse *Judæis* rem ullã habere cum *Emanationibus*, non magis certè quàm *Pythagoreis* apud quos *Emanationum* nulla prorsus fit mentio. Nomina verò æternæ infinitæq; Divinitatis tribus hisce Numeris concludi, testimonio esse potest, quod occurrit in *Idra Rabba* de distinctione *Arich Anpin*, & *Seir Anpin* qui septem sequentibus numeris clauditur. Et R. *Menachem Haraknati* apud *Rittangelium* in *Sepher Jezirah*, tres primas *Numerationes, primordiales* vocat (ut & R. *Schabthe*, *Mentes*) septem verò reliquas appellat מדורות. Quales verò reliquæ septem revera sint, pergendo in hoc *Catechismo* nostro *Cabbalistico* mox satis intelligemus. Deprehendemus enim non esse nisi locos communes, juxta quos

Quæ-

Quæstiones porrò instituendæ sint ad pleniorem notitiam *Regni Messiæ* sive Dei *Israëlis*. Qui *Esaiæ* c. 6. vocatur *Rex Dominus exercituum*, *Rex Jehovah Zebaoth*. Nomen verò *Jehovah* secundæ *Personæ* competere, ut τὸ ὄν & ἰδέα secundæ *Hypostasi Platonicæ* notissimum est. Est autem hic *Jehovah* Rex cum Anima *Messiæ* in unam personam unitus. De regno cujus Regis, postquam de Rege ipso jam constet, qui sedet in gloria Patris spiritumque suis distribuit, quærendum porro est, ex loco communi *Gedulah*.

Quæst. VII. Quæ sit Regni DEI Israëlis sive *Messiæ* magnitudo, amplitudo vel extensio?

Resp. Huic quæstioni non incommode responderi potest ex Propheta *Baruch*. *O Israël quàm magna est Domus DEI tui, quàm amplus locus possessionis ejus! &c.* Et certè vel unus Æthereus vortex moles ingens quædam est & quasi immensa. Et ad unum aliquem vorticem videtur respicere Propheta, Mundumque illius Orbemve *Jezirathicum*, quoniam mox addit. *Illic fuerant Gigantes illi nominati* (רפאים usitatissimè, ob attentionem *Azluthicam* prorsus remissam & ferè extinctam, sic dicti) *qui principio erant permagni, periti rei militaris*, quos tamen DEI filius debellavit & profligavit in confiniis Mundi *Briathici* & *Jezirathici*. Et addit porrò: *Non hos elegit DEUS, neque viam Scientiæ tradidit eis*: Neminem horum elegit DEUS Pater Rex supremus cui nuptum det filiam *Chochmah* cum vestimento aureo, sed elegit Animam *Messiæ*, prout suprà explicavimus. Hic verò *Chochmah*, i.e. *Sapientia, Scientia* dicitur, sicut & vocatur à *Pythagoreis* Ἐπιστήμη. Iterumque dicitur Scientia. ℣. 37. De qua tamen ait: *Postea, in terra visa est & inter homines conversata*. Quod plane innuit æternam esse Sapientiam incarnatam. Quod verò *via Scientiæ* non simpliciter *Scientia* apud *Baruchum* dicitur id optimè convenit cum verbis Christi. *Ego sum via, veritas & vita*. Vulgaris versio è *Græco* habet: Postea in terra visus est, &c. respicien-

do ad ℣. 36. Is DEUS noster est, &c. Sed eodem recidit quò Tralatio hæc *Tremelliana*. Tunc enim [coram Factore suo] ℣. 35. intelligendum est de illa *Hypostasi* quam *Platonici* [illegible] vocant. Breviter igitur amplitudo *Regni Messiæ* universos quatuor Mundos *Aziluthicum*, *Briathicum*, *Jezirathicum* & *Asiathicum* occupat, quemadmodum intelligere est ex nostra Expositione Visionis *Ezechieliticæ*. Utrum verò ob meritum Passionis pretiumque sanguinis effusi, cujus vel una guttula sufficerit ad infinitos Mundos redimendos ei datum sit imperium suum in omnes omninò Mundi vortices, ubicunque quicquam Animarum lapsarum sit, proferre, an verò aliis modis supremo Regi (cujus providentia & sapientia non solùm [illegible], sed planè infinita est) visum sit cum lapsis animabus agere, gravissimis doctissimisq; Theologis ac Theosophis disputandum relinquo, penesque sapientiores sit judicium. Interim ex loco *Gebhurah* quærendum est.

Quæst. VIII. Quibus viribus virtutibusque instructa sint genuina *Spiritualis* Regni *Messiæ* membra?

Resp. Hic respondeat *Paulus* pro omnibus, Philip. 4. 13. Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ. *Omnia possum per eum qui me corroborat Christum*, nempe per Spiritum omnibus credentibus promissum. Quemadmodum precatur Ephes. 3. 16. *Ut det vobis pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiore homine.* Et Coloss. 1. 14. *Omni potentiâ potentes facti secundum gloriosum robur ipsius ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio, gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem Sanctorum in luce; qui eripuit nos ex potestate tenebrarum & transtulit in Regnum Filii sui dilecti*, nempe in Regnum *Messiæ Spirituale*. Infinita loca sunt Sacræ Scripturæ quæ huc congeri possint. Inter cætera verò præsertim Psalmus duodevicesimus mysticè intellectus. Egregie inde illustratur *Gebhurah* moralis. Cæterum רוח החיים in *Rotis* alios etiam præclaros edit fructus. 1. Cor. 12. 1. in usum Regni

Regni Christi. *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus. Nam huic quidem per Spiritum datur* λόγος σοφίας, profundissimæ Sapientiæ, etiam Cabbalisticæ, ratio, *alii verò* λόγος γνώσεως, *per eundem Spiritum*; Antiquitatem utique, Historiam, humanam reliquam literaturam, ipsamque adeò Scripturam rectè adhibendi explicandique ratio ac peritia. *Alteri verò fides per eundem Spiritum*, Fides nempe omnibus veris Christianis communis, quæ tamen est donum Spiritûs. *Alii verò donum sanationum, alii operatio miraculorum, alii Prophetia, &c. Gebhurah* igitur sive vis virtusque *Spiritualis Regni Messiæ* est Spiritus ejus suis omnibus membris infusus, quo omnes malas cupiditates perfectè subjugant & extinguunt solique Christo vivunt, præclaraque alii alia aliisque locis & temporibus, prout res tulerit, virtutum vocantis eos in mirabilem suam Lucem edunt specimina. Nam cùm *Chasmal* unctionem, *aureamve Tunicam*, pro suo modulo quisque, cum Principe, Capiteve Summoque Sacerdote participant, illi sanè in Mundis omnibus, virtute hujus *Divinæ Magiæ* elementis externis imperant, ut Christus olim ventis fluctibusque marinis. Et *Elias* in Veteri Testamento, hoc חשמל instructus vel potius מלבוש (per *Gematrium*) togâ, dicitur Fluvium *Jordanem* divisisse, Spiritumque *Elie* in *Eliham* descendisse cum *Toga*; quasi ad hunc מלבוש alluderetur.

Hæc est pars *Togæ aureæ Filiæ Regis*, quæ Potestas est, Animæ *Messiæ* data, ordinandi sex dies Creationis, ut suprà monui, jubendique *ut fiat Lux*, & ex benedictione sua ut *volucres in cœlo pisces que in Mari multiplicentur*. Unde minimè profectò mirum videri debet, quod Anima hæc incarnata, post gratiarum actionem duos pisciculos & quinque panes in cibum quinque millibus hominum sufficientem multiplicaret. Immensum esset *Mosis* ac *Prophetarum*, *Christique* ac *Apostolorum* miracula, quibus *Gebhurah*, vis, sive virtus *Spiritualis Regni Messiæ* in membris ejus etiam terrestri corpore oneratis, illustretur,

tur, hîc commemorare. Talia autem cum fiant in infimâ Regione Mundi *Asiathici* quid non facturæ sunt Animæ in Mundis superioribus. Et si *Divini Elementi* virtute externis Elementis imperant, quid non poterunt in propria sua vehicula, pulcherrimè ea vestiendo luceq; perfundendo mirabili. Quid non in suis vehiculis defendendis thorace hoc *Chasmalino* indutæ, (cum descendunt in inferiores Regiones Mundi *Asiathici*) contra vaporum contagia, ut naturale *Electrum* dicitur valere contra omnes pestes ac venena. Sed nimium diu hîc hæsimus. Pergamus ad Locum *Tiphereth*, ex quo porrò quærendum est.

Quæst. IX. Quæ sit ἐπιστήμη Politica, pulchrave Ordinis Politici atque Legum in Regno *Messiæ*, constitutio?

Resp. Omissis quæ apud *Dionysium Areopagitam* occurrunt de Angelorum *Hierarchia*, breviter & appositè ex S. *Paulo* hîc responderi potest & ex *Ezechiele*. Quod summum visibile caput Hierarchiæ Regni Christi sit ipse Messias, humanâ formâ in Visione *Ezechielis* exhibitus, & sic descriptus apud *Paulum* Coloss. 1,14. Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου. *Qui est imago DEI invisibilis.* πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Quòd certè non incommodè exponi potest, *Princeps totius Hierarchiæ* vel *Principes totius Ordinationis* vel *Creationis* politicè sumptæ. Nam κτίσις sic significat 1. Pet. 2. 13. ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσι, &c. Estque nihil magis tritum apud Latinos quàm phrasis creandi Magistratus. Rectè autem dicitur Princeps Creationis Politicæ tum quod ipse sit πρωτότοκος respectu DEI Patris qui hoc Regnum huic primùm commisit, omne illi dans judicium ac potestatem in cœlo atque in terra, tum quod ille posteà omnes sub se Magistratus creaverit. *Nam per eum creata vel ordinata sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominia, sive Imperia, sive Potestates &c.* Quippe secundum *Ezechielem* ille quatuor Mundorum Dominus est atque Rex. Tantum addo sextam hanc

hanc *Sephiram* apud *Pythagoreos* appellari κόσμον, non quidem illa significatione qua *Aristoteles* dicitur scripsisse περὶ τοῦ κόσμου, sed significatione *Politicâ*, quatenus κόσμος significat non tantum ornatû ordinatumve in genere, sed ipsum ordinem Politicum. Et quidam certè Magistratus apud *Lacedæmonios*, expressè κόσμοι dicebantur. Pulchrè igitur nomen sexti Numeri *Pythagorici* κόσμος cum *Tiphereth* nomine sextæ *Sephiræ* convenit. Quantum ad leges verò Regni, una fere summa ac principalis Lex est. *Quicquid jusserit Amor verè Divinus*, quo nemo quæ sua sunt quærit sed quæ sunt *Christi* sive *Messiæ* Principis, quemadmodum innuit Apostolus conquerendo de contrario. Philip. 2. 21. Atque hæc est vera *Pythagoreorum* νόμος. Nam illi triplicem Legem finxerunt νόμον, quæ est Superùm, Mundi puta *Aziluthici* præsertim ac *Briathici*. νόμον qui est Hominum, & θεῶν, quæ est *Inferorum*. Sed hisce non est immorandum. Septimus locus est *Nezach*, ex quo quærendum.

Quæst. X. Quæ prælia sint quæque Victoriæ Regni Messiæ?

Resp. Hei igitur verisimile est Monumenta quædam recitata fuisse antiquissimorum prælionum ac Victoriarum Animæ *Messiæ* in Confiniis Mundi *Jezirathici*, ubi *Serpentem* profligaverit, uti supra notatum est ex *Tykune Soar*, vel *Gigantes* sive *Rephaim* debellaverit, juxta Prophetiam *Baruchi*. Etiam quomodo *Serpentem* in *Mari* occiderit, nempe *Pharaonem* in Mari Rubro, quomodoque occisurus esset aliquando *rufum Serpentem Septicipitem* in *Apocalypsi* descriptum, qui ὁ ἄρχων ὁ ἀρχαῖος ibi dicitur, tanquam idem ille quem in confiniis Mundi *Jezirathici* olim debellaverit, posteà ex superioribus Regionibus Mundi *Asiathici* dejiciendus in terram, ibique postremò confringendus & incarcerandus per mille annos & in exitu ultimæ Tubæ in stagnum Ignis & Sulphuris in finali conflagratione cum omnibus impiis Animabus & obduratis conjiciendus. Et ut verbo dicam, septima hæc *Sephirah* locus commu-

nis erat Historiarum de rebus præclarè gestis Animæ *Messiæ* ejusque exercituum, multasque Prophetias complectebatur de eis rebus, quæ à se suisque adhuc gerendæ essent, nempe ab ipso *Messia* ejusque servis ac Prophetis Sanctisque Martyribus. Cujus Propheticæ partis *Cabbalæ Mercavæ* (quæ in manibus Angelorum à primis usque seculis custodita est, & cum antiquis Prophetis magis parcè & obscurè subinde communicata) *Apocalypsis*, quantum quidem ad tempora à Nativitate *Messiæ* in carne ad finalem Terræ conflagrationem, plenior videtur Restitutio. Estque Apotheoseos Messiæ præclarum Argumentum sicut alias moneo, hæc Apocalypsis, quam à DEO ipsi primùm revelatam, per Angelum suum servo *Johanni* missam significavit. Ad נצח *Messiæ* qui per suam mortem vim mortis subvertit referendum est illud Pauli. 1. Cor. 15. Καταπόσις ἐφάνατος εἰς νῖκος. Illudque ad נצח particularium Christianorum, Rom. 8. 37. Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσι ὑπερνικῶμεν. Atque pauca hæc raptim ac festinanter de *Sephirah Nezach* notasse sit satis. Perginus ad הוד ex quo loco communi quærendum.

Quæst. XI. Quæ Pompæ, qui Triumphi sint Regni Messiæ?

Resp. Per הוד *Sephiram*, cum proximè præcesserit נצח Victoria, palam est significari, quicquid gloriam ac Majestatem Personarum rerumque ab eis præclara virtute gestarum exprimere possit vel amplificare. Hujus verò Sephiræ הוד haud minima quidem pars videtur consistere in laudibus per Cantica Instrumentaque Musica celebrandis. Ut post egregiam illam victoriam contra *Pharaonem* & exercitum ejus in Mari rubro partam, statim *Moses* incipit cum filiis *Israël*, *Cantabo Jehovæ eò quod admodum excelluit, &c.* Mox verò *Miriam* Prophetissa soror *Aaronis* cum Tympano in manu sua, quam sequebantur omnes fœminæ cum tympanis ac fistulis respondet, *Cantate Jehovæ, eò quod admodum excelluit, equum & sessorem ejus dejecit in mare, &c.* Exod. 15. Et Apoc. 15. Reportantes victoriam ex Bestia citharas Dei in manibus habere dicuntur & cantare canticum Mosis servi DEI & Canticum Agni dicentes: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine DEUS omnipotens, justæ ac veræ sunt viæ tuæ Rex Sanctorum, &c.* Hoc quidem genus exprimendi gloriam ac magnificentiam Personarum rerumque ab eis gestarum frequenter occurrit in Apocalypsi. Estque mos omninò frequentissimus in laudibus victorum celebrandis, Cantilenis Instrumentisque Musicis uti. Unde minimè mirandum est hanc octavam Sephiram à *Pythagoreis* vocari [illegible], eoque magis, quod quum studiis Mathematicis dediti essent [illegible] observaverint octo tonos continere, quemadmodũ ex eo quod Quaternarium primum corpus constituere notaverint, quartam *Sephiram* [illegible] appellare maluerunt quàm [illegible]. Adeo usq; indulserunt isti rebus *Mathematicis*. Sed pergimus, Hymnodias verò & Instrumentorũ Musicorum concentus etiam in superioribus Mundis, *Aziluthico* & *Briathico* usurpari Chororum Angelicorum concentus in Nativitate Servatoris satis luculento argumento esse potest; quos Pastores noctu audiverunt. Et si occiso *Serpente* & exercitu ejus ad mare rubrum ductu Animæ *Messiæ*, *Israëlitæ* ad eum modum ovabant cantabantque, non est certe credibile *serpente* exercituque ejus in cœlo *Jezirathico* profligatis, cœlestes *Israëlitas* silvisse. Nec pompam Triumphalem solis hymnis & canticis illic locorum celebrari autumo, quibus aures demulceantur, sed esse spectacula quæ oculos etiam pascant. Nam Christus devictâ morte per Crucem, non resurrexit solùm, sed in conspectu discipulorum ascendit gloriosâ nube vectus in cœlum. Ubi procul dubiò innumeris Angelorum turmis ei obviàm euntibus & de victoria ejus triumphantibus receptus est in gloriam quam apud Patrem habuit antequam Mundus hic *Asiathicus* conditus esset. Ad hanc etiam *Sephiræ* partem referri potest Historia *Eliæ* qui post multos labores exantlatos pro vero cultu *Jehovæ* con-

contra populum Idololatricum visus est ab *Elisha* curru igneo Triumphali equisque igneis in cœlum subvehi. Et ne non satis magna copia turmarum Angelicarum in cœlestibus Regionibus ad instruendas maximas pompas ac Triumphos videri possit, recordemur quid acciderit puero *Elishæ* post apertos oculos. Qui ecce heic in terris totum montem vidit plenum equis & curribus igneis circa unum *Elisham*.

Sunt igitur procul dubiò, ut octavæ hujus Sephiræ הוד illustrationem tandè finiam Pompæ Triumphales Processionesve in Cœlestibus Regionibus omni pompâ terrestri sive civili, sive Religiosâ infinito splendidiores ac frequentiores, spectaculaq; impendio lætiora & mirabiliora propter magnificum paratum, ornatumque, ut taceam ipsas Personas visibiles Animarum Angelorumve tam venustè splendideque vestitas (nam personas esse visibiles quis dubitare potest formâque humanâ præditas, quum & sic esse testentur Scripturæ aliæ, præter Visionem *Ezechieliticam* ut & candidis vestibus indui) gratissima sibi invicem esse spectacula. Nec id ulla sana abnuet Philosophia. Plasticam enim, Plasticam inquam, habet unaquæque Anima sive Humana sive Angelica, essentiaque ejus in merè arida cogitatione neutiquam potest consistere, ac proinde necessariò, nisi sit in statu silentii, visibilem in aliqua Regione induit Personam, pro interna pulchritudine pulchram, venustam aut magnificam. Quibus de rebus cum satis dictum sit in *Tractatu de Animæ Immortalitate*, plura hic effundere supersedeo. Obiter hic tantum moneo. Quæ hactenus dicta sunt, ad Sephiram הוד, quatenus publicæ magnificentiæ, gloriæ ac triumphi locus est, referri. Sed & rationes privatas posse huc etiam spectare. Hinc igitur explicari potest quod occurrit. Apoc. 3. ℣. 5. *Qui vicerit amicietur vestimentis albis.* Et Ecclesiast. 8. 1. *Sapientia hominis Lucere facies faciem ejus.* Vide Enchirid. Ethic. lib. 2. Octava Sephirah הוד quæ de pompis ac triumphis Regni *Messiæ* post partas victorias quærit, satis illustrata est. Pergimus

gimus ad *Sephiram* nonam יסוד, qui locus communis est de *stabilitate* ac *durabilitate Regni Messiæ*, secundum quem igitur quærendum est.

Quæst. XII. Quæ sit stabilitas, quæque duratio fuerit & futura sit Regni Messiæ?

Resp. Et satis appositè quidem responderi potest de *stabilitate* Regni *Messiæ* ex Psalmo 45. Ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Nec certè mirum cum Thronus *Messiæ Saphirinus* sit ipsa *Divinitas*; quemadmodum suprà explicavimus. Quæque duratio fuerit perinde ac futura sit non obscurè insinuari videtur in Psalmo 72. ℣. 5. 6. 7. Ubi διαμονὴ sive permanentia Regni Messiæ tam à parte ante quam à parte post egregiè describitur à Septuaginta Interpretibus, si consensus tot Interpretum suffecerit. ℣. 5. Καὶ συμπαραμένει τῷ ἡλίῳ. Ab initio rem repetit Spiritus Prophetiæ & tanquam in principio Regni *Messiæ* se collocans, quando totum Universum aut *Soles* erant aut transparentes *vortices*, juxta Postulatum tertium, asserit Regnum *Messiæ* συμπαραμένειν τῷ ἡλίῳ, permansurum esse cum Sole suprà descripti vorticis. Καὶ πρὸ τοῦ ἡλίου ὑπάρχει ἀπαύγασμα; hoc est, & mansisse sanè antequam Luna volveretur circa Solem vorticis *Messiæ*, ut *Mercurius* jam volvitur circa *Solem* nostri vorticis. Id quod suprà diximus de Animâ *Messiæ*, eum nempe in ipso Mundo *Aziluthico* factum esse *Messiam* juxta *Postulatum* decimum tertium, antequàm ulla rudimenta Mundi *Asiathici* apparuissent Lunave circa solem vorticis *Messiatici* circumvolveretur, quem & nunc comitatur etiam *Astrum frigidum* factum. Regnum igitur *Messiæ* innuit cœpisse fere à Mundo condito, in statu illius pellucido sive diaphano ante ullius Mundi *Asiathici* jacta fundamenta; tunc ille primùm unctus est *Messias*. Exprimit autem per ἀπαύγασμα, quoniam res *Messiæ* continentur fluxu temporis, seculorumve decursu, quemadmodum innuit Visio *Ezechielis* super Fluvium *Chebar* visa, sicut suprà monui. Et versio quidem vulgaris Latina hunc versum

 sic

sic reddit: *Et permanebit cum Sole & ante Lunam*, ut Septuaginta, πρὸ τοῦ ἡλίου, tempus non situm significando. Estque nota Grammatica apud Buxtorfium פנים cum ל ab initio temporis esse. Et Textus Hebraicus habet לפני ירח. Quod ἐνώπιον τοῦ ἡλίου Græcè, vel *coram Luna* aut in *conspectu Lunæ*, Latinè transtulisse, sensus futurus fuisset admodum absurdus, insipidus ac dilutus, planèque ἀνοηταίνοιν, quasi de tempore non ageretur sed de situ, Lunæque Majestas ac conspectus augustius quid esset quam ipsius Solis. Ut nihil dicam de redundantia τοῦ hoc in sensu. Adeò ut hac in parte omnia sint sarta tecta.

Quod si cui forte durius videatur, ut *Spiritus Prophetiæ* intelligatur se in antiquissima Mundi secula retraxisse, ut præterita tanquam futura posset enunciare, reminiscendum est Propheticam hanc descriptionem durationis Regni *Salomonis*, imaginem etiam e... durationis *Regni Messiæ*, ac proinde per totam illius durationem extendi, ac propterea Spiritum Prophetiæ per rectam ac debitam analogiam prope prima illa secula se sistere voluisse, ut eodem habitu durationem Typi Regni *Messiæ* ipsiusque Regni prædicat ac describat. Atque sic perinde verum erit Regnum *Salomonis* mansisse πρὸ ἡλίου, atque duraturum fuisse μετὰ ἥλιον, neutra revera competunt *Salomoni*, sed *Messiæ*. Vide Myster. Piet. lib. 7. cap. 7. sect. 4. Si quis verò hæc subtilius dicta existimet hic scrupulus facilè eximitur reddendo ויארוך (quam lectionem procul dubio secuti sunt Septuaginta) non quidem πρὸ συμπαντὸς χρόνου, sed πρὸ συμπαντὸς τοῦ quemadmodum monuimus ad Postulatum decimum quartum. Quippe sic Psalmi versus quintus secula Regni Messiæ præterita revera indigitabit & ante Mundum Asiathicum utique conditum.

Pergit verò Propheta & describit durationem Regni Messiæ etiam postquam Mundus *Asiathicus* sit conditus, ℣. 6. Quæ planè prædictio est illius *Incarnationis* & descensus ad Astrum fri-

frigidum. Καταβήσεται, (de *Messia* loquitur) ὡς ὄμβρος ἐπὶ πόκον, καὶ ὡς σταγὼν ἐπὶ γῆν. *Descendet ut Pluvia in vellus, ut gutta stillans, in terram.* Descendet ut Pluvia in *vellus*, sic enim significat πόκος. Nec puto *vellus* ita intelligendum esse ac si *lana* esset sine *pelle*, (neque enim celebratissimum illud *vellus aureum* sic intelligitur aut depingitur) sed *pellem lanosam* innui. Quâ & ad istos χριστὸν διεμαίνοντας, apud *Græcos Cabbalistas* satis notos, *in genere*, & *speciatim* ad agninum Christi corpus, tum quoad temperamentum innocuum & immaculatum, tum quoad usum illius destinatum, cum *Agnus* futurus esset *Paschalis*, alludi possit. *Ut gutta stillans descendet in terram.* Anima nempe *Messiæ* in terrenum corpus. Et certè *Synesius* Hymno 3. Animam in corpus terrestre delapsam, ἐφημέριον λιβάδα vocat, (quemadmodum hic σταγὼν appellatur) *cælestem stillam* vel *guttam*, ἐφημέριον καὶ σῶμα, *quæ in terram sit fusa.* Hoc ille de anima sua, quod potiori jure Animæ *Messiæ* competit. In versu verò septimo, ulteriorem durationem Regni Messiæ etiam in Mundo hoc *Asiathico* & speciatim beatum *Millennium* videtur describere: Ἀνατελεῖ δὲ τοῖς ἡμέραις αὐτοῦ δικαιοσύνη. Resurrectio quasi erit Justitiæ (quæ miserè occisa erat & oppressa sub regno Bestiæ septicipitis & Pseudoprophetæ) in diebus illius, putà posterioribus, præsertim intra Tubam ultimam, in ipso utique Millennio. Textus Hebraicus habet יפרח צדיק florebit vel refloresset justus (quod eodem recidit) in diebus ejus, putà in Millennio. καὶ πλῆθος εἰρήνης ἕως οὗ ἀφανισθῇ ἡ σελήνη. *Et abundantia pacis usque dum ex adverso* (Nam Luna apud *Pythagoreos* ἀντίχθων vocatur notante *Aristotele*) *auferatur Luna.* Quod per *Hypallagen* Propheticam significat, donec nos ablati fuerimus è Regionibus his sublunaribus & in Mundum *Aziluthicum* Cœlumve *Empyreum* rursus translati, ubi Luna amplius à nobis non conspicietur tanquam ex adverso posita, sed omninò è conspectu nostro evanescet. Et propter diuturnam hanc pacem tam firmiter stabilitam & durantem per tot secula, in Regno *Messiæ* etiam hic

hîc in terris, verisimile est, nonam *Sephiram* יסוד à *Pythagoreis* dictam esse ἀστοχίαν.

Atque huc usque duratio Regni *Messiæ* propriè sic dicti, an verò illa ἀστοχία, post devictam mortem, qui ultimus hostis dicitur 1. Cor. 15. qui per Christum sive *Messiam* abolendus sit, regno *Messiæ* sit accensenda equidem subdubito. Mentio enim fit Regni Patris post Terræ conflagrationem futuri. Matt. 13. v. 42. 43. uti & cap. 26. v. 29. Ubi Christus dicit se ex fructu vitis non bibiturum usque ad diem illum quum ipsum bibat cum discipulis novum in Regno Patris sui, in Mundo putà *Azi-luthico*. Et Paulus expressim ait 1. Cor. 15. 24. Tum demum *fore finem cum Christus tradiderit Regnum DEO ac Patri*, cum omne Imperium ac Potestatem ipsamque adeo mortem aboleverit conjiciendo in stagnum Ignis atque Sulphuris. Postquàm verò Christo filio subjecta fuerint omnia tunc & ipsum Filium subjectum iri Patri, qui subjecit ei omnia ut DEUS sit omnia omnibus, qui est supremus ille omnium Pater atque Rex.

Messias verò qui Esai. 6. dicitur *Rex ille Jehovah exercituum*, prout supra notavimus, erat quasi Imperator universarum copiarum à summo omnium Rege atque Patre constitutus. Debellatis igitur omnibus hostibus, ne ipsâ Morte, nedum peccato exceptis, rebusque ad perfectâ ἀποκατάστασιν pacemve universalem firmissimam permanentissimamque reductis, Regnum sic fide suâ ac fortitudine pacificatum, post ineffabilem Pompam ac Triumphum in summis Cœlis post universalem Resurrectionem, Terra adhuc conflagrante, celebratum, (quod ad *Sephiram* רוח referri debet) quasi officio Imperatorio jam defunctus, Regnum, inquam, tradet Patri in *æterna Pace* stabilitum. Quod igitur referri debet ad יסוד (ad quam hîc etiam ἀποκατάστασιν *Pythagoreorum* fortean extendi potest.) Nec Regnum *Christi* sive *Messiæ* hic tam finiri videri quam consummari ac perfici, ex eo nempe quod Regnum evaserit supremi omnium Regis atque Patris DEI. Quemadmodum loquitur Apostolus.

Atque

Atque sic novem primis *Sephiroth* peragratis ad decimam rursus devenimus, quasi facto circulo, scilicet ad *Sephiram Malchuth*, hoc est, ad *Regnum* DEI Israëlis seu *Messiæ Spirituale*. Quod quatenus Subjectum universale est totius Visionis *Ezechieliticæ* sive *Mercavæ*, rectè ad illud collineavit prima Quæstio. Cum verò plenior hujus Regni cognitio prius obtineri nequeat, quàm satisfactum sit eis quæstionibus quæ referuntur ad reliquas novem, *Sephirah Malchuth* meritò ac naturali sanè Methodo *Synthetica* ultimum in *Tabula Cabbalistica* locum occupat, quemadmodum in principio monuimus.

Interea loci, per brevem hunc *Catechismum Mercavæum* sive *Ezechieliticum* satis eluxit genuinus usus decem communium Nominum *Sephirotharum*, satisque constat decem *Sephiroth* tantum esse decem capsulas sive Repositoria ubi maxima *Mercavæ* Mysteria recondantur, indeque prout res tulerit, depromantur, quippe quæ inventa sint ad memoriæ subsidium vel adminiculum in conservanda tradendaque Cabbala *Mercavæ*, eâ fere ratione quæ ex brevi hoc nostro *Catechismo Cabbalistico* innotescit.

Nam propositâ semel Quæstione de subjecto Visionis *Ezechieliticæ* occurrit *Malchuth*. Ex ipso verò *Responso*, quod ad *Malchuth* pertinet, & ad notitiam Trinitatis personarum sive פרצופים in Divinitate deducit, occurrunt tres primæ *Sephiroth*, *Kether*, *Chochmah*, & רוח הקודש πνεῦμα ἅγιον, quæ aliàs dicitur *Binah*, sensu magis Philosophico, & quo *Platonici* ψυχὴν hanc Hypostasin vocant Mundique conditricem faciunt. Quas tres Personas in Visione *Ezechielis* satis subindicari supra notatum est. Proposita verò quæstione de Amplitudine Regni *Messiæ* occurrit *Gedulah*, quâ quatuor Mundi Rotæque quatuor, Animarumque גלגול continetur. De viribus verò virtutibusque *Gebburah*. Ubi Dona ac virtutes רוח הקודש τὸ πνεῦμα τοῦ ἁγίου, in Rotis, explicantur. De ordine Politico ac *Militari*, quod supra additum oportebat, cum *Messias* Princeps sit idemque *Je-*

hovah Zebaoth. Esai. 6. (quæ eadem fere visio est cum hac Ezechielis) & Jos. 6. *Princeps militiæ Jehovæ* dicatur & perquàm magnificè describatur in Epinikio *Deboræ* & *Barac*, sub nomine *Jehovæ Dei* Israelis. Jud. c. 5. v. 4. 5. Quæstione, inquam, factâ de ordine Politico ac *Militari* occurrit *Tiphereth.* Et certè quodammodo eminet *militaris.* Cujus Princeps est Anima *Messiæ* cum *Chochmah* seu *æterno Logo* conjuncta. Unde rectè dicitur *Jehovah Zebaoth* & *Princeps militiæ Jehovæ* Patris. Et ipse certè, in Clavi tua sublimioris *Cabbalæ* inter nomina secundæ *Sephiræ*, non solum *Jesch, Ens, Essentia* sed & *Verbum* & *Bellum* & *Judicium* & *Amen* numeras. Quod optimè quidem convenit cum Visione illa Apoc. 19. Ubi *Verbum*, i.e. *Logos*, insigni ordine militari incedens introducitur. *Deinde vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui insidebat ei vocabatur fidelis & verax.* En tibi tuum *Amen*, & *qui justè judicat & pugnat.* En *bellum* & *Judicium*, & ℣. 13. *Vocaturque Nomen ejus* ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *En verbum. Exercitus autem qui sunt in cœlo sequebantur eum equis albis, &c.* En *Tiphereth*, i.e. *Ordinem militarem.* De prælijs igitur ac victoriis congruenter propositâ Quæstione, occurrit *Nezach*, victoria. Quæ subindicatur in Visione *Ezechielitica* per cursum pervicacem Animalium ac Rotarum, quæ dicuntur nunquam reverti, hoc est, *nulla vi reprimi posse.* Unde innuitur tandem ex sua parte staturam esse victoriam. De Pompâ ac Triumpho post partam victoriam occurrit *Hod.* Et certe tota *Mercava* videtur currus *Messiæ* triumphalis, ut nihil dicam de fulgurationibus, quæ tot esse possunt post partas victorias, triumphalis gloriæ rutilationes. De durabilitate & stabilitate Regni occurrit *Jesod.* Quæ Sephirah ad Thronum *Saphirinum* refertur. Notitia verò ☵ Malchuth ex his omnibus elucescit.

Vides tandem, dilectissime N. qualem, Christo cœptis nostris aspirante, eruerimus *Mercavæ* Explicationem. Talem profectò, quæ, ut *Judæis* grata esse debet, utpote quæ ex Principiis

cipiis ipsorum *Cabbalisticis* magna ex parte conflata est, ita spero, quod nec ingrata futura sit *Christianis*, sed utrisque potiùs gratissima. Quippe quæ gloriam Majestatemque *Messiæ*, etiam quantum ad humanam illius naturam, tam eximiè illustrat. Nec tamen interim ex ullis istiusmodi dogmatis concinnata est, quæ antiquæ, Catholicæ vereque Apostolicæ Fidei repugnent, sed quæ interim obscurissima aliquot Sacræ Scripturæ loca mirificè claritate explanent.

Et certè quod *Judæos* attinet, immensa profecto *Israëlitici* populi gloriæ censenda est accessio, quod *Messias* non solùm ex eorum stirpe oriundus esset, sed à primis usque temporibus factus sit Gentis eorum quasi *Angelus custos*, conversatus sit cum antiquis *Patriarchis*, *Serpentem* occiderit in *Mari rubro*, populumque per desertum deduxerit in *Terram Promissionis*, & ut verbo dicam, cum Anima *Messiæ* à primis usque seculis cum *Chochmah* sive *æterno Logo* unita esset, Filius DEI maximè eximio sensu sic factus verusque *Jehovah* sive DEUS, quòd peculiaris tamen populi Israëlitici DEUS constitutus esset, juxta illud quod occurrit Deut. 32, 8. *Cum possessionem distribueret Excelsus gentibus, cum dispararet filios* ADAMI, *statuit terminos populorum* καὶ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. (sic Septuaginta.) *Pars verò Jehovæ populus ejus* (populus nempe *Israëliticus*) *Jacob funiculus Possessionis ejus*, i.e. Cum Excelsus, supremus ille omnium Pater atque Rex cæteris gentibus Angelos Præsides præfecerit, populo tamen *Israëlitico* suum proprium præfecit *Jehovam* Filium. Quo quidem Privilegio quodnam esse potest majus aut augustius? Quisve Amor & Condescensio magis stupenda, quàm ut hæc *Chochmah* quam & *Barucus* viam Scientiæ vocat (uti & ipse Christus se viam, veritatem ac vitam appellat) ut hæc *Chochmah* cum Anima *Messiæ* ἐνανθρωπήσασα, carnem tandem de Gente *Judaica* sumeret, ut adhuc familiariùs cum suis versari posset, juxta Vaticinium *Baruchi.*

Quod nos Christiani, in *JEsu Christo*, quem ut DEUM verumque

rumque *Messiam* colimus, ante annos plus mille sexcentos, impletum affirmatissimè contendimus. Ipseque certè argumentis inexpugnabilibus, in *Mysterio Pietatis*, lib. 7. hunc Jesum eum ipsum esse luculentè demonstravi. Quibus spero, aut similibus argumentis motos tandem fore *Judæos* ut recognoscant horrendum Patrum suorum errorem adeoque suum, dum in eadem infidelitate persistunt (qui Gentis suæ antiquum Tutorem ac Patronum Angelumve Custodem peculiaremque DEUM apud ipsos incarnatum suosque in carne invisentem, turpiter injusteque crucifixerunt, clavis manus pedesque ligno affigentes) & ingenuo pudore ob tam horrendum facinus confusos, sinceram de infidelitate pœnitentiam acturos, oculisque Fidei apud ipsos apertis, visuros eum quem crucifixerunt, illudque demum in eis impletum iri quod prædixit *Zacharias* Propheta. *Effundam super domum Davidis & super habitatores Hierosolymæ spiritum gratiæ & deprecationum, respicientque ad me* (antiquum suum Tutorem ac Servatorem DEUM) *quem crucifixerunt, plangentque super hoc tanquam planctu de Unigenito & amarè plangent de eo ut amarè quis plangit de primogenito. Die illo magnus erit planctus Hierosolymis, ut planctus Hadadrimmon in convalle Megiddon.* Tam plenè sincerèque illis temporibus *Judæos* pœnitebit de tam indignis modis apud ipsos tractato proprio *Israëlis* Custode ac Servatore DEO. Quæ tempora ut DEUS dignetur accelerare, eorumque studiis favere, quæ huc aspirant, tuisque præ cæteris, qui tantopere huic negotio insudasti, & etiamnum insudas, animitùs precatur

Dat. Ragleiæ, Jul. 16.
A. D. 1675.

Tibi addictissimus

HENR. MORES.

FUNDAMENTA PHILOSOPHIÆ

Sive

CABBALÆ AËTO-PÆDO-MELISSÆÆ,

Quæ omnem Creationem propriè dictam negat, Essentiamque supponit Divinam quasi Corporeo-Spiritualem, Mundumq; Materialem aliquo modo Spiritum.

Cum brevi ac luculenta prædictorum FUNDAMENTORUM Confutatione.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

Fundamentum 1.

EX nihilo nihil posse creari.

2. Ac proinde nec Materiam creari posse.

3. Nec ob vilitatem naturæ suæ à se existere. Cujus Consectarium, aut Fundamentum potius sit, Nullam rem vilem à se existere posse.

4. Nullam igitur Materiam esse in rerum natura.

5. Quicquid verò est, Spiritum esse.

6. Spiritum autem hunc increatum esse, & æternum intellectualem, sensibilem, vitalem, per se moventem, infinitum amplitudine & à se necessariò existentem.

7. Ac proinde Spiritum hunc revera esse Essentiam Divinam.

8. Nec ullam Essentiam præter Divinam à se existere posse.

9. Cum verò nulla omnino sit essentia præter hanc in re-

rerum Universitate per Axiom. 1. 2. 3. 8. & manifestum sit aliquam ex Essentia hac unica, actu dividi, palam esse, Essentiam Divinam dividi posse.

10. Cum verò Essentia Divina sit, singulas particulas infinitas esse, & in orbes infinitæ virtutis & amplitudinis posse extendi expandive.

11. Et verò cum singulæ arenulæ, lapidumve granula particulæque Aëris, Ætheris, &c. sint partes hujus Divinæ Essentiæ, æquè manifestum esse, quod in minutissimas has partes possint contrahi & constringi.

12. Ex contractis his partibus constare Mundum, qui vocatur, *Materialem*, cum reverà adhuc *Spiritualis* sit, constans utiq; ex divisis Spiritibus, particulisve Divinæ Essentiæ, in *Monadas Punctave Physica* contractis & constipatis.

13. Contractionem hanc esse *statum Somni* seu Soporis, Divinis his particulis, Expansionem verò *statum Evigilationis*.

14. *Evigilationis* verò gradus esse vario, videlicet in Vitâ *Vegetativam, Sensitivam, Rationalem*, & in *Neschamam, Chajah*, & *Jachidah*; immò tandem *Evigilationem* fieri & expansionem in infinitum ferè amplitudinis & virtutis Orbem, adeò ut hæc Divina particula Spiritusve particularis Mundum sibi fabricare possit ex terra, aqua, aëre, cœlo, cæterisque partibus consistentem.

15. Ac proinde particularem hunc Spiritum è pulvisculo putà marmoris fieri posse Plantam, è Planta brutum, è bruto Hominem, ex Homine Angelum, ex Angelo denique novæ Terræ, Cœlique Creatorem DEUM.

16. Idemq; dici posse de singulis Divinæ Essentiæ particulis, quas necesse est aut actu separatas esse aut separabiles, nempe omnes aut esse, aut esse posse Deos Terrarum Cœlorumq; Creatores. Quod id ipsum est quod Puer per insomnium mox in Scholiis narrandum innuebat, à me rogatus an unum Deum crederet. Qui subridens respondebat se plures credere esse Deos alios ab aliis seorsim distinctos.

Præ-

Prædictorum Fundamentorum Confutatio,

Ad Axioma sive Fundamentum primum

Responsio.

1.

Quamvis quibusdam quidem nihil durius aut absurdius videatur quam Creatio alicujus substantiæ ex nihilo, considerandum tamen esse, an quicquam magis absurdum esse possit, quàm primi hujus Axiomatis Consectaria; Nam ex hoc fonte virtute Axiomatis tertii hæc immanissima absurda profluunt. 1. Divinam Essentiam in partes posse dividi sive discerpi. Quod est Axioma nonum. 2. Divinas particulas Monadasve Divinas quanquam in infinitum extensibiles in punctum tamen Physicum posse contrahi vel constringi. Quod est Axioma undecimum. 3. Pulvisculum marmoris evadere posse, in Terræ Cœlique Creatorem DEUM, quod est Axioma decimum quintum. 4. Denique plures esse DEOS æternos, increatos, alios ab aliis separatos, terrarum cœlorumque Creatores, quod est Axioma decimum sextum. An non horum singula multo absurdiora sunt, quàm ut Ens summè perfectum, quale verus est DEUS, aliquam substantiam creet ex nihilo, hoc est, faciat ut aliqua substantia existat, quæ ante non extiterat. Quandoquidem Ens perfectum omnia possit quæ nullam implicant Contradictionem.

2. Facilius intelligi posse aliquid ex nihilo creari per Ens summè perfectum quàm Ens imperfectum à se posse existere per Consectarium Axiomatis tertii, & per Axioma octavum. In Ente enim imperfecto (si humanæ mentis facultates consulamus) nulla est causa cur à se existat, in Ente verò summè perfecto est causa, cur & à seipso existat, & substantias alias, quæ ante non extiterant existere faciat, utpote quod omnia potest, quæ

quæ non implicant contradictionem, uti dixi. Ut verò quid, quod jam omnino non existit, postea existat, nullam implicat contradictionem. Ut omnes norunt qui Logicam vel primoribus labiis attigerint. Vide Enchirid. Metaphys. c. 2. sect. 6. & c. 5. sect. 1. 2.

Ad Axioma Secundum.

UNde manifestum est, Materiam creari posse, quanquam non possit à seipsa existere, nec necesse esse ut quicquid est, sit Spiritus, contra Axioma quintum.

Ad Axioma Septimum.

VIdetur sanè Spiritus hic Divina Essentia ex ipsius descriptione Axiomate sexto contenta. At verò si consideremus alias illius conditiones, quod discerpi possit in partes per Axioma nonum. In statum soporis sive stuporis redigi, & in punctum Physicum hoc stupore constringi per Axioma duodecimum & decimum tertium, manifestum est talem non posse esse Divinam Essentiam. Divina enim Essentia rationem in se debet continere suæ existentiæ, quod non possit non esse à se: Quæ proprietas soli Enti summè perfecto competit. Hunc verò Spiritum Ens esse imperfectum palam est, quod præ stupore in puncta Physica possit constringi. Quid autem vilius est puncto Physico stupore constricto, omnique vita sensuque destituto? Spiritus igitur hic non potest esse Ens à se existens per Consectarium Axiomatis tertii, ac propterea nec esse Divina Essentia per Axioma octavum. Cum à se existere Divinæ Essentiæ sit proprietas.

Quibus addas aliam Essentiam demonstrari posse necessariò à se existentem à Spiritu hoc mobili ac mutabili distinctam. Quæ verus Cabbalistarum מקום est, verusque adeò DEUS. Quod iterum ostendit Spiritum hunc non esse Divinam Essentiam, sed merum Figmentum, מקום verò verum esse DEUM ex eo patet, quod à se necessariò existat. Quod nulli rei competit

petit præterquam Essentiæ Divinæ per Axioma octavum. Cum igitur, inquam, מקום sit DEUS Spiritus hic non potest esse DEUS.

Ad Axioma Decimum & Undecimum.

PLurima hinc emergunt Absurda. 1. Divinas has Monadas in infinitum extensas tot esse DEOS, cum à se invicem realiter sint separabiles, ac proinde infinitum esse DEORUM numerum. 2. Monades hæ Divinæ cum singulæ infinitæ sint amplitudinis, mirum videri in puncta Physica posse constringi, nec Antitypas ante fieri atque duras, cum tandem sic fiant, alioqui se invicem penetrarent. 3. Cum singulæ Monades infinitæ sint extensionis, fore, quando omnes in statu extensionis sive Evigilationis sunt, ut tota Divinæ Essentiæ Universitas dura fiat sive Antitypa, propter Essentiæ spissitudinem, quæ æqualis est spissitudini singularum Monadum contractarum. 4. Necessariò fieri, ut ingens pars Divinarum Monadum sigillatim contrahantur, ut reliquæ à spissitudine hac liberentur. Quæ igitur immanis quædam ac necessaria imperfectio est hujus Divinæ Essentiæ.

Ad Axioma Duodecimum.

DOctrinam Præexistentiæ Animarum hac Hypothesi deturpari & conspurcari, dum supponuntur Animæ ortum ducere è Mundo Materiali, lapidesque aut stercus ante fuisse quam Animæ essent humana corpora organizantes, rursusque in lapides ac stercus, ni sibi rectè caveant, mutari posse.

Ad Axioma Decimum tertium.

CUm omnis Materia congeries sit Animarum consopitarum, considerandum esse, quantos dolores ipsis creaturæ sint Asciæ, Serræ, Limæ, &c. Partem verò DEI in hunc stuporem & dolorem delabi posse, quàm ridiculum aut horridum!

Ad Axioma Decimum quartum.

DEUM fieri Lapidem, Stercus, Pediculum, Bufonem, Diabolum, &c. immane quantùm absonum esse, neminem non videre.

Ad Axioma Decimum quintum.

ET ex his rursus novarum terrarum, cœlorumque Creatorem. Quod tamen fieri non potest, nisi immensa ferè moles Divinarum Monadum sint in statu soporis sive stuporis. Unde sequitur nullum unum DEUM esse qui suâ solius virtute creare potest Cœlum atque terram reliquasque Mundi partes.

Ad Axioma Ultimum.

POlytheismum hunc Atheismum plane inferre, cum unusquisque DEUS singularis infinito imperfectior sit cunctis simul quippe qui sunt numero infiniti, quemadmodum suprà notavi ad Axioma Decimum & Undecimum. Verus autem DEUS nulla perfectione destitui potest, nedum infinitâ.

Et quantum ad Polytheismum, si quis responderet, unius Mundi unicum esse DEUM, ex prædictis tamen constat DEUM istum unum nullum esse propter infinitam suam Imperfectionem; Nec vel unum Mundum condi sine infinito ferè Divinæ Essentiæ dispendio, cum infinitus ferè numerus Monadum Divinarum stupore contractarum ad unum Mundum condendum requiratur.

SCHOLIA.

UT plenius intelligatur natura hujus Cabbalæ Aëto-Pædo-Melissææ ejusque confutatio, primò occasionem narrabo Tituli ipsius Cabbalæ, deinde pauca de duplici Philosophandi ratione subjungam. Anno Domini 1675. circa finem mensis Aprilis, sub lucis ortum, tempus veris insomniis opportunissimum, mirabile hoc mihi contigit Insomnium. Videbar mihi in inferiori quodam esse Conclavi satis amplo in quo fenestra erat

erat ad Orientem. Spectanti verò mihi illam versus, videbatur Avis quædam grandis ad aliquam distantiam, volare versus fenestram, magnitudine ac figurâ Aquilæ, postquàm verò ad fenestram propius accessisset, paulo minor videbatur, & meditari introitum. Quod cum observassem, fenestram aperui, per quam statim volavit in conclave, & ne rursus evolaret subitò fenestram clausi. Magno enim studio tenebar capiendi eam. Et feci sanè facili negotio, cum illa capi perinde gestire videretur atque ego eam capere. Seque adeò cicurem & familiarem præstitit ut ultrò manui insideret instar Accipitris. Ad quem modum mihi videbar sedere cum ea sub arbore, conclavi subitò in apertum hortum mutato. Videbatur autem admodum levis pugno insidens, cumque dorsum alasque manu altera demulcerem corpusque palpando curiosius contrectarem, nullum fere corpus partesve musculosas habere videbatur, sed ossa tantum arida, pennasque ac plumas colore accipitrem, Aquilamve referentes, Rostrum verò nec accipitrem referebat nec Aquilam, quippe quod planum omnino erat, multo quidem planius quam rostrum Anatis, sed in angulum desinens, nec rectum, nec obtusum, nec valde quidem acutum. Hoc verò rostro, ad quod obstupui, loqui incepit, adeo ut statim suspicarer, Avem non esse, sed Genium aliquem, vel Spiritum, & allocutus amicum quendam, qui adesse videbatur, jussi, excutere se & evigilare, ut certus fit nos somno non teneri, nec illud; insomniis. Ille verò, quæ est illius prudentia ac cautela, quasi Spiritum autumans, videbatur se subducere: cæterum simul atque abiisset; Avis hæc statim conversa est in puerum pusillâ staturâ, capillitium habentem in floccos cæruleos albosque distinctum haud absimile verriculo (quo areas conclavium tabulatasaquâ madefacto verrere ac emundare solent) ex istiusmodi floccis discoloribus concinnato. Erant autem colores capillitii, ut in istiusmodi verriculis, sordibus quasi obfuscati & conspurcati, tunicamque gestabat eisdem coloribus, sed sordis

dis pariter & obfuscatis. Puer verò atque Ego colloquium continuavimus. Cujus, partis quidem prioris nihil omnino memini. Perfectè verò memini me rogasse, unde veniret, eumque respondisse à Sione. Sed pergens in sermocinatione, certusque, ut videbatur, me cum Spiritu Geniove aliquo loqui, nesciusque, bonusne esset Spiritus an malus, statim decrevi puerum quæstione una & altera explorare. Rogabam igitur, crederetne in JEsum Christum, ille respondebat, Non. Unde rursus statim rogabam, unum ne crederet DEUM: Ad quod subridenti vultu respondebat, se multos credere DEOS esse (One by One) sic ille Anglicè respondebat) *alios ab aliis separatos*, vel *alios aliis succedentes*. Ad quod dictum vehementi indignatione commotus, jussi facessere Satanam, crebrisque calcitrationibus puerum impetivi. Quod fecit ut statim se in Apem converteret, segniterque volaret, bombilans circa medias tibias, nec in hanc formam conversum strenuis etiam calcitrationibus imperere destiti, sed in medio hoc animi æstu ac tumultu è somno excitatus sum, haud parum demirans, unde mihi acciderit tale insomnium. Neque enim in memoriam revocare poteram quicquam, quod occasionem daret istiusmodi Insomnio. Ac proinde suspicans nihil triviale ei subesse, nec casu sed providentiâ mihi contigisse; cumque ὀνειρομαντεία, (ut loquitur Aristoteles) non esset, sed ὀνεῖρος ἀνωμαλίαν, serio apud me ipsum meditabar cujusnam tandem rei Hieroglyphicum esset. Quamobrem, cum hoc Insomnium eo tempore mihi accideret, quo in legendis MSS. quibusdam Cabbalisticis maximopere versabar, ut in Emek Hammeleech, sive Valle Regia aliisque, suspicari quidem incepi eò visionem sive Insomnium spectare posse, & Repræsentationem esse Cabbalæ cujuspiam Judaicæ, cujus Fundamenta in tam horridam delirationem tandem desinerent. Quod præcipue me ad istam Interpretationem movebat, hoc est, nempe quod Puer rogatus unde venerit, responderet, se venisse à *Sione*. Quod verò primum in forma

forma *Aquilina* apparuerit, sublimem aliquam speculationem *Judaicam* esse significabat, quam igitur *Cabbalam* esse conjectabam. Quodque *Aquila* per Fenestram *Orientalem* intraret in Conclave, *Orientalem* esse *Philosophiam*, qualis est *Cabbala Judaica*. Quod verò *Aquila* major appareret à longinquo, quàm cum propinqua esset tandemque ab *Aquila* in *Apem* abiret, prope humum bombilantem, satis apertè innuebat *Judaicam Cabbalam* multo majora ac sublimiora primo aspectu promittere, quam reverà præstat in exitu. Quò spectare etiam videtur color plumarum Avis *Aquilinus*, & pennæ ossaque *arida* omni carne musculosâ destituta. Sed meminisse etiam oportet, quamvis musculosa caro defluxerit, manere tamen ossa quantumvis arida, nec veterem *Cabbalam Judaicam* funditus periisse. Duosque illos colores Capillitii ac Tunicæ Pueri, *candidum* ac *cæruleum*, Divinos quasi esse ac cœlestes, quamvis, heu, nimium quantum sordidatos ac obfuscatos, ut madidum verriculum è floccis concinnatum, sordidæque areæ affrictum. Et certè Cabbalistica illa Theoremata, de *Divina Nemesi*, Animarumque *præexistentia*, satis olim pura ac sublimia, ut nunc quidem sunt pulverem cœnumque verrunt. Et ut, nec rostrum Avis omittam, quo loquebatur, planum quidem, sed nec in rectum, nec obtusum, nec in valde acutum desinens angulum, quid profectò significet nescio, nisi quod, *Cabbala* hæc, quanquam loquelâ & argutiâ quadam non caret, caret tamen *rectitudine* ac *firmitate*. Neque enim fingi potest rostrum magis infirmâ ac ineptâ figurâ, quàm quod hæc avis habere videbatur. Quod verò Puer subridens dixit, se plures credere esse DEOS alios ab aliis separatos confidentiam innuit istiusmodi Cabbalistarum, qui tam crassè philosophantur, aliorumque ex hac confidentia contemptum. Ita enim usu venire solet ut quanto cujusque conceptus crassiores sunt, & Imaginationi corporeæ magis innixi, tanto vehementius animum moveant, fortiusque captivent Assensum. Interea loci ex hisce indiciis

 quan-

quanquam ordine satis tumultuario notatis, credo satis patere, *Cabbalæ Judaicæ* genus saltem aliquod & subindicari per hoc Insomnium & perstringi, quod fit tum per Symbola illa magis ænigmatica, tum per apertam illam & execrandam doctrinam de pluribus Diis. Cui pessimæ Conclusioni haud ita arduum erat, consentanea adinvenire Fundamenta, quæ supra recitavimus. Et certè talem esse apud *Judæos Cabbalam* ex istiusmodi *Fundamentis* consistentem posteà certò intellexi, tum consulendo amicum quendam rerum *Judaicarum* satis gnarum, qui libere & ingenuè fassus est, hanc unam esse Philosophandi methodum apud Cabbalistas, ex negatione Creationis propriè dictæ, ulliusque rei existentiæ à se ipsa, præter Divinam Essentiam, ex quibus necessario profluit absurda illa DEORUM plurium opinio; tum notando loca non pauca in *Emek Hammelech*, quæ planè innuunt ex DEO omnia fieri tanquam ex causa eorum *materiali*, perinde ac tanquam à Causa *Efficienti*. Ex quibus omnibus satis innotescit, cur Philosophia suprà à me descripta, & *Cabbala* appellanda sit, utpote quæ *Judaica Philosophiæ* genus quoddam est, & *Aeto-pado-melissæa*, nempe propter Insomnium hoc de *Aquila*, *Puero* ac *Ape*, quibus illius natura & detecta est & perstricta. Atque hæc de ratione Tituli hujus *Cabbalæ*. Ut natura autem illius accuratius intelligatur, pauca de duplici Philosophandi via subnectemus, ut quà tandem institerit hæc Cabbala *Aeto-pado-melissæa*, clarius deprehendamus.

Ut breviter igitur dicam. Duplex illa Philosophandi ratio hæc est. Una quidem ex *sensu quodam* ac *sagacitate Intellectuali*, altera verò ex *crassa Imaginatione*, *sensuque corporeo*. Philosophatio verò ex his duobus Principiis, nihil aliud est nisi quædam circa deducendas ex utrolibet conclusiones communis Rationis Exercitatio. Ad priorem fontem referendæ sunt omnes *innatæ* Intellectus humani *Ideæ*, notionesve rerum accuratæ, quales nullus externus sensus percipere potest, ut triangulí

guli, circuli, Tetrahedri, Entis summè perfecti & similium. Etiam Axiomata *Noematicè* sive *immediatè* vera, *Logica*, *Ethica*, *Mathematica*, ut quod alicui rei convenit quatenus talis, id nequaquam convenire potest suo contrario: Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Quæ æqualia sunt uni tertio, æqualia sunt inter se. Quam veritatem non solum in quantitate corporea, sed in omnibus omnino rebus Mentis humanæ sagacitas intellectualis primo intuitu deprehendit. Item, Quicquid est, finitum est aut infinitum. Necesse est aut Materiam æternam esse, aut æternum esse DEUM. Hæc mens humana certò percipit vera esse, suâ solius innixa sagacitate, non beneficio Imaginationis corporeæ, sensuumve externorum, qui nec *æternitatem*, nec *necessitatem*, nec *Infinitatem* possunt percipere, nec *notionem* denique *DEI*. Hisce etiam accensenda sunt duo præclara illa Axiomata, Ens summè & absolutè perfectum tale esse cui omnis omnino perfectio aut formaliter aut effectivè insit. Et, Extensum quoddam immobile dari, à mobili materia distinctum. Huc sensus Intellectualis necessariò penetrat, Sensus externus non item, nec corporea Imaginatio. Hæc & infinita fere hoc genus alia sunt insita humanæ mentis supellex, non ab externis sensibus mutuata, haustave, sed ipsi mentis humanæ Essentiæ intexta. Vide Antidot. adversus Atheismum. lib. 1. cap. 5. 6. & 7.

Ad alterum fontem reducenda sunt ista. Substantiam & corpus æquè latè patere. Omne extensum esse corporeum (cum suo consectario, Spiritus nusquam esse.) Nihil fieri posse nisi ex præjacenti materia, vel quod idem est, Nihil posse creari. Omne corpus motum ab alio corpore moveri. Omnia Mundi Phænomena rationibus purè Mechanicis posse explicari. Cohærentiam corporum, atomorum hamatarum unione contineri, & id genus alia ferè infinita præsertim apud *Democriti* & *Epicuri* Sectatores, apud *Lucretium* præ cæteris, quem cum admodum adolescens evolverem, putabam profectò subinde

inde me Satyrum quempiam Simiumve senem è sylvis Philosophantem audire, adeo omnia ex solo sensu externo crassaque Imaginatione deducebantur. Quod genus Philosophos innumeros è lustris locisque desertis credibile est jam dudum confluxuros fuisse, si DEUS ac Natura brutis Animalibus loquendi, scribendique facultatem concessissent. Ipsa enim facile potuissent prolixas crassarum Imaginationum concatenationes sive carmine, sive soluta oratione ornatè & copiosè deducere & enarrare. Hoc verò propriè philosophari non est, sed materialia ἀλόβωνα καὶ ἀμυθόρμητα inani operâ recensere.

Ex hisce paucis satis spero intelligi, quodnam sit inter has duas philosophandi Methodos discrimen, quas cum simplices esse planè constet, si quis ex utroque fonte rationes suas contexat, mixtum quoddam genus fore, minime difficile est statuere. Ex quo genere *Cabbalam* hanc *Aeto-pado-melissam* esse jam breviter subindicabimus. Primum enim Fundamentum: *Ex nihilo nil posse creari* è secunda philosophandi ratione haustum esse manifestissimum est, nempe ex *Imaginatione crassa, sensuque corporeo.* Quippe, quod cum Anima Artifices omnes, ipsamque adeo Naturam sua omnia opera semper ex aliqua præjacenti materia efficere observaverit, hisce, sensuum externorum corporeæque Imaginationis præjudiciis prægravata nihil nisi ex aliqua præjacenti materia fieri posse confidenter apud seipsam concludit, vel quod idem est. *Ex nihilo nil posse creari.* Quasi verò nihil fieri possit, nisi quod externus sensus factum deprehenderit crassave Imaginatio, quæ externorum sensuum filia est, possit concipere. Supposito verò hoc primo principio, rectè philosophatur, hoc est, ratione suâ utitur hæc Philosophia *Aeto-pado-melissa* in secundo, quod necessarium est primi Fundamenti consectarium. Tertium verò Fundamentum firmissimum est & è priora philosophandi methodo petitum, nempe *Materiam ob vilitatem naturæ suæ à se existere non posse.* Hoc externus sensus corporeave Imaginatio non dictat, sed sensus intellectualis, innataque ipsius Mentis sagacitas, inter cujus notiones communes axiomatave *Noëmatica* sive *immediatè* vera, supra numeratum est: *Quod alicui rei convenit, quatenus talis, id nequaquam convenire potest suo contrario.* Quam ob rem, cum manifestum sit, à se existere, Enti summè perfecto competere, quatenus tale, æquè profectò manifestum est, Enti cuilibet vili ac imperfecto, (qualis est præ cæteris omnibus Materia,) idem competere non posse, ac proinde materiam à se non posse existere. Quod est, quod dixi, Fundamentum tertium. Unde porro patet, Cabbalam hanc *Aeto-pado-melissam*, nec à primo Fonte, nec à secundo ortam esse, sed Philosophiæ genus quoddam esse ex utroque genere mixtum.

Jam verò suppositis duobus illis heterogeneis Fundamentis, primo nempe & tertio, recta est illa in quarto quintoque Philosophatio, communisve Rationis deductio, nempe *nullam esse in rerum Universitate materiam*, sed *quicquid est, Spiritum esse.* Item in sexto, septimo & octavo. Quæ planè innuunt Spiritum hunc revera esse DEUM, vel Divinam Essentiam, nullamque esse Essentiam in rerum Natura præter ipsam, juxta dictum illud Paganicum:

Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.

Quæ noni explicata est satisque firma Philosophatio ex Axiom. 1. 2. 3. 8. ut & de Divisibilitate Divinæ essentiæ, externorum sensuum adminiculo. Quorum usus ac testimonium in hujusmodi causis solidum est ac legitimum, nempe, an id quod videmus tangimusque in partes dividatur, nec ne. Hoc enim sensus externus rectè circumstantiatus, certò ac fideliter deprehendit. Immane hoc absurdum ex male positis Principiis, fidem facientibus *de facto* externis sensibus, necessariò infert communis Ratio. Nec temerè ex hac Divinæ Essentiæ Divisibilitate in Fundamento decimo concluditur: Singulas particulas in quas solvi potest Divina Essentia, si in ullas particulas

 possit

possit solvi, infinitæ esse virtutis & amplitudinis, quoniam nisi hoc esset, sed finitæ essent amplitudinis & virtutis, singulis illis particulis infinita deesset perfectio, ac proinde Entia essent modis infinitis imperfecta, nec magis à se existere possent quàm *Monades materiales*, per Fundamentum tertium. Tam firmiter, positis supra dictis principiis, immanissima hæc absurditas concluditur, & majores adhuc inde absurditates concluduntur, in reliquis Fundamentis, donec res tandem eò erumpat, ut plures concludatur esse DEOS, terrarum cœlorumque Creatores. Videmus igitur quàm plena periculi res sit, contra illa *Mosaica* præcepta peccare. *Ne conserito vineam tuam duobus generibus, & Ne arato Bove & Asino simul.* Nam ex conjunctione duorũ illorum malè cohærentium Principiorum: *Ex nihilo nil posse creari, & Materiam propter vilitatem naturæ suæ à se non posse existere*, (quorum alterum ex *sensu corporeo crassaque Imaginatione*, alterum ex *intellectuali sensu* ac *sagacitate* originem ducit) omnes istæ stupendæ absurditates necessariò profluxerunt. Quamobrem manifesto cogimur alterutrum ablegare, ut monstra illa Philosophiæ evitemus. Posterius verò ablegare minime fas est, cùm insitis illis & inviolabilibus humanæ mentis notionibus adeo sit consentaneum. Materia enim cum adeò vilis recula sit, impossibile plane est, ut, à se existere ipsi competat, quippe cum id Enti perfectissimo quatenus tale, competere necessariò intelligatur. Quod autem Enti alicui quatenus tale convenit, illud nequaquam convenire potest suo contrario. Prius igitur illud amandari oportet (utpote quod *corporeo* tantum *sensui crassaque imaginationi* innititur) nempe, *Ex nihilo nil posse creari.* Illud enim intimæ intellectualis Animæ naturæ nequaquam insitum est, sed *externæ* tantum illius *crustæ* sive *Larvæ*, quam amoveri oportet & avelli ut veris animi oculis res contemplemur, rectèque sic philosophemur. Et ob hoc, inquam, primum hoc Fundamentum rejiciendum est, tum quod *externis* tantum *sensuum impressio-*

pressionibus, corporeæque Imaginationi omnem suam probabilitatem acceptam referat, quæ nullum omnino pondus habent in rebus extra suam Sphæram sitis, ipsasque Mentis, ni summopere sibi caveat, operationes vitiant atque depravant, tum quod ipsarum ingratiis, Anima intellectualis, propriis viribus, Fundamentum primo isti Fundamento contrarium ex seipsa eruerit & detexerit, nempe Ideam Entis summè perfecti sive DEI: *Ens utique summè & absolutè perfectum tale esse cui omnis omnino perfectio aut formaliter aut effectivè insit*, quemadmodum suprà notavimus. Quod tamen verum esse non potest, nisi admittatur proprie dicta Creatio.

Sed de his excursum est ultrà quàm putabam. Ex dictis abundè constat, quæ sit ratio nominis hujus Cabbalæ *Aëto-pædo-melissæ*, qualisque illius natura, quodque non ex uno simplici philosophandi genere orta sit, sed mixtum quoddam sit genus, partim ex *sensu corporeo crassaque Imaginatione*, partim ex *intellectuali sensu* ac *sagacitate* derivatum. Nec mirari quidem debemus Philosophiam ex tam male cohærentibus principiis tam infelicem habere exitum.

Ad Fundamenta Cabbalæ
Aëto-Pædo-Melissæ
Dialogus.

Compilator. Cabbalista Catechumenus.

Comp.

APpropinquantibus Nundinis non omnia ex te quærere possum, quæ constitueram: jam saltem paucis dicas, suntne hæc Fundamenta Cabbalæ tuæ, quæ in Somnio Aëto-Pædo-melissæo proponuntur?

Cabb. Neutiquam. Sed quid respondebo properanti; nisi concedis ut, quæ ad *Ulteriorem disquisitionem*; *Mercavæ* Expositionem, & *Catechismum* uberiùs reponenda sunt, ad aliud tempus differam?

Comp. Fiant hæc. Nunc primò hoc tantum quæro; nunquid Tu, *omnem Creationem propriè dictam negas?* quid ergo *Creatio* est in hypothesi tua?

Cabb. Paradoxis paradoxa reponam; & quia omnia ad Rationis trutinam tam accuratè examinari video, quæ in sublimioribus his plerumque cæcutit; problematicè respondebo, ut judicare queatis, annon termini nostri Cabbalistici aliam quoque secundùm rationis dictamen admittant interpretationem, quàm quæ absurditatis vitio laborare dici queat. Ipsam autem hypothesin nostram alio tempore diducam latius. Ut autem ad quæstionem tuam respondeam, novi quendam è nostratibus, qui *Creationem propriè dictam* definit *Effectionem Efficientis infiniti, quà constituitur ens separabile.* Hæc definitio *Creationis activæ* facilè applicari potest ad *Creationem etiam passivam*; & *relativam*, seu respectum, quem creator habet ad creaturam, vel contra: Item ad mediatam quoque, sive ratione efficientis talem; sive ratione effecti. Quid hic absurdi?

Comp. Cur autem omittis id, quod nos formalem rationem dicimus Creationis, nempe quod sit *ex nihilo?*

Cabb.

Cabb. Quia particula *Ex* tantum est characteristica *materiæ*; nec propriè ad spiritum pertinet; qui tamen potissimum est creationis propriè dictæ subjectum: deque hoc nullatenus dici potest, quid sit vel non sit *ex* aliquo, sed tantùm quod *ab* aliquo: sicut nec dicimus ideam fieri ex anima, vel mente, sed ab illa: vel spiritus creati radios fieri ex centro (nisi fortè localiter) sed à centro: vel manus aliave angeli apparentis membra formalia fieri ex angelo, sed ab illo.

Comp. Sic tamen videris excludere materiâ à Creatione.

Cabb. Non nisi ab *immediatâ*. Ponamus enim sic: 1. Creatorè constituere in esse naturam spiritualé. 2. idq; vel arbitrariè vel semper prout semper intelligit, generat, &c. 3. horũ spirituum aliquos ob causam aliquam è statu cognoscendi, & penetrandi, seu movendi descendisse in statum impenetrationis. 4. has monadas inertes variis modis coalescere. 5. istam coalitionem quam diu talis est, dici *Materiam*. 6. ex hac constare materiata omnia aliquando ad statum solutiorem regressura. Hæc omnia nullam involverent contradictionem. Unde Creator, etiam Materiatorum dicendus esset efficiens, quamvis non immediatus.

Comp. Sic autem creatura esset Deo coæterna; & coëxistens.

Cabb. Non aliter ac Soli coëxistere dicitur radius & lux; Mentì idea; Enti modus; Dependens, *ei* à quo dependet: Effectum Efficienti in actu posito: vel similiter. Sic enim semper in Deo melius concipi poterit *Unitas*, quia semper opposita habebit *plura*: *Bonitas*, ob incessantem communicationem; *Actus*, quia semper actuabit aliqua; *Principium* & *Causa*, quia semper influet causaliter; *Subjectum*, quia semper habebit *adjuncta*; *Mensura*, quia semper mensurabit quædam; *Prioritas*, quia semper habebit posteriora: *Substantia*, quia semper substabit quibusdam: *Corona*, quia semper ambiet quædam; & sic Numerationum cæterarum, adeoque & *Regni* notio, quia semper habebit subditos.

Comp.

Comp. Sic sequetur Deum creare per intrinsecam necessitatem.

Cabb. Nihil in eo absurdi, si creatio intelligatur ratione subjecti immediata: adeoque non nisi naturæ spiritualis, quæ certò respectu est immanens, ut motio ab Igne, cogitatio ab Anima, volitio à Deo procedens: unde & à conservatione parum differt, juxta nostrates. Sed in mediatâ, quæ est transiens ad extra, agit liberè, ita ut alia die, v.g. ex chao creet cœlum, alia terram, alia sidera.

Comp. Quomodo autem hoc modo effectus erit posterior suâ causâ?

Cabb. Ordine naturæ; licet non temporis.

Comp. Sed hoc modo naturæ spirituales ab Ipso creatore parum discrepabunt, & quia supponeretur ex illis obtorpuisse materiam, sequeretur Essentiam divinam esse quasi corporeo-spiritualem.

Cabb. Prius quidem aliqui ex antiquis statuisse videntur, qui *Animam divinæ particulam aurę* asseruerunt, & *hominis Dei genus* vocarunt (act. 17. 28.) Id tamen sano sensu accipiendum; ut *aura Dei* ab ipso *Deo* ad minimum differat tanquam principatum à principio; & *genericè* conveniret non sit conveniret essentialiter. Unde etiam Essentiam divinam corporeo spiritualem esse, à nemine asseretur nisi ab iis, qui omnem spiritus naturam negant. Quamvis forte potiori jure aliqua in Deo reperiri posset, ut ita dicam, κατ' ἀναλογίαν, quam in spiritibus ὀλικῶς. Ex istâ autem hypothesi natura Dei multo statuitur spiritualior, quam ex vulgari, quia per illam, *Materia*, qua talis, ut quidem substantia esse dicitur, sed potius substantiæ saltem spiritualis extrinseca & accidentalis quædam modificatio, à quâ quàm longissime distat Deus; quippe qui intelligentissimus & omnium maximè motor est.

Comp. Sed mundus tamen materialis aliquo modo statuetur esse spiritus.

Cabb. Materia, quâ talis non est spiritus, sed illa ipsa tantum substantia, quæ sub formâ materiæ apparet, in excitate nimirum & quiete illa, atq; privatione priori felicitatis, aliquando spiritus fuisse, & adhuc fundamentaliter & radicaliter talis esse, & talis aliquando iterû fore formaliter, dicetur. (Rom 8. 19. 20. 21. 22. 23. Eph. 1. 10. 1. Cor. 15. 28.) Exempla esse possent, homo vivus & homo mortuus, vapor tenuis & glacies, &c.

Comp. Ergone statuis, ex nihilo nihil posse creari?

Cabb. Dum materiam *factam* statuerem è coalitione monadum spiritualium torpentium, quia hæc coalitio creatio appellatur, materiam è nihilo factam esse parum ἀκριβῶς dicerem. Spiritum autem nec productum esse ex nihilo, nec ex aliquo asseruerem; quia ex ad causam materialem spectat, quæ in spiritibus exulat. Confectaria autem ad Ax. 1. cumulata, hypothesin meam non tangerent. Sed absurda & incongrua ex vulgari opinione, quod nempe *materia à Deo creata sit ex nihilo*, pro-

profluentia, hæc essent: 1. quod ab Ente summè perfecto, summè intelligente, summè libero, motum per se habente in summo gradu, summè penetrante, summè immutabili, summè positivo, summè vivo, &c. produci immediatè diceretur ens summè imperfectum; omni scientiâ, intellectu, & cognitione in summo gradu carens; summè necessarium, coactum, & ad leges motus passivi in summo gradu obligatum, adeoque omni omninò libertate & volitione destitutum; motu per se in extremis gradibus carens, sed non nisi motibus alienis & impressis subjectum, adeoque per se in summo gradu quiescens & immobile; Omni penetratione tam activa, quam passivâ inter se carens; summè mutabile; summè privativum omnique beatitudine & bonorum realium positione orbatum; adeoque summè mortuum & torpidum: & per consequens nihil omninò eorum habens, quæ in causa continentur; unde etiam natura Deo planè contraria à pluribus dicta est: Cum tamen causa efficiens sicut non producere potest aliquid sibi planè simile, ita nec aliquid planè dissimile, 2. Et hoc tamen subjectum tam vile atque inane, quod minimam partem universi occupare meritò à nobis dicitur, in eâdem hypothesi vulgari, statuitur Deo coextensum, imò coexistens, atque coordinatum, adeoque in tantam extollitur existimationem, ut in tota Philosophia gentili omnis doctrina hoc solo subjecto exhauriatur, quæ etiam mensura statuitur theorematum de Spiritu & Deo; (quod à posteriori demonstrare appellant,) unde maledictus ille materialismus & per consequens Atheismus, 3. Sicut contradictionem implicant, non esse & esse; ita contradictionis hujus consequens est Ex non esse, esse, si accurate & ad leges characterum causalium loquendum est. 4. Eodem modo Deus dici deberet cessse mortem, peccatum, umbram, monstra, malum, &c. quæ privationes sunt, ut materia privatio est naturæ spiritualis, quippe cujus definitionem ne unicus quidem terminus positivus jure meritò ingredi debet; quia nec discerpibilitas Eidem competit in abstracto & in atomo consideratæ. 5. Creatio materiæ ex nihilo Sapientiæ Dei è diametro repugnat; quippe quæ tali in casu cum, quod optimum fuisset, potuisset omnem creaturam facere spiritum, aliquam tamen & tantundem fecisset non spiritum, & non optimum. 6. Contra Bonitatem ejus est, quia cessset aliquid citra communicationem pleromumque bonorum suorum. 7. Contra pulchritudinem ejus; quia materia à primo pulchro è diametro distat. Imò g ab uno extremo statueretur processus dari ad alterum immediatus. Unde 9. absurdum esset ad evitandas absurditates incertas & non necessariò ex hypothesi fluentes, absurditates admittere alias plures, naturæ animæ, & regni Messiani insigniter nocivas, mentemque barathris materialibus cænosis sic immergentes, ut præ naturæ spiritualis obliteratione tandem quasi planè materialescat, quod Deus avertat!

Comp. Ergone dicis materiam creari non posse?

Cabb. Non immediatè; Sed postquam immediatè creatus Spiritus ob causas dabiles & alibi memorandas in istum jam mortis statum descendit, ut materiæ qualitates & nomen admittat, monas physica & atomus existens; ex his deinceps creatio ulterior mediata fieri potest & facta est; sicut ex peccatore mortuo nova creatura per Messiam. Ad axioma igitur 3. & 4. & 5. Materia quâ talis, seu formaliter considerata non tantum non existit ex se, sed ne existit quidem positivè, sed privativè, sicut umbra; quies, &c. Et quicquid est, spiritus est, sive fundamentaliter tantum, sicut homo mortuus, homo, sive etiam realiter & formaliter, ut Anima, Angelus, Deus.

Comp. Quid ergò ad reliqua reponis?

Cabb. Sequentia per se corruunt. Non enim omnis Spiritus est Essentia Divina, (quod Axiom. 6. & 7. præ se ferunt.) identitate numerica, sed tantum specifica vel generica. Hinc à nobis expresse statuitur עולם הפרוד Systema separatorum; quod comprehendit Briathicum, Jezirathicum & Asiathicum. Et hæc, in quantum producta, (non excludunt enim ipsam quoque concurrentem divinitatem,) non à se existunt, sed ab Autore Emanationum; qui solus à se existit; juxta Ax. 8. Essentiam autem divinam, (quod vult Ax. 9.) dividi posse, non admittimus, sed unitatem in eâ quam maximè veneramur. Sicut ex. gr. cum in fonte quodam limpidissimo occultæ latent particulæ aliquæ terrestres & petrosæ, & illæ deinceps separantur & concrescunt, nemo dicit fontem dividi in lapillos, sed lapillos separari: ita Creator primò quidem produxit infinitas spirituum myriades, cum ipso in summo felicissimæ perfectionis gradu unitas, (in quo adhuc mansit Messias,) ita ut Deus esset omnia in omnibus: deinde autem ob varios adhibiti arbitrii proprii gradus, horum facta est secretio, tot graduum, quot sunt cognitionis; ad extremum usque, qui est ipsius privatio; adeoque mors illa, aliquando iterum absorbenda Jesch. 25, 8. Quamvis autem (juxta Ax. 10.) singulæ particulæ non sint infinitæ; Spiritus tamen in se consideratus, quoad nos indefinitus est, ejusque amplitudo sive extensio tanta est, quantam admittit gradus cognitionis, & unionis ejus. Non ergò constringitur ipsa (ex Ax 11.) divina essentia, sed illud quod eidem analogum fuit, spiritus nempe creatus; & hæ particulæ, è quibus mundus materialis constat, non possunt dici, *esse Divina Essentia*, sed illius naturæ, quæ à divinâ Essentiâ effecta, constituta, producta, facta, creata, extra posita fuit. Potestque constitutio hæc vocari somnus, juxta Ax 13. vel mors, &c. Et vigilatio, de qua Ax. 14. 15. 16. quæ à nobis vocatur *Secretio scintillarum*, tot habet gradus ascensus, quot statui possunt descensûs; quorum extrema tamen non sunt alia, quam ultima Deo contrapositio in statu mortis, & summa cum Deo unio, (licet non unitas:) & ita quidem, ut etiam vis creandi (non primaria, quæ est בריאה producere spiritus sed) secundaria, quæ est (non ex nihilo negativo, sed ex præexistente inhabili subjecto, seu nihilo privativo, de quo 2. Macc. 7, 28.) formare vel facere, v. g. per יצירה vehicula angelorum, &c. per עשיה naturas crassiores; eidem communicari queat; quod de Messia non negamus ex Jesch. 65, 17. 18. In Scholiis autem ad Ax. 12. non rectè nobis imputatur. Animæ derivatio è mundo materiali; quia non omnis spiritus ad imum hunc gradum delapsus est, sed plurimi in gradibus quibusdam intermediis substiterunt, inter quos & animæ. Nec dolores particulis his (juxta Schol. ad Ax. 13.) ascribimus, quia dicimus illas cognitione etiam sensuali carere; simile tamen quid & analogum etiam scripta vestra illis ascribunt Rom. 8. 22. Cætera prætermitto, & ad ipsos Vestrates, Philosophiam vulgarem refutantes, si sano sensu intelligantur, provoco.

Comp. Metuo, ne nimium festinando cœcos parias catulos.

Cabb. Academicè hæc & tentaminis gratia propono, nec ab ullo hominum assensum requiro. Hypothesin autem Cabbalisticam propriis terminis debito tempore latius explicabo.

Comp. Sit saltem Gloria Dei nostri & Christi ejus omnium scriptorum nostrorum

F I N I S.

APPARATUS
IN LIBRUM SOHAR
PARS TERTIA & QUARTA,
Quarum prior est
LIBER
שער השמים
Seu

PORTA CŒLORUM,

In quo

Dogmata Cabbalistica de Æn-Soph, Adam Kadmon, Zimzum, Aziluth, Briah, Jezirah, Asiah,

Nomine Tetragrammato, Revolutionibus Alphabethicis, Avvir Kadmon, עב סג מה בן, Personis Attik, Arich, Abba veImma, Seir Anpin & uxore ejus: de luminibus Cranii, Oculorum, Aurium, Narium, Oris in Adam Kadmon: de Partibus Animæ, Nephesch, Ruach, Neschamah, Chajah, Jechidah, Literis Tetragrammati: quaternario, denario, Sephiris, Numeris, mensuris, pulchris, vestimentis, contractione & lapsu vasorum, natura vasorum, radiorum, Lucis ambientis & interæ: de differentiis localibus, eoque, quod dicitur supra, infra, ante, retro, dextrum & sinistrum, longum, latum, profundum in Sephiris: de descensu animæ in corpus; de Sephiris Akudicis, Nekudicis, Berudicis: De restitutione vasorum; De conceptione, generatione, Infantia, adolescentia, & usu rationis 78 Seir Anpin; De Bilances; De superintectione, vel involutione Personarum intra se invicem, crimibusque capitis & Barbæ, &c. Philosophicè proponuntur & explicantur, cumque Philosophia Platonica conferuntur.

Autore R. Abraham Cohen Irira, Lusitano:
è Lingua Hispanica primò in Hebraicam translatus, nunc in Latinam contractus.

Altera verò continet
Arbores seu Tabulas Cabbalisticas Universales, quæ sunt quinque Compendia Cabbalistica gravissima, & inter Hebræos maximi æstimata, hic typis æneis expressa Figuris 16.

Cum Præfatione de Applicatione Dogmatum Cabbalisticorum ad Scripta N.T.

Scriptum Philologo-Philosophico-Theologicum, omnibus sublimiorum speculationum amatoribus utilissimum.

Solisbaci, Typis Abrahami Lichtenthaleri, 1678.



PRÆFATIO EDITORIS AD LECTOREM.

§. 1.

ADmonitus aliquoties, ut ea, quæ partibus Apparatus Cabbalistici in Librum Sohar primâ & secundâ, Phrasi quidem nativa, terminisq; artis propriæ, sed obscuris nimis, & à communi loquendi docendique usu remotioribus proposita sunt, ulteriùs & dilucidiùs paulò explicarem; nunquam tamen sum ausus, meam hic immiscere sententiam: sed in hoc scriptum tandem incidi Cabbalistico-Philosophicum, ineluctabili quidem difficillimoque accessu undique cinctum; sed nunc tandem superatum, quamvis ita, ut, ficubi quidam simul subrepserint errores, venia propterea sit roganda. Illudque non in mei, sed tui gratiam, nunc in lucem edo: cum compendiis quinque Cabbalisticis, quas arbores vocare solent. De quorum in hoc studio utilitate plura quidem dici possent, nisi id potissimùm agerem, ut studiosam juventutem ad ipsos Scriptores Cabbalisticos, studiumque in propria linguâ ipsum allicerem: quò ex ipso fonte dulciùs biberent aquas has. Si quis tamen, cui nondum sit satisfactum, manuductionem desideraverit ulteriorem, literisque ad editorem per Bibliopolam, apud quem prostat hoc opusculum, directis, id significaverit, eidem operam meam conatumque inserviendi pro viribus sponte lubensque hic offero.

§. 2. Nec planè inutiles fore hos conatus, ex eo judico, quòd aliquoties à Judæis, mirantibus, quod sublimia hæc studia excolerem, interrogatus: an igitur etiam in Evangelio nostro reperiamus vestigia dogmatum Cabbalisticorum; id audacter affirmavi: urgentibusque, exemplum orationis Dominicæ proposui; in quo *Pater noster* non incongruè refertur ad Gradum Chochmah, in qua est initium Manifestationis; ita tamen, ut occultissima illa Sephirah prima, cum ipsa natura Infiniti, ab illa nunquam excludatur; sicut etiam persona Matris ab eo nunquam separatur: ut ita hac compellatione uno conceptu denotentur tres primæ, Kether, Chochmah, Binah. Quod autem additur: *qui es in cœlis*; hoc ipso innuitur arctissima illa unio graduum supernorum cum Tiphereth, seu potiùs Seir Anpin; qui nomine שמים designari solet. Et hoc ipso innuitur persona Cabbalæ Christianæ prima. Et sequitur de persona secunda: *sanctificetur nomen tuum.* Ubi per *nomen* intelligitur Tetragrammaton, quod Characteristicè refertur ad Tiphereth, & Seir Anpin, qui est gradus ille *ἑξαμηνιαῖος*, omnia quasi mysteria Senarii in se continens: de quibus Meursius Denario Pythagorico c. 8. cum quo anima Messiæ arctissima & specialissima, nec unquam dissoluta unione sese univit. Per *sanctificetur* autem id rogatur, ut emittatur influentia è Sanctitatis fonte, nempe Coronâ & Sapientia (Vid. Appar. P. I. p. 672. 670. 367.) in filium. Et tertiò sequitur: *adveniat regnum tuum*: ubi indubitatò intelligitur Malchuth, sedes Spiritus Sancti, cum omnibus illis attributis, quæ à Cabbalistis ad hanc classem referri solent. Atque sic exhaustum est totum Systema Aziluthicum: & sequitur Briathicum, seu Mundus Mentium separatarum, animarumque sublimium, quæ in summis mansionibus & palatiis Paradisiacis benevolentissima visione Dei fruuntur: ubi rogamus; *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, i. e. descendat Influxus הרצון seu benevolentiæ tuæ à gradu Coronæ originario, per omnia Systemata, in terram usque; sicut descendit per Aziluth in

in cœlum, seu paradisum hunc supremum. Porrò sequitur Mundus Jezirathicus seu Angelorum, quibus commissa est cura & nutritio creaturarum inferiorum: ita, ut juxta Cabbalistas, sub initium Anni Præfecti isti accipiant tantum, quantum ad distribuendum per totum annum surrogatis suis sufficiat: nos autem rogamus, ut ipse Pater nobis suppeditet influxum hunc sustentativum, substantiâ nostrâ superiorem, cum omnibus reliquorum bonorum necessariis; non per Angelum præfectum, nec de anno in annum; sed de die in diem. Tandemque sequitur Mundus Asiah, cum mentione Corticum eadem triade, sed inversâ, quæ in Aziluth: rogando nempe remissionem peccatorum, liberationem à seductione, & ipso malo radicali. Tandem autem, prout nunc descensum est iterum ascendit *ἐκλογὴ* ab Asiah, ubi regnum inferius, in Jeziram, ubi חילות *δυνάμεις*, seu potentes exercitus Angelici: & porrò in Briam; ubi Thronus gloriæ: tandemque in Aziluth ubi Mundi Mundorum, æones æonum, i. e. istorum principia. Et tandem, ne videatur hac distributione facta esse mentalis aliqua divulsio Divinorum graduum, deprædicatur unitas in vocula אמן, quæ numero suo 91. repræsentat numerum duorum nominum יאהו ונהי. Quæ omnia miram connexionem Cabbalisticam insinuant, cum admiratione adversariorum.

§. 3. Porrò Vita Domini & Servatoris nostri generatim proponi potest eâdem quasi methodo, sed inversâ. Quicquid enim 1. Cabbalistæ asserunt de Malchuth, commodissimè referri potest ad conceptionem virginalem, nativitatemque ejus humilem & paupertate plenam. 2. Quod dicitur de Jesod, maximam partem referri potest ad Circumcisionem, Baptismum, & alia fundamenta officii ejus, præsertim autem vitam ejus justissimam, quam simul & præcepit aliis, & exemplo suo præmonstravit. Prout & 3. juxta gradus Nezach & Hod, Propheticos prædixit eventus plurium ætatum, uno & simplici vaticinio, idque vicibus & allegoriis pluribus. Et

oratio Dominicalis

4. variis miraculis, juxta gradum Tiphereth, se Regem esse Messiam comprobavit. Utque totum hoc *corpus* Aziluthicum eò melius asseclis suis communicaret; adeoque veram naturam Spiritus in illis efformaret, sacratissima Symbola corporis & sanguinis sui iisdem sumenda proposuit: atque mox in rigorosissimum gradum Gebhuræ ascendens, omne id dolorum & pœnarum genus toleravit, quod propriam decadem Sephirothicam exhaurit. Tandem autem 5. è judicio ereptus, sinistraque omnia perpessus, ad dextram elevatus est: emenso nimirum toto senarii sui curriculo; ubi unitus cum Patre, i. e. notionibus ejus tam infimâ, quàm mediâ & supernâ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος adæquat.

§. 4. Quia autem non unus est conceptus Repræsentationum divinarum, aliquoties Sacratissimam Triadem non tantùm secundùm Longitudinem, ut supra dictum, (ad quam referri potest partim profunditas gratiosissimi ejusdem descensus: partim altitudo incomprehensibilis ejusdem sublimitatis, juxta Eph. 3, 18.) Sed & secundùm latitudinem præfigurari posse meditatus sum: ita, ut totum latus dextrum Paternum; medium, Filii; & sinistrum, Spiritus Sancti sit. Quod fortasse & alii observabunt.

§. 5. Nec desunt Exempla magis specialia, obiter saltem observata, e. g. si quis Judæo cuidam Cabbalistæ Textus Evangeliorum quorundam Dominicalium, v. g. de nuptiis, primo Christi miraculo celebribus Joh. 2, 1. proponeret; l. præfari posset, totam illam Historiam insinuare doctrinam de influxu Divino ad vitam Christianam; qui influxus cùm admodum sit vehemens, prout & vehementissimi conatus ad bene agendum in Christiano requiruntur Matth. 11, 12. non immeritò dici poterit, influxum illum esse Gebhurathicum, i. e. severitate & rigore atque vehementia plenum. Nuptiæ autem ipsæ sunt Malchuth Matth. 22, 2. Non potest autem impleri hoc regnum influxu hoc, nisi per diem tertiam, quæ est Binah seu mater; de qua Cabbalistæ dicunt, quod

quod דינין, i. e. omnes influxus vehementes ab ipsa excitentur: unde etiam Mater Christi symbolicè simul ibidem introducitur. Sex autem extremitates Tipherethicæ designantur per sex hydrias: Purificatio ad Gebhuram. (vid. Lexic. p. 367.) Impletio aquarum, influxum paternum, per Chesed, cum quinque Chasadim: Mutatio in vinum rubrum, applicatio horum influxuum ad vitam fœderi Christi analogam; omnes conviviæ ad Malchuth referri possunt. Quòd autem primus convivarum dicit; *vinum bonum asservatum esse hucusque*; hoc ipso denotatur influxus ille, asservatus in Binah, pro seculo Messiæ. Conf. Lexicon. p. 432.

§. 6. Eodem modo Historia Evangelica Matth. 8, 1. seqq. Sic proponi posset Cabbalistæ cuidam; ut Christus descendens de monte sit quasi Tiphereth, qui elevatus fuit in Kether, repletusque influxu summo: ita, ut vim habuerit confringendi duos cortices; dextrum, i. e. lepram albicantem: & sinistrum, i. e. morbum militis. Unde cortici dextro applicuit manum dextram, cum applicatione totius decadis ad verba Domini, v. 4. ita, ut verba illa: *vide nemini dicas*; ad Kether, de qua nihil dici potest: *sed vade*, ad Chochmah; unde primus quasi motus est ad extra: *& ostende te*, ad Binah; ubi manifestatio actualis: *Sacerdoti*, ad Chesed; ut notum: *& offer holocaustum*, ad Gebhurah; ubi ignis & exustio, *quod præcepit Moses*; ad Tiphereth; ad cujus sensum intimum Moses pertinet: in *Testimonium*, ad Nezach, Hod, Jesod; qui sunt testes: *ipsis*, ad Malchuth, quæ est congregatio Jisraëlis. In eodem gradu Malchuth autem, quæ דבר dicitur, (Vid. Lexic. p. 243.) Verbo sanavit Servum militis, ut alia specialiora istius historiæ nunc taceam.

§. 7. Sic, si Cabbalista Judæus interrogaret, quare præcursori Messiæ datum sit nomen Johannis & non Zachariæ? & aliquis responderet, quod juxta Malachiæ 4, 6. & Luc. 1, 17. ideo non Matth. 11, 14. Johannes fuerit Elias; quodque nomen אליהו הנביא, quatenus iste fidem vitamque 4. patrum reintro-

reintroducere debuit in Jisraelitas, numeris æquipollear nomini יוחנן. Judæus sanè istum applicandi modum rejicere non poterit; quia eadem methodo Cabbalistæ ubique quasi utuntur.

§. 8. Sic quoque posset fieri applicatio hymni Beatæ virginis Luc. 1. ita, ut §. 46. ad Asiah: 47. ad Jezirah: 48. ad Briah: 49. ad Aziluth: & tres primas: 50. ad Chesed: 51. ad Gebhurah: 52. ad Tiphereth: 53. ad Nezach, Hod: 54. ad Jesod: 55. ad Malchuth; ubi concursus patrum, referatur. Item, nomen Salvatoris nostri applicari potest ad Sephiras, non minùs, quàm Tetragrammaton. Item, hymnus ad agnum Apoc. 5, 12. ad septem inferiores. Item, Charismata 1. Corinth. 12, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. ad totam decadem, & alia plura similiter: & omnia juxta analogiam Cabbalæ, satis congruè applicari possunt; quamvis id κατ' ἀξίωμα saltem fieret.

§. 9. Plura de his non subnecto, sed ad ipsam lectionem autorum Cabbalisticorum studiosos remitto; utque etiam errata, quæ tam translatori, quàm correctori inter concatenata negotia alia horis tantùm succisivis huic negotio accurrentibus, obrepserunt, haud gravatim corrigantur, etiam atque etiam rogo.

TABULA ERRATORUM.

Pag. 1. lin. 2. ודשמים. p. 13. l. 28. tota l. 29. aliena l. 30. ipsam p. 20. l. ult. loco *ode*, leg. quæq; p. 23. l. 26 sufficientissimum, perfectum p. 29. l. 14. quia. p. 30. l. 13. post *alio* inferatur Colon. p. 36. l. 24 loco *sit* leg. esse. p. 43. l ultim. sublimius. p. 45. l. 30 deleatur comma post *systematis*. p. 47. l. 9 ultima. p. 48. l. 27. post *Hyle* leg. sui. p. 51. l. 1. deleatur *sequitur*. p. 53. l. ult. cæterarum. p 54. l. 6. contineat. l. 25. tum. p. 55. l. 26. pervenire p. 56. l. 19. loco *intermedis* leg. intermediis. p. 65. l. penult. del. denominatio. p. 71. l. antepenult. loco *fy*. leg. Part. p. 75. l. 8. & p. 76. l. 24 post eminenter inser. ibi comma, hic colon. p 98. l. 30. leg. augmentationi. p. 108. l. 13. loco *quod* leg. qui. p. 111. l. 21. loco *ejus* leg. sui p. 123. l. 17. estque. p. 136. l. 22. Æn-Sophici. p. 141. l. 18. vita. p. 144. l. 23. 350. p. 162. l. 25. loco *que* leg. quamvis p. 171. l. 15. loco *earum* leg. suæ. p. 196. post *reflectitur* inser. in. p. 219. l. 14 loco 4. leg. 5. p. 231. l. 16. loco *charitas de charitas* leg. ardor de ardore. p. 237. l penult. Injan. p. 245. qui.

APPARATUS IN LIBRUM SOHAR *PARS QUARTA,* QUÆ CONTINET EXPLICATIONEM ARBORUM SEU TABULARUM QUINQUE CABBALISTICARUM GENERALIUM.

Cum

Repræsentatione omnium & summorum totius Cabbalæ Capitum brevissima & perspicua, juxta diversas Hypotheses.

Major collation fault: Pars Tertia (Liber Porta Coelorum by Irira) was displaced by the binder to just after Pars Quarta. To access in intended sequence, please use the bookmark provided.

Actual restoration to this point in the PDF would involve alterations in the images of the facing pages, and hence has not been done

Figura I.

§. 1.

EN-Soph benedictus ille, quo Deus superior non est.

§. 2. Corolla in Capite Sancti illius benedicti: Principium, quo Rex potestatem concessit, ut aliquid effluereret.

§. 3. Kether seu Corona ADAMI PRIMI.

§. 4. Chochmah seu Sapientia ADAMI PRIMI, Cranium ADAMI PRIMI dicta, usque ad aures; quò refertur nomen יוֹד · הֵי · וָיו · הֵי · עָב 72.

§. 5. Jod. Huc referuntur Accentus Accentuum: Mens: Cerebrum Chochmæ.

§. 6. He. Quò pertinent Puncta Accentuum: Phantasia: Cerebrum Binæ seu Intelligentiæ.

§. 7. Vav. Quò pertinent Apices Accentuum: Memoria: Cerebrum, Radix Benignitatum.

§. 8. He. Quò pertinent literæ Accentuum: Contemplatio: Cerebrum, Radix Rigorum.

§. 9. Radix Binæ seu Intelligentiæ, dicitur Auris dextra ADAMI PRIMI; quo referuntur Accentus Superiores, punctorum Nominis יוֹד · הֵי · וָאו · הֵי · סַג 63.

He. Lux hæc pertingit usque ad apicem Barbæ, suntque decem Sephiræ ambientes. At quando in os intrant, tunc ex illis fit lux, quæ vas ambit.

§. 10. Radix Tebhunæ, seu prudentiæ, vocatur Auris sini-

ſtra ADAMI PRIMI: Accentus ſuperiores punctorum nominis סֹב 63.

הֹ, cujus figura componitur ex ה & ו quorum numerus eſt 10. Lux hæc pertingit ad apicem barbæ; cujus decem Sephiræ ſunt de notione lucis internæ. Cùm autem in os intrant, tunc fit pars exterior vaſis: cujus deſiderium eſt uniri cum luce ambiente.

§. 11. Oculus dexter ADAMI PRIMI, unde lumina punctata prodeunt. Huc referuntur puncta Punctorum nominis סֹב 63. Lux illa pertingit uſque ad pedes: ſuntque decem Sephiræ ambientes.

§. 12. Oculus ſiniſter ADAMI PRIMI certo tantùm reſpectu vocatur ſiniſter: hinc etiam prodeunt lumina punctata: & huc referuntur puncta punctorum nominis סֹב 63. Lux illa pertingit uſque ad pedes, ſuntque decem Sephiræ ambientes.

§. 13. Naſus ADAMI PRIMI. Huc referuntur Accentus medii Punctorum nominis סֹב 63. Lux illa pertingit usque ad pectus.

רוֹ וּאוֹ וֹוד אֹאוֹאוֹ

De his figuris naſi in Ez Chajim Tr. Adam Kadmon præter ea, quæ excerpta ſunt Part. 1. Apparatus p. 336. traduntur ſequentia: Duæ nares ſunt quaſi duo Jodin, & paries intergerinus eſt quaſi Vav, unde prodit figura אֹ; cui ſi addantur duo Vavin, oritur ſcriptio Literæ Vav plena, h. m. וֹאוֹ. Et illa duo Vavin dicuntur accentus medii, nimirum, qui in media voce locum habent; ut ſunt ו Pſik & ־ Makkiph; qui ambo, cum uniuntur, efficiunt ו, nempe ו illud, quod eſt in הֹ: ſicut Vav dictorum Accentuum etiam eſt ו illud, quod in Litera הֹ extat. Jam, ſi ſumatur הֹ Auris dextræ, cujus decas Sephirothica deſignatur litera ו; & uniatur cum הֹ naris dextræ, quæ reſolvitur הֹ: hinc fiunt literæ הֹוֹ & figura literæ אֹ, ubi ו ſupra, ו in medio, & ו infra. Item ſi ſumatur ו ab

ab Aure ſiniſtra, & uniatur cum הֹ, quæ in Nare ſiniſtra, producetur אֹ alterum eodem modo: & ſic erunt duo Alephin formata per ו. Si autem ſumatur ו Auris ſiniſtræ cum ו Naris ſiniſtræ, & ו Auris dextræ; exſurget figura tertia literæ אֹ; ubi ו ſupra, & infra, & ו in medio. Porrò, ſi ſumatur ו Auris dextræ, ו Naris dextræ, & ו Auris ſiniſtræ, orietur figura quarta literæ אֹ; ubi ו ſupra & infra, & ו in medio: Unde quatuor אֹאוֹאוֹ, quibus deſignatur vis literæ ו, quæ eſt in הֹ Naſi; in qua aliqualis ſaltim eſt manifeſtatio, non verò talis, qualis in ו literæ הֹ deprehenditur.

Foramen Naſi dextrum, ſymbolum lucis ambientis, eſt Radix Jiſraël; & hæc, quando intrat in Os, tunc fit Lux interior. Foramen Naſi ſiniſtrum, ſymbolum lucis internæ, eſt Radix *Jaakobh*; & hæc, quando intrat in Os, tunc fit vaſis pars interior.

§. 14. Os ADAMI PRIMI. Huc referuntur Accentus inferiores punctorum Nominis סֹב 63. Literæ Alphabethi hic quoq; applicantur: אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת Lumina hic prodeuntia dicuntur faſciata; ſuntque Lux ambiens & Lux interior, prodeuntes ex dextra oris parte. Interiora & exteriora vaſis in ſiniſtra oris parte locantur. Hic etiam reperitur הבל Anhelitus, quæ vox quater ſumpta, efficit vocem קמֹח: קוֹל Vox, ad quam refertur Radix Leah: & רמוֹר Loquela, ad quam refertur Radix *Rachel*.

§. 15. Frons ADAMI PRIMI, è qua prodit Lux nominis מֹח novi. יוֹד· הֹא· וֹאוֹ· הֹא. 45. quæ ſuum habent טעמים, i.e. Accentus, puncta, Apices & Literas. Lumina hic vocantur גרוּרים grandinata.

§. 16. Apex Barbæ ADAMI PRIMI.

§. 17. Cheſed ſeu Benignitas ADAMI PRIMI: ubi tres articuli brachii dextri: ח articulus primus Cheſed; ad quam refertur ג, articulus primus Nezachicus; Nam huc intrat

 pars

pars interior gradus Nezach, postquam ascendit interiùs: ס, Articulus Secundus Chesed; ad quem applicatur צ, pars secunda Nezach: ד, articulus tertius Chesed; ad quem refertur ח, pars tertia Nezachica.

§. 18. Gebhurah seu Rigor ADAMI PRIMI: ubi tres articuli brachii sinistri, nempe גב articulus primus Gebhurathicus; ad quem refertur ה, articulus primus Hodicus: nam huc intrat gradus Hod, postquam ascendit pars interior: ו, articulus secundus Gebhurathicus; ad quem applicatur ו, pars secunda Gradus Hod: רה, articulus tertius Gebhurathicus; ad quem refertur pars tertia Hod.

§. 19. ת, Tiphereth, ejusque pars prima; ad quam refertur יס pars prima Jesod; estque pectus ADAMI PRIMI. Hucusque pertingunt Lumina Nasi: item פא, articulus Secundus Tiphereth; ad quem יד, pars altera Jesod, applicatur.

§. 20. Pars interior ת"ל Nezach, Hod & Jesod ADAMI PRIMI, elevatur supra diaphragma.

Figura II.

§. 1.

COrona Regis Sancti, qui vocatur רשא דלא, Caput, quod quasi non est: item, Caput, quod neque cognoscitur, neque comprehenditur: estque conceptus trium primarum gradus Malchuth, in ADAM KADMON, qui est supra diaphragma, & vocatur ATTIK simpliciter & nudè.

§. 2. Nomen יוד. הי. וו. הי. סב 62. in parte anteriore. Nomen גב יוד. הה. וו. הה 52. in parte aversa.

§. 3. Hoc est diaphragma ADAMI PRIMI, locaturque juxta רת Tertiam Tipherethicam inferiorem ADAMI PRIMI.

§. 4. Hucusque pertingunt Lumina fasciata: & huc pertingit

tingit gradus Malchuth luminum fasciatorum: & ibi est Radix decem Luminum punctatorum.

§. 5. Septem istæ inferiores vocantur ATTIK JOMIN.

§. 6. Daath: Aura tenuis, vel spatium vacuum, quod reperitur supra Membranam Cerebri.

§. 7. Chesed gradûs Malchuth ADAMI PRIMI: Cranium ת"ל *Arich Anpin.*

§. 8. Gebhurah gradûs Malchuth ADAMI PRIMI: estque Ros *Arich Anpin.*

§. 9. Tiphereth gradûs Malchuth ADAMI PRIMI: estque meninx sub spatio vacuo.

§. 10. Articulus primus Nezach gradûs Malchuth ADAMI PRIMI. Lana pura ת"ל *Arich Anpin.* Femur dextrum. Articulus secundus Nezach; Auris dextra: Testiculus absconditus. Articulus tertius Nezach: Oculus dexter ת"ל *Arich Anpin*: pes dexter.

§. 11. Articulus primus Hod gradus Malchuth ADAMI PRIMI. Lana pura: femur sinistrum. Articulus secundus Hod: Auris sinistra ת"ל *Arich Anpin*: Testiculus occultus. Articulus tertius Hod: Oculus sinister ת"ל *Arich Anpin*: pes sinister.

§. 12. Jesod gradûs Malchuth ADAMI PRIMI. Frons *Arich Anpin* Daath, abscondita in Ore.

§. 13. Malchuth gradûs Malchuth ADAMI PRIMI. Nasus ת"ל *Arich Anpin.*

§. 14. Os ת"ל *Arich Anpin.*

§. 15. Circulus hic vocatur Corona ת"ל *Arich.*

§. 16. ATTIKA, qui *Arich Anpin* vocatur: & hæc est Corona ת"ל *Arich Anpin*, & vocatur Corona summa: Cranium summum: Caput secundum trium Capitum: & ex hoc suctionem habet Pater, & fit ex Chesed ת"ל ATTIK; quæ locum

locum habet è regione articuli summi staturæ gradus Nezach, in ADAM KADMON.

§. 17. Sphæra hæc vocatur Chochmah דר׳ *Arich*: & intra hanc est caput alterum, quod vocatur cerebrum occultum; (vid. Part. 1. Apparat. pag. 690.) ex quo Mater suctionem habet: & fit ex Gebhurah דר׳ ATTIK, quæ locum habet è regione articuli primi, staturæ gradus Hod, in ADAMO PRIMO.

§. 18. Inter Coronam & Cerebrum occultum reperitur spatium aliquod, i. e. manifestatio דרדלא, i. e. רישא דלא אתידע Capitis illius, quod ignoratur, & meninx auræ illius tenuis; quæ est notio Tiphereth Capitis illius, quod ignoratur.

§. 19. Frons דר׳ *Arich*, à Jesod Capitis illius, quod ignoratur, cum Chesed דר׳ ATTIK JOMIN; quæ locum habet è regione articuli primi Jesodici, in ADAMO PRIMO.

§. 20. Duodecim albedines, & duodecim cincinni, è tribus combinationibus Tetragrammaticis, quæ in cerebro inveniuntur: & hi cincinni usque ad initia humerorum ejus pertingunt. Radix autem capillorum est è Nezach & Hod דרדלא; quatenus sunt symbola pedum. Huc etiam pertinet nomen Lanæ puræ.

§. 21. Auris דר׳ *Arich* dextra gradus Nezach דרדלא, sub symbolo Testiculi dextri.

§. 22. Auris sinistra דר׳ *Arich* gradus Hod, דרדלא, sub symbolo Testiculi sinistri.

§. 23. Oculus dexter דר׳ *Arich* gradus Nezach, דרדלא, sub symbolo femoris dextri.

§. 24. Oculus sinister gradus Hod דרדלא, sub symbolo femoris sinistri.

§. 25.

§. 25. Nasus דר׳ *Arich*, gradus Malchuth דרדלא: quò pertinent duæ nares nasi, qui dicitur פרדשקא; ad quas referuntur Leah & *Rachel*.

§. 26. Os דר׳ *Arich*. Hic locum habet דעת Cognitio דרדלא; & manifestatur per 22. literas, quæ ibi inveniuntur:

§. 27. Facies דר׳ *Arich*: quò referuntur 370. lumina, de quibus in Idra magna: estque locus pomorum, de quibus infra, parte Barbæ septima.

§. 28. Facies דר׳ *Arich*: quò pertinent 370. Lumina.

Figuræ III.

Columna media.

§. 1.

BInah Personæ *Arich*.

§. 2. Arteria aspera: ubi locum habet nomen עב, 72.

§. 3. Oesophagus: ubi locum habet Nomen קסא אלף· הי· יוד· הי· 161.

§. 4. Guttur personæ *Arich*.

§. 5. Barba personæ *Arich*; quæ continet 13. Tikkunim in *Arich Anpin*, ex Mich. 7, 18. Nimirum:

1. *Quis est Deus sicut tu?* qui locum habet proximè ad aures; estque angulus barbæ dexter, & Malchuth gradus Kether: quò refertur Tetragrammaton Atbaschatum אתבש״ן: item angulus Barbæ sinister, Malchuth Coronæ summæ, & Tetragrammaton מ״צ״פ״ן. Vid. Fig. 2. è regione §. 21. & 22.

2. *Tollens iniquitatem*: & 3. *& transiens super prævaricationem*: illa, Crines labii superioris: & hæc, semita sub Naso illius. Vid. ibid.

4. *Residui hæreditatis suæ*: Crines sub labio. Fig. 3. sub

5. *Non tenuit in perpetuum iram suam*: divisio Barbæ in duas partes. ibid.

6. *Quoniam voluit Misericordiam*: Crines illi, qui sunt in latitudine Maxillæ. Figur. 2. sub §. 28.

7. *Revertetur, miserebitur nostri*: Locus genarum crinibus nudus; qui vocatur Ager pomorum. Vid. §. 27. Fig. 2. & sub §. 23. ib.

Tikkun octavus est id, quod in Barba manifestè apparet, nempe ipsa Barba in *Arich*; quæ influentia octava dicitur: *subjiciet iniquitates nostras*. Ex hac influentia suctionem habet Pater. Figur. 3. sub §. 1.

9. Crines parvi, qui absorbentur in Radicibus ipsius Barbæ in *Arich*, qui vocantur: *& projicies in profunda maris omnia peccata eorum*. Figura 3. è regione §. 22. & 25.

10. Crines parvi sub gutture: *Dabis veritatem Jaacobb*. Fig. 3. sub §. 6.

11. Quòd crines pendeant æqualiter, & unus non promineat præ altero: *Gratiam Abraham*. ib.

12. *Quam jurasti Patribus nostris*: quod non pedent pili super os, & os liberum est ex omni parte, & pulchri sunt pili circa illud. Figur. 3. sub §. 27.

13. Mysterium crassitiei Barbæ tectæ: è cujus influentia sugit Mater: *A diebus antiquis*. ibid. sub §. 1. 3.

§. 6. Guttur personæ *Arich* & *Uxoris* ejus; quæ est Binah in *Arich*, in quo sunt nomina מה 45. & יוֹ · הוֹ · יוֹ · הוֹ · בֵּן 52. Ubi invenitur Tiphereth דרוֹלא: locumque habet è regione articuli supremi gradus Jesod, in Adamo Primo.

§. 7. Daath Personæ *Arich*.

§. 8. חק, 500. Numerus vocis כחֹף: estque axilla dextra, Corona, vel extremitas summa gradus Chesed.

§. 9. חק, 500. numerus vocis כחֹף: estque axilla sinistra, Corona vel extremitas summa gradus Gebhurah.

§. 10.

§. 10. ח Pars prima gradus Chesed. Articulus primus & summus brachii dextri in *Arich Anpin*, in quo est articulus supremus articuli supremi gradus Nezach in ATTIK; locumque habet è regione articuli primi in articulo secundo Nezachico, in Adam Kadmon.

§. 11. ג, Pars prima Gebhuræ: Articulus supremus brachii sinistri in *Arich*, in quo est articulus supremus articuli primi gradus Hod in ATTIK; & locum habet è regione articuli primi, in articulo secundo Hodico, in Adamo Primo.

§. 12. תפ, Pars prima Tiphereth; quæ fit ex Jesod דרוֹלא: ex articulo ejus primo, ubi est pars prima corporis in *Arich Anpin*, in quo articulus primus articuli secundi Jesodici in ATTIK; & locum habet è regione articuli primi, in articulo secundo Jesod, in Adam Kadmon.

§. 13. Mammæ humanæ.

§. 14. ס Secunda pars Chesed; Articulus secundus brachii dextri, in quo est articulus secundus articuli supremi Nezachici in ATTIK; & locum habet è regione articuli secundi, in articulo secundo Nezachico, in Adamo Primo.

§. 15. בו Pars secunda Gebhuræ; Articulus secundus brachii sinistri in *Arich Anpin*, in quo est articulus secundus articuli supremi gradus Hod in ATTIK; & locum habet è regione Articuli secundi, in articulo secundo Hodico; in Adamo Primo.

§. 16. אר, Pars secunda Tiphereth: pars secunda corporis in *Arich*, initium pectoris ejus, in quo est pars secunda, in parte secunda Jesod, personæ ATTIK: Et hic erumpunt ad exteriora pectoris quinque Chasadim seu benignitates, & quinque rigores.

§. 17. ר, Pars tertia Chesed: articulus tertius brachii dextri in *Arich Anpin*, in quo est articulus tertius articuli pri-

mi Nezachici in ATTIK; & locum habet è regione articuli tertii, in articulo secundo Nezachico, in ADAMO PRIMO.

§. 18. רה, Pars tertia Gebhuræ: Articulus tertius brachii sinistri in *Arich Anpin*, in quo est articulus tertius articuli primi Hodici in ATTIK; & locum habet è regione articuli tertii, in articulo secundo Hod; in ADAM KADMON.

§. 19. Diaphragma in *Arich Anpin*; quod foveæ pectoris ejus vicinum est.

Columna dextra.

§. 20. Pater suctionem habet è Corona summa. Vid. Fig. 2. §. 16.

§. 21. Pater, Corona ejus: quò refertur Binah in *Arich*, in qua est medietas Tipherethica: latus dextrum דרדלא; locumque habet è regione articuli primi Jesodici, in ADAM KADMON. Huc refertur Nomen עב 72. item litera Jod, in nomine Tetragrammatico: Aziluth, quæ est in Aziluth; nempe tota Persona, generaliter considerata.

§. 22. Daath: quinque Chasadim seu Benignitates; & quinque Gebhuroth, seu Rigores.

§. 23. Chochmah superinvestit brachium dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum summum; notionesque חסד Chesed, Chochmah & Nezach, quæ in illo sunt.

§. 24. Binah superinvestit Brachium dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum supremum; notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ in illo sunt.

§. 25. הפ, Pars prima Tiphereth, superinvestit dimidiam partem pectoris, in latero dextro, & partem ejus primam, notionesque Daath, Tiphereth & Jesod, quæ ibi inveniuntur.

§. 26. Chesed superinvestit brachium dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum, & notiones Chochmah, Chesed & Nezach, quæ in ipso sunt.

§. 27

§. 27. Gebhurah superinvestit brachium, ejusque articulum secundum, & medietatem pectoris in *Arich Anpin*; notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ in illo sunt.

§. 28. אר, Secunda pars Tipherethica superinvestit brachiũ dextrum, & dimidiam partem pectoris in *Arich Anpin*; notionesque Daath, Tiphereth & Jesod, quæ in illo sunt.

§. 29. Nezach superinvestit brachium dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum tertium; notionesque Chesed, Chochmah & Nezach, quæ in illo sunt.

§. 30. Hod superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, & articulum quidem tertium in ipso; notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ in illo sunt.

§. 31. יסוד Jesod & Malchuth, Personæ ipsius Patris, investiunt brachium & medietatem pectoris in *Arich Anpin*, ejusque partem tertiam, in qua sunt notiones Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 32. Diaphragma Patris, quod proximum est foveæ pectoris ejus.

§. 33. Mater suctionem habens ex cerebro occulto; de quo Fig. 2. §. 17.

Columna sinistra.

§. 34. Mater, Corona ejus: quò refertur Binah in *Arich*, in qua est medietas Tipherethica: Latus sinistrum דרדלא; & locum habet è regione articuli primi Jesodici in ADAM KADMON. Huc refertur nomen סב 63. item litera ה in nomine Tetragrammatico. Briah Systematis Aziluthici; nempe tota persona generaliter considerata. Confer Figur. hujus 3. §. 21.

§. 35. Daath quinque Chasadim seu Benignitates, & quinque Gebhuroth seu Rigores.

§. 36. Chochmah superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin* & articulum quidem primum, notionesque Chochmah, Chesed & Nezach, quæ in illo sunt.

§. 37.

§. 37. Binah superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesque בינה Binah, Gebhurah & Hod, quæ in ipso sunt.

§. 38. חס, Pars prima Tiphereth, superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, & medietatem pectoris sinistram, notionesque ejus Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 39. Chesed superinvestit brachium sinistrum in *Arich Apin*, ejusque articulum secundum; notionesque Chochmah, Chesed & Nezach, quæ sunt in ipso.

§. 40. Gebhurah superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum, notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ in ipso sunt.

§. 41. אר, Secunda pars Tiphereth, superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, & medietatem pectoris sinistram; notionesque ejus Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 42. Mamma dextra. Vid. Figur. hac tertia §. 13.

§. 43. Mamma sinistra.

§. 44. Nezach superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum tertium; notionesque Chochmah, Chesed & Nezach, quæ in ipso sunt.

§. 45. Hod superinvestit brachium sinistrum in *Arich Anpin*, & in ipso articulum secundum; notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ in ipso sunt.

§. 46. יסוד, Jesod & Malchuth: Nezach, Hod, Jesod & Malchuth Personæ Matris, quæ ipsi sunt propriæ, superinvestiunt brachium, cum medietate pectoris in *Arich Anpin*, ejusque partem tertiam; notionesque Binah, Gebhurah & Hod, quæ sunt in ipsa.

§. 47. Diaphragma Matris, quod proximum est foveæ pectoris ejus.

Figur.

Figura IV.

Columna media.

§. 1.

ת, Pars tertia Tiphereth *Arich Anpin*: ex qua fit Neschamah Coronæ in Seir; estque pars tertia corporis *Arich*, initium à scrobe pectoris ejus, & porrò deorsum, in quo est pars tertia Partis secundæ Jesod in ATTIK; & hic definit Jesod in ATTIK, sub notione corollæ, quæ habet tres notiones, ut sequitur.

§. 2. נ, Pars prima Nezach: Articulus primus pedis dextri in *Arich*, in quo est articulus supremus articuli secundi Nezachici in ATTIK; & locum habet è regione articuli primi, in articulo secundo Nezachico in ADAM KADMON.

§. 3. ה, Pars prima Hod: articulus primus Hod in *Arich Anpin*, in quo est articulus primus articuli secundi Hodici, in ATTIK JOMIN; locumque habet è regione articuli primi, in articulo tertio Hodico in ADAM KADMON.

§. 4. י Pars prima Jesod: Articulus primus Jesodicus in *Arich Anpin*, in quo est articulus primus corollæ Jesod in ATTIK, & locum habet è regione articuli primi, in articulo secundo Jesodico, in ADAM KADMON.

§. 5. ש, Pars secunda Nezach; articulus secundus pedis dextri in *Arich Anpin*, in quo est articulus secundus articuli secundi Nezachici in ATTIK; & locum habet è regione articuli secundi, in articulo tertio Nezachico in ADAM KADMON.

§. 6. ו, Secunda pars Hod: articulus secundus gradus Hod in *Arich Anpin*, in quo est articulus secundus articuli tertii Hodici in ATTIK; & locum habet è regione articuli secundi, in articulo tertio Hodico in ADAMO PRIMO.

§. 7. ו, Pars secunda Jesod: Articulus secundus Jesodicus in

in *Arich Anpin*, in quo est articulus secundus Corollæ Jesod in ATTIK; locumque habet è regione articuli secundi, in Articulo tertio Jesodico ADAMI PRIMI.

§. 8. Lana Agnorum: item tredecim fœdera, (toties enim fit mentio fœderis Gen. 17.) est nomen barbæ in Seir.

§. 9. ח, Tertia pars Nezach: articulus tertius pedis dextri in *Arich Anpin*, in quo est articulus tertius articuli secundi Nezachici in ATTIK; & locum habet è regione articuli tertii, in articulo tertio Nezachico ADAMI PRIMI.

§. 10. ד, Tertia pars Hod: articulus tertius Hodicus in *Arich Anpin*; in quo est articulus tertius articuli secundi in ATTIK, & locum habet è regione articuli tertii, in articulo tertio Hodico, in ADAMO PRIMO.

§. 11. ד, Pars tertia Jesod: articulus tertius Jesodicus in *Arich Anpin*, in quo est articulus tertius Corollæ Jesodicæ in ATTIK, & locum habet è regione articuli tertii, in articulo tertio Jesodico, in ADAM KADMON.

§. 12. Vestimentum Corollæ Jesodicæ ADAMI PRIMI, est Corolla *Arich Anpin*.

§. 13. Mamma dextra in *Arich Anpin*; in qua est pars tertia Nezachica in ATTIK.

§. 14. Mamma sinistra in *Arich Anpin*, in qua est pars tertia Hodica in ATTIK, quæ descendunt in Mundum Briah. Et hi sunt gradus Nezach, Hod & Jesod novi: & decem albedines Barbæ in Seir, quæ pertingit usque ad pectus ejus: ubi Corona Regni. Dispositio illarum albedinum est hæc:

כ articulus primus Nezachicus.
ש articulus secundus Nezachicus.
ח articulus tertius Nezachicus.
ה articulus primus Hodicus.
ו articulus secundus Hodicus.
ד articulus tertius Hodicus.
ס pars prima Jesodica, &
ז pars secunda Jesodica.

§. 15.

§. 15. Huc descendit Barba in Seir; de qua supra §. 8. à summo ad locum hunc inferiorem.

Columna dextra.

§. 16. ת, Pars tertia Tiphereth; hic & porrò deorsum vocatur ישראל סבא Jisraël Senex.

§. 17. Corona Jisraël Sabha, quæ superinvestit brachium & medietatem pectoris in *Arich Anpin* dextram, ejusque partem tertiam; notionesque ejus Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 18. Chochmah; ubi כ pars prima Nezach, superinvestit pedem dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesque ejus Chochmah, Chesed & Nezach.

§. 19. Binah; ubi pars prima Hod superinvestit pedem dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesque ejus Binah, Gebhurah & Hod.

§. 20. Daath; ubi ס pars prima Jesod superinvestit gradum Jesod in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesque ejus Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 21. Chesed; ubi ש secunda pars Nezach superinvestit pedem dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum, notionesque ejus, Chochmah, Chesed & Nezach.

§. 22. Gebhurah; ubi ו pars secunda Hod superinvestit pedem dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum, notionesque ejus Binah, Gebhurah & Hod.

§. 23. Tiphereth; in qua ו pars secunda Jesod superinvestit gradum Jesod in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum, notionesque ejus, Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 24. Nezach; ubi ח pars tertia Nezach superinvestit pedem dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum tertium; notionesque ejus, Chochmah, Chesed & Nezach.

§. 25. Hod; ubi ד tertia pars Hod superinvestit pedem

dextrum

dextrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum tertium, notionesque ejus, Binah, Gebhurah & Hod.

§. 26. Pars tertia Jesod, in qua quinque Benignitates Patris, superinvestitque Jesod in *Arich Anpin*, ejusque articulum tertium, notionesque ejus, Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 27. Vestimentum Corollæ in *Arich*, est Corolla Jisraël Sabha: ubi quinque Gebhuroth Patris.

Columna sinistra.

§. 28. ת, Pars tertia Tiphereth: abhinc & porrò deorsum Binah vocatur Tebhunah seu prudentia prima.

§. 29. Corona Tebhunæ; quæ est vestimentum brachii & dimidii pectoris in *Arich Anpin* sinistri, ejusque articuli tertii, notionumque ejus, Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 30. Chochmah; ubi כ pars prima Nezach superinvestit pedem sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesque ejus, Chochmah, Chesed & Nezach.

§. 31. Binah; ubi ה pars prima Hod superinvestit pedem sinistrum in *Arich*, notionesque ejus, Binah, Gebhurah & Hod.

§. 32. Daath; ubi ס pars prima Jesod superinvestit Jesod in *Arich Anpin*, ejusque articulum primum, notionesq; ejus, Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 33. Chesed; ubi צ secunda pars Nezach, superinvestit pedem sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum; notionesque ejus, Chesed, Chochmah & Nezach.

§. 34. Gebhurah; ubi ו pars secunda Hod superinvestit pedem sinistrum in *Arich Anpin*, ejusque articulum secundum; notionesque ejus, Binah, Gebhurah & Hod.

§. 35. Tiphereth; ubi ור pars secunda Jesod superinvestit Jesod in *Arich Anpin*, articulum nimirum secundum, notionesque ejus, Daath, Tiphereth & Jesod.

§. 36.

§. 36. Hucusque prudentia prima, & imago prima.

§. 37. Hic incipit prudentia secunda, & imago secunda. Ubi ad נ articulum primum Nezach, applicatur Chochmah: ad ה primum articulum Hod, Binah: ad ס' partem primam Jesod, Daath: ad צ articulum secundum Nezach, Chesed: ad ו articulum secundum Hod, Gebhurah: ad ור secundum articulum Jesod, Tiphereth.

§. 38. Hic incipit prudentia tertia; ad quam refertur Jesod: nimirum ad ח articulum tertium Nezach, ipsum Nezach applicatur: ad ד articulum tertium Hod, ipsum Hod. Loco Jesod autem est Atarah Corolla: sub qua sunt omnes tres notiones חוֹתן, בּוּנה, & רוּחי.

§. 39. Sequitur ח, articulus tertius Nezachicus Tebhunæ, ad §. 33. pertinens, qui est articulus tertius Nezachicus Matris supernæ, qui sub conceptu totius personæ Maternæ superinvestit ראש *Arich*, notionemque pedis ejus sinistri, & hujus articulum tertium, sub notione Chochmah, Chesed & Nezach, quæ ibi inveniuntur.

§. 40. ד, articulus tertius Hodicus ad §. 34. pertinens; qui est articulus tertius Hodicus Matris supernæ, qui sub conceptu totius personæ superinvestit ראש *Arich*; notionemque pedis ejus sinistri, & hujus articulum tertium, sub notione Binah, Gebhurah & Hod, quæ ibi reperiuntur.

§. 41. Corolla Jesodica Matris supernæ, ad §. 35. pertinens; quæ superinvestit ראש *Arich Anpin*, sub Conceptu Corollæ Jesodicæ דס *Arich Anpin*, cum notionibus ejus, Daath, Tiphereth & Jesod, quæ ibi reperiuntur.

Corolla.

Figura V.

§. 1.

ORdo Imaginis זעיר Seir Anpin, quæ conſtat 248. membris, nempe 243. referunt numerum אברהם; & ſi accedit ה è Binah, quæ vocatur ה primum Tetragrammati, prodeunt 248. qui eſt numerus אברהם.

§. 2. Articulus ſupremus Nezach Materna, nempe Chochmah; quæ dividitur in tres partes: quarum prima eſt ח i.e. Chochmah, nimirum articulus ſupremus articuli ſuperni: & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן, Chochmah, Cheſed, Nezach; quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles חוֹכן, in figura depictos. Secunda eſt ח i.e. Cheſed, nimirum articulus ſecundus articuli ſuperni; & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן; quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles חוֹכן, in figura depictos. Tertia eſt נ, i.e. Nezach, nimirum articulus inferior articuli ſuperni: & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן; quorum ſinguli alios habent tres articulos, ſimiles חוֹכן, in figura depictos. Ecce, hic ſunt 27. Sephiræ ſpeciales, juxta 27. literas.

§. 3. Articulus ſupremus Hod Materna, nempe Binah; quæ dividitur in tres partes; quarum prima eſt ב, i.e. Binah, nimirum articulus ſupremus articuli ſuperni: & in eo iterum ſunt tres articuli בגה, Binah, Gebhurah, Hod; quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles בגה, in figura depictos. Secunda eſt ג Gebhurah, nimirum articulus ſecundus articuli ſuperni; & in eo iterum ſunt tres articuli בגה, quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles בגה, in figura depictos. Tertia eſt ה, i.e. Hod, nimirum articulus tertius articuli ſuperni, & in eo iterum ſunt tres articuli בגה, quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles בגה, in figura depictos. Ecce, hic habes 27. Sephiras ſpeciales, juxta 27. literas.

§. 4. Articulus ſupremus Jeſod Materna, nempe Daath; quæ dividitur in tres partes: quarum prima eſt ד, i.e. Daath, nimirum articulus ſupremus articuli ſuperni: & in eo iterum ſunt tres articuli דתי Daath, Tiphereth, Jeſod: quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles דתי, in figura depictos. Secunda eſt ת, i.e. Tiphereth, nimirum articulus ſecundus articuli ſuperni; & in eo iterum ſunt tres articuli דתי, quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles דתי, in figura depictos. Tertia eſt י i.e. Jeſod, nimirum articulus tertius articuli ſuperni; & in eo iterum ſunt tres arculi דתי, quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles דתי, in figura depictos. Ecce, hic ſunt 27. Sephiræ ſpeciales, juxta 27. literas.

§. 5. Articulus medius Nezach Materna, nempe Cheſed, quæ dividitur in tres partes; quarum prima eſt ח, i.e. Chochmah, nimirum articulus ſupremus articuli medii: & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן Chochmah, Cheſed, Nezach; quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles חוֹכן, in figura depictos. Secunda eſt ה, id eſt Cheſed, nimirum articulus ſecundus articuli medii: & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן; quorum ſinguli alios habent tres articulos, in figura depictos. Tertia eſt נ, i.e. Nezach, nimirum articulus tertius articuli medii: & in eo iterum ſunt tres articuli חוֹכן; quorum ſinguli alios habent tres articulos, in figura depictos. En 27. Sephiras ſpeciales, juxta 27. literas.

§. 6. Articulus medius Hod Materna, nempe Gebhurah; quæ dividitur in tres partes; quarum prima eſt ב, i.e. Binah, nimirum articulus ſupremus articuli medii; & in eo iterum ſunt tres articuli medii בגה Binah, Gebhurah, Hod; quorum ſinguli alios habent tres articulos ſimiles בגה, in figura depictos.

depictos. Secunda est ג, i. e. Gebhurah, nimirum articulus secundus articuli medii: & in eo iterum sunt tres articuli בגה; quorum singuli alios habent tres articulos; in figura depictos. Tertia est ה, i. e. Hod, nimirum articulus tertius articuli medii: & in eo iterum sunt tres articuli בגה; quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Ecce, 27. Sephiræ speciales, juxta 27. literas.

§. 7. Articulus inferior Jesod Maternæ, nempe Tiphereth; quæ dividitur in tres partes: quarum prima est ד, i. e. Daath, nimirum articulus supremus articuli medii, & in eo iterum sunt tres articuli medii דתי Daath, Tiphereth, Jesod: quorum singuli alios habent tres articulos similes דתי, in figura depictos. Secunda est ת, id est, Tiphereth, nimirum articulus secundus articuli medii; & in eo iterum sunt tres articuli דתי; quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Tertia est י, i. e. Jesod; nimirum articulus tertius articuli medii: & in eo iterum sunt tres articuli דתי; quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Ecce, hic sunt 27. Sephiræ speciales, juxta 27. literas.

§. 8. Articulus inferior Nezach Maternæ, nempe Nezach; quæ dividitur in tres partes: quarum prima est ח, i. e. Chochmah, nimirum articulus supremus articuli inferioris; & in eo iterum sunt tres articuli inferiores חחן Chochmah, Chesed, Nezach; quorum singuli alios habent tres articulos similes חחן, in figura depictos. Secunda est ח, i. e. Chesed, nimirum articulus secundus articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli חחן; quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Tertia est נ, id est Nezach; nimirum articulus tertius articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli חחן; quorum singuli alios habent tres articulos,

culos, in figura depictos. Ecce, hinc emergunt 81. Sephiræ, quæ referunt nomen כסא.

§. 9. Articulus inferior Hod Maternæ, nempe Hod; quæ dividitur in tres partes: quarum prima est ב, i. e. Binah, nimirum articulus supremus articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli inferiores בגה Binah, Gebhurah, Hod: quorum singuli alios habent tres articulos similes בגה, in figura depictos. Secunda est ג, i. e. Gebhurah, nimirum articulus secundus articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli בגה; quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Tertia est ה, i. e. Hod; nimirum articulus tertius articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli בגה, quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Ecce, hinc proveniunt 81. Sephiræ, quæ referunt nomen כסא.

§. 10. Corolla Jesod Maternæ, nempe Jesod; quæ dividitur in tres partes, quarum prima est ד, i. e. Daath, nimirum articulus supremus articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli דתי, Daath, Tiphereth, Jesod: quorum singuli alios habent tres articulos similes דתי, in figura depictos. Secunda est ת, i. e. Tiphereth, nimirum articulus secundus articuli inferioris: & in eo iterum sunt tres articuli דתי, quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos. Tertia est י, id est, Jesod, nimirum articulus tertius articuli inferioris; & in eo iterum sunt tres articuli דתי, quorum singuli alios habent tres articulos, in figura depictos.

Ecce hinc emergunt 81. Sephiræ, quæ referunt nomen כסא.

Figuræ

Figuræ VI.

Columna principalis.

§. 1.

COrolla Regis Tiphereth, item Tebhunæ, Jisraëlis Senis & *Arich Anpin*, ubi ipsa Kether כתר Seir Anpin. Hæc tria habet vasa; prout & omnes decem Sephiræ; nempe externum, (quæ est pars vasis ejus exterior;) estque Tetragrammaton plenû retrogradatum: יוד·הי·ויו·יוד·הי·ויו·יוד·הי medium, estq; ipsum Tetragrammaton עב h.m.: יוד·הי·ויו·הי, & tandem internum, nempe אהיה Hehatum, hoc modo: אלף·הי·יוד·הי.

§. 2. Loco Chochmah occurrit (1.) Cerebrum externum, nempe יוד·הא·ואו·הי. (2.) ipsa Chochmah media, nempe יוד·הא·יהוה·י. (3.) internum, nempe יוד·הי·ואו·הא, (4.) quòd à Nezach Tebhunæ & Jisraëlis Senis, nempe ab omnibus novem conceptibus eorum Nezachicis habeat 81. decades Sephirothicas. (5.) quòd sub infantia prima (cerebri loco) accipiat nomen אלהים, & in specie à Nezach Tebhunæ, Elohim Joddatum: h. m. אלף. למד·הי·יוד·מם. (6.) quòd sub adolescentia prima à Nezach Tebhunæ habeat Tetragrammaton עב. (7.) sub infantia secunda à Chesed Matris, Nomen אלהים diminutum, tribus mediis muratis cum antecedaneis h. m. אכלטם quatenus sunt literæ. (8.) sub adolescentia secunda à Chesed Matris Tetragrammaton עב.

§. 3. Loco Binah occurrit (1.) cerebrum occultum, nempe אהיה (2.) ipsa Binah media nempe אלף·הא·יוד·הא. (3.) internum אלף·הי·יוד·הי. (4.) quod ab Hod Tebhunæ & Jisraëlis Senis, nempe ab omnibus novem conceptibus eorum

eorum Hodicis, habeat 81. decades Sephirothicas. (5.) quod sub infantia prima (cerebri loco) accipiat nomen אלהים, & in specie ab Hod Tebhunæ Elohim Hehatum h. m. אלף. למד·הה·יוד·מם (6.) quod sub adolescentia prima ab Hod Tebhunæ habeat Tetragrammaton סג. (7.) sub infantia secunda à Gebhura Matris Nomen אלהים, adhuc diminutus; ita, ut loco trium mediarum ponatur illarum numerus גל, unde fit nomen אם גל, quatenus partim constat è literis, partim è numero. (8.) sub adolescentia secunda à Gebhurah Matris, Tetragrammaton סג.

§. 4. Loco Daath occurrit (1.) quod in Daath reperiatur cerebrum benignitatum, & cerebrum rigorum: ejusque externum sit Tetragrammaton בג: (2.) medium Tetragrammaton סג: (3.) internum Tetragrammaton עב: (4.) quod à Jesod Tebhunæ & Jisraëlis Senis, nempe ab omnibus novem conceptibus Jesodicis habeat 81. decades Sephirothicas. (5.) quod sub infantia prima (cerebri loco) accipiat nomen אלהים, & in specie à Jesod Tebhunæ, Elohim alephatum, h. m. אלף. למד·הא·יוד·מם cum hac distinctione: ut sub notione Chasadim ipsius א figuretur ex יוד, & sub notione Gebhuroth sub figura יוד (6.) quod sub adolescentia prima à Jesod Tebhunæ habeat notionem Benignitatum, nempe Tetragrammaton מה, & notionem Rigorum, nempe Tetragrammaton בג, i. e. Hehatum. (7.) sub infantia secunda nomen אלהים adhuc diminutius, ita, ut à Tiphereth Matris, sub notione Chasadim, accipiat nomen אכלטם, quatenus repræsentat numerum עוה 75. h. m. si numerentur literæ nominis אלהים, ter plenè scripti, unde fiunt literæ 39. & Tetragrammaton ter plenè scriptum; quæ sunt literæ 30. unde fiunt 69. & tandem addatur 6. nempe numerus sex istorum nominum; unde fiunt 75. Sed sub notione Gebhuroth ab eodem gradu accipit ipsum numerum אכלטם, nempe עוה 74.

Et huc refertur applicatio Phylacteriorum, secundùm mentem רבינו תם (8.) Sub adolescentia secunda à Tiphereth Matris notionem Chasadim, per Tetragrammaton מה; & notionem Gebhuroth, per Tetragrammaton בן. Et huc refertur applicatio Tephillin, juxta mentem רש"י seu R. Schlomoh Jarchi. (9.) In statu uterino autem duo tantum ipsi tribuuntur cerebra, & tunc vocatur אלם mutus, & non אלהים. (10.) Huc pertinet generalis notio literæ ; Tetragrammaticæ: unde fit Jezirah Systematis Aziluthici.

§. 5. Sub linea sequuntur (1.) Frons זעיר Seir Anpin, supra quam referuntur כ 27. Synedria, juxta numerum literarum: & infra eam manifestantur 22. literæ Alphabeticæ ordinariæ; unde splendor quinque Benignitatum & quinque Rigorum. (2.) Aures זעיר Seir Anpin; nempe auris dextra, à Binah זעיר Seir Anpin: & Auris sinistra, à Binah זעיר Seir Anpin, & Auris sinistra, à Seir Anpin. (3.) Oculi, nempe oculus dexter, qui denotat quinque Benignitates, provenientes à Daath: & oculus sinister, qui denotat quinque Gebhuroth, provenientes à Daath. (4.) Nasus זעיר Seir Anpin. (5.) Facies זעיר Seir Anpin ad dextram & sinistram: quò refertur numerus קן 150. proveniens ex nomine יה, multiplicato juxta decadem Sephirothicam: suntque 150. Lumina, prout in *Arich Anpin* sunt שע 370. prout adducitur in Idra magna h. l. qui numerus provenit ex nomine benignitatis אל, bis plenè scripto. (6.) Os זעיר Seir Anpin. (7.) Barba זעיר Seir Anpin; cujus partes huc illuc dispersæ, sunt sequentes, cum applicatione Textus Exod. 34, 6.

§. 6. (1.) Pars prima Barbæ, angulus אלהים: quò refertur ex dicto Textu vox אל DEUS, suntque crines, proximi capiti: Pars interna ejus est Binah Sapientiæ; pars ambiens, Malchuth Sapientiæ. (2.) Pars Secunda Barbæ est רחום Misericors: nempe crines labii superioris, & hujus pars interna est Chesed

Chesed Sapientiæ; & pars ambiens, Jesod Sapientiæ. (3.) pars tertia est וחנון & gratiosus, nempe, semita sub naso: cujus internum est Gebhurah sapientiæ, & pars ambiens, Hod sapientiæ. (4.) Pars quarta est ארך longus: nempe capilli labii inferioris: cujus pars interna est Tiphereth Sapientiæ; pars ambiens, Nezach sapientiæ. (5.) Pars quinta (in Figur. 7.) est אפים seu naribus: quod nempe barba dividatur per medium: ejusque pars interna est Nezach Sapientiæ: pars ambiens, Tiphereth. (6.) Pars Sexta est ורב חסד & multus misericordia, nempe crinis, per latitudinem maxillæ; cujus pars interna est Hod sapientiæ; pars ambiens, Gebhurah sapientiæ. (7.) Pars septima est ואמת & veritate: nempe locus genarum crinibus nudus: (huc referatur Facies Seirica, de qua supra §. 4. num. 5.) (8.) Pars & influentia octava est נצר חסד servans misericordiam; est Tetragrammaton עב; nempe pars Barbæ anterior manifesta, cujus internum est Malchuth Sapientiæ: ambiens, Chesed Coronæ. (9.) Pars nona (Figur. 7.) est לאלפים millibus: Crines minuti, absorpti in ipsa Barba; cujus pars interna est Gebhurah Coronæ; & ambiens, Hod Coronæ (10.) Pars decima est נושא עון ferens iniquitatem: Crines parvi sub gutture: cujus pars interna est Tiphereth Coronæ; & ambiens, Nezach Coronæ. (11.) Pars undecima, (Fig. 7.) est, ופשע & prævaricationem: quòd crines dependeant æqualiter: cujus pars interna est Nezach Coronæ; & ambiens, Tiphereth Coronæ (12.) Pars duodecima est וחטאה & peccatum. Quod os liberum est, nec pilis tectum: cujus internum est Hod Coronæ; & ambiens, Gebhurah Coronæ. (13.) Pars decima tertia, ונקה & innocentem judicando: pars Barbæ altera, occultata. Ejus internum est Jesod Coronæ; & ambiens, Chesed Coronæ.

§. 7. Sequitur (1) Guttur Seir Anpin, unde fiunt cerebra infantiæ, expulsa ab adolescentiis, nempe tria אלהים

de

de Jesod תוך *Arich.* (2.) Chesed, divisa in tres articulos: ubi primus, denotatus per ק, est articulus primus brachii dextri תוך Seir, qui in se continet articulum primum articuli primi pedis dextri תוך *Arich*, & Jisraël Sabha & Tebhunah. Secundus, denotatus per ם, est articulus secundus brachii dextri Seir Anpin, & in se continet articulum secundum articuli secundi, pedis dextri תוך *Arich*, & Jisraëlis Senis & Tebhunæ. Tertius, (Figur. 7.) denotatus per ר, est articulus tertius brachii dextri תוך Seir, qui superinvestit articulum tertium articuli tertii pedis dextri תוך *Arich*, & Jisraël Sabha, & Tebhunah; & hæc dicitur Chesed prima.

§. 8. Sequitur Gebhurah, & quidem (1.) Articulus ejus primus, denotatus per ל, estque articulus primus brachii sinistri תוך Seir, qui superinvestit articulum primum articuli primi pedis sinistri תוך *Arich*, Jisraël Sabha, & Tebhuna (2.) articulus ejus secundus, denotatus per מן: estque articulus secundus brachii sinistri תוך Seir, & vestit articulum secundum articuli secundi, pedis sinistri תוך *Arich*, & Jisraël Sabha & Tebhunah. (3.) articulus ejus tertius, (Figur. 7.) denotatus per רה, estque articulus tertius brachii sinistri Seirici, qui superinvestit partem tertiam articuli tertii, pedis sinistri in *Arich Anpin*, & Jisraël Sabha, & Tebhunah: & hæc dicitur Chesed secunda.

Columna sinistra Fig. 6.

§. 9. Columna hâc repræsentatur Leah, & quidem intra circulum, (1.) Corona Leæ; ubi applicatur nodus Phylacteriorum, è regione Daath Seiricæ, ubi est Malchuth Tebhunæ. (2.) Oculi Leæ teneri, Gen. 29, 17. provenientes ex Nezach Hod Tebhunæ; quæ reperiuntur in Chesed & Gebhurah Seiricis.

§. 10.

§. 10. Sequitur (1.) Chochmah Leæ è regione articuli primi brachii dextri Seirici. (2.) Binah, è regione articuli primi sinistri Seirici (3.) Daath, è regione Tiphereth Seiricæ; & supra hanc simul notatur, quod sit קל levis, prout in omnibus mulieribus. (4.) Chesed, è regione articuli secundi brachii dextri Seirici. (5.) Gebhurah, è regione articuli secundi brachii sinistri Seirici (6.) Nezach, è regione articuli tertii brachii dextri Seirici. (7.) Hod, è regione articuli tertii brachii sinistri Seirici.

Figur. VII.

Columna principalis.

§. 1.

SEquitur (1.) Tiphereth, ejusque pars prima חפ, quæ vocatur Chesed tertia, ejusque tertia abscondita: estque pars prima Tipherethica in Seir, quæ superinvestit partem primam, membri secundi Jesodici in *Arich Anpin.* (2.) Diaphragma in Seir; ubi etiam (3.) locum habet Jesod superius Jisraëlis.

§. 2. Pars altera Tiphereth, denotata per אורית; ubi duæ tertiæ (ad dextram & sinistram) benignitatis tertiæ, quæ dicuntur manifestæ: suntque pars secunda & tertia Tipherethicæ in Seir Anpin, quibus superintegitur pars secunda membri secundi Jesodici, in *Arich Anpin.*

§. 3. Et abhinc, & porrò deorsum vocatur Jeschurun; ubi occurrit (1.) Nezach, & in specie נ, Articulus primus pedis dextri in Seir, qui vestit articulum primum articuli tertii pedis dextri in *Arich*, & Jisraël Sabha & Tebhunah. (2.) ש; articulus secundus pedis dextri in Seir, qui superintegit articulum secundum articuli tertii pedis dextri in *Arich*, Jisraël Sabha, & Tebhunah. (3.) ת articulus tertius pedis

 dextri

dextri Seirici, qui obvelat articulum tertium articuli tertii pedis dextri in *Arich*, Jisraël Sabha & Tebhunah. Et hæc vocatur Chesed quarta manifesta.

§. 4. In Hod pariter occurrit (1.) ה, articulus primus pedis sinistri Seirici, qui superinvestit articulum primum articuli tertii pedis sinistri in *Arich*, יִ & Tebhunah. (2.) ו articulus secundus pedis sinistri Seirici, qui superintegit articulum secundum articuli tertii pedis sinistri in אֲ, יִ & Tebhunah. (3.) ד. Articulus tertius pedis sinistri Seirici, qui tegit articulum tertium, articuli tertii pedis sinistri in אֲ יִ & מִ: & hæc est Chesed quinta manifesta.

§. 5. In Jesod eodem modo occurrit (1.) Pars prima יִ articulus primus Jesod Seirici, qui vestit articulum primum articuli tertii Jesod in *Arich*, & Jisraël Sabha. Et hic locum habet collectio quinque Benignitatum. (2.) ו articulus secundus Jesod Seirici, quo vestitur articulus secundus partis tertiæ Jesod in *Arich*, & יִ (3.) ד articulus tertius Jesod Seirici, quo velatur articulus tertius partis tertiæ Jesod in *Arich*, & יִ. Et huc refertur corolla, cui nomen Ephraim, & collectio quinque Gebhurarum.

Columnæ secundariæ pars dextra.

§. 6. Hic repræsentatur Persona *Jacob*, & quidem (1.) Kether *Jacobi*, è regione Tiphereth Seiricæ. Et huic etiam tribuuntur tredecim formationes. (2.) Chochmah, è regione articuli primi Nezach Seiricæ. (3.) Binah, è regione articuli primi Hod Seiricæ. (4.) Daath, è regione articuli primi Jesod Seirici. (5.) Chesed, è regione articuli secundi Nezach Seiricæ. (6.) Gebhurah, è regione articuli secundi Hod Seiricæ. (7.) Tiphereth, è regione articuli secundi Jesod Seirici. (8.) Nezach, è regione articuli tertii Nezach Seiricæ. (9.) Hod, è regione articuli tertii Hod Seiricæ. (10.) Jesod,

Jesod, è regione articuli tertii Jesod Seirici. (11.) Corolla, è regione corollæ Seiricæ.

Columnæ secundariæ pars sinistra.

§. 7. Hic repræsentatur *Rachel*, & quidem (1.) supra circulú, Malchuth Leæ: qui locus vocatur nomine capillorum *Rachelis*. (2.) intra circulum, Kether *Rachelis*: quò refertur Phylacterium manus: & Tetragrammaton יִ: item He ultimum Tetragrammati: estque Asiah Systematis Aziluthici: eique tribuuntur sex conformationes, & sex gradus. (3.) infra circulum, Chochmah, è regione articuli primi Nezach Seiricæ. (4.) Binah, è regione articuli primi Hod Seiricæ. (5.) Daath, quæ vocatur דַּק levis, constans è quinque Gebhuris: è regione partis primæ Jesod Seirici. (6.) Chesed, quæ dicitur Gebhurah prima, è regione articuli secundi Nezach Seiricæ. (7.) Gebhurah, quæ dicitur Gebhurah secunda, è regione articuli secundi Hod Seiricæ. (8.) Tiphereth, quæ dicitur Gebhurah tertia, è regione articuli secundi Jesod Seirici. (9.) Nezach, Gebhurah quarta, è regione articuli tertii Nezach Seiricæ. (10.) Hod, Gebhurah quinta, è regione articuli tertii. (11.) Loco Jesod est Atarah seu Corolla, è regione Corollæ Jesod Seirici; quo refertur nomen Jeruschalaim. Atque sic finita est Arbor, vel Tabula Cabbalistica prima, quæ prolixè & accuratè satis repræsentat Hypothesin recentissimam è Manuscriptis R. Jizchak Lorjensis: & pro commoditate inspectionis in unam Tabulam magnam, conglutinatis omnibus septem figuris, concinnari potest.

Figura VIII.

§. 1.

SEquitur Arbor, vel Tabula Cabbalistica secunda, quæ desumta est ex Libro illo celebri, Emek hammelech; ejusque Capite ultimo & finali, quod continet anacephalæosin totius Tractatus: & constat figuris quinque, 8. 9. 10. 11. 12. quæ etiam quidem proponunt Hypothesin Lorjensem; sed paucis mutatis è Manuscriptis aliis.

§. 2. Primò ergo occurrit ille, de quo Daniel. 2, 22. dicitur, quod ipse revelet profunda & abstrusa; & noverit, quid sit in tenebrositate, & apud quem maneat Lux, nimirum Æn-Soph; principium illud arbitrarium & agens liberrimum, quod est Caligo simplicissima occulta oculis omnium viventium: non enim videtur, nec manifestatur, ob nimiam sui profunditatem & tenebrositatem: ita, ut etiam, quà talis, manifestam Mundorum productionem non potuisset instituere.

§. 3. Hinc produxit lucem de luce, per aliquod sui vestigium, & prospexit naturis producendis, per lucis suæ amotionem, gradatim institutam; quamvis ipse semper maneat idem, etiamsi lucem providentiæ suæ variare videatur; quia sic gradatim manifestavit scibilia, antea tenebrosa: & ita quidem, ut nemo tamen dicere queat, lucem istam ab ipso esse separatam, vel diversam: unde Propheta dicit, quod lux cum ipso habitet; i. e. ab ipso evibretur, & omnia tamen maneant in unitate. Circulo secundo ergo repræsentatur lux Infiniti, quam agens illud liberrimum produxit per aliquod sui vestigium.

§. 4. Circulo tertio occurrit Systema vestimenti, è vestigio facti; quo evacuatus est locus pro Mundis, qui dicitur mundus primus inter mundos Æn-Sophicos. Et hanc lucem promi-

promicare jussit, sub symbolis literarum Alphabethi, cum ipsarum combinationibus: ita, ut singulis classibus attribuantur Sephiræ & nomina Tetragrammatica. Quæ Sephiræ Systematis vestimenti cum 231. portis, vel Classibus à priori: & 231. classibus à posteriori, sunt sequentes. Nempe (1.) sub Kether proponitur revolutio literæ Aleph, quatenus cum omnibus literis Alphabethi combinatur, quæ Classis e.g. ita se habet:

עֹב

אב גד הו זח טי כל מנ סע פצ קר שת י
אג דה וז חט יכ למ נס עפ צק רש תב ו
אד הו זח טי כל מנ סע פצ קר שת בג ד
אה וז חט יכ למ נס עפ צק רש תב גד ה
או זח טי כל מנ סע פצ קר שת בג דה י
אז חט יכ למ נס עפ צק רש תב גד הו ו
אח טי כל מנ סע פצ קר שת בג דה וז י
אט יכ למ נס עפ צק רש תב גד הו זח ו
אי כל מנ סע פצ קר שת בג דה וז חט ה
אכ למ נס עפ צק רש תב גד הו זח טי י
אל מנ סע פצ קר שת בג דה וז חט יכ יה

סֹא

אם נס עפ צק רש תב גד הו זח טי כל י
אן סע פץ קר שת בג דה וז חט יד לם ו
אס עפ צק רש תב גד הו זח טי כל מן ד
אע פץ קר שת בג דה וז חט יד למ נס ת
אפ צק רש תב גד הו זח טי כל מן סע י
אץ קר שת בג דה וז חט יד לס נס עפ ו
אק רש תב גד הו זח טי כל מן סע פץ א
אר שת בג דה וז חט יד לס נס עפ צק ו
אש תב גד הו זח טי כל מן סע פץ קר ה
את בג דה וז חט יד לס נס עפ צק רש י

Et sic porrò per totum Alphabethum: & hæc classis à combinatione quasi media vocatur אל. Vid. Librum Emek hammelech, Porta prim. cap. 5. fol. 4. cujus verba sunt hæc: Lex prior construitur è numero 231. bis sumpto, quæ sunt Alphabetha antrorsum & retrorsum scripta: proceduntque & extenduntur secundùm longitudinem, donec Thav vestimenti inferius attingat finem circuli, ubi nimirum iterum incipit Æn-Soph. Et hæc vocatur Longitudo vestimenti. Secundùm latitudinem verò attexuntur literæ יהוה centri loco; nimir. יה antrorsum, וה retrorsum: sicut & plenitudines ejus סג עב, i.e. potestatis 72. & 63. antrorsum locantur: nimirum עב supra centrum, & סג infra illud, quæ nimirum sunt 20. literæ: ita, ut quælibet litera cuilibet Alphabetho stationem & lineam suam confirmet: sine hoc enim literæ suam non haberent firmitatem, propter nimiam Chartæ lucem, quæ est ipsa substantia. Atque hoc est mysterium: Fuit, est, & erit; ad denotandam firmitatem literarum, quam corroborat Nomen יהוה, supra dictum, in plenitudinibus suis, juxta Alphabetha supra dicta. Atque sic מה & בן firmitatem dant 331. Alphabethis retrorsum scriptis: ita, ut 10. supra literas וה, quæ est vitalitas centri, quod est anima atque vita ipsius Turmæ Alphabethicæ, nimirum אל מם in medio; & 10. infra illud. Et nomen יהוה in 4. plenitudinibus suis comprehendit omnes Mundos; quoniam per עב ædificatur Mundus Aziluth, & per סג Briah, per מה autem Jezirah, & per בן Asiah. Ista enim sunt radix, massa, fundamentum, vita, stabilitas, & statio omnium Mundorum, qui infra ea. Et quatuor illa nomina ascendunt ad numerum 232. qui convenit cum numero 231. adjungendo generalitatem Alphabethi אל מם.

§. 5. Et postquam facta erat vestis hæc, contraxit eam Deus, ita, ut medietatem inferiorem 231. posteriorum elevaret

varet post medietatem superiorem 331. portarum anteriorum: & hac ratione evacuavit locum pro mundis; qui ea non erant capacitate, ut uti possent luce illâ magnâ vestimenti hujus. Sumpsit ergo finem ejus in manum, elevavitque, usque ad ejusdem initium: nimirum ordinem, qui est à Lamed usque ad Thav, reposuit post medietatem ordinis, ab Aleph usque ad Lamed; ita, ut post אל reponeretur לא; post מם pariter מב &c. prout planius figura edocet: & hoc modo 21. Lamedin ascenderunt post 21. Alephin, & 21. Memin post 21. Bethin, &c. Et sic facti sunt mas & fœmina, nempe anterius & posterius, adhærentia sibi invicem; suntque 11. personæ, nimirum persona אל est Kether, & masculus sub notione anterioris; & לא Kether, sub notione posterioris, & ita porrò. Et sicut medietas vestimenti Alphabethi posterioris ascendit post medietatem primam, ita nomina מה & בן, quæ sunt 19. Literæ, abierunt post עב & סג, quæ sunt 20. literæ: unde patet, quòd Jod plenitudinis יה ultimi in סג residua manserit infra, citra consortem: de quo part. II. Appar. p. 150. Thes. 6.

§. 6. In hac Tabula hoc etiam notandum, quòd in posterioribus ad Gebhuram referatur Combinatio פי, qui est numerus nominis אלהים 86. Item, ad Tiphereth applicetur combinatio יג, qui est numerus duorum nominum אל אדני 97. additâ unitate.

Figura IX.

§. 1.

Figurâ hâc repræsentatur mundus vestimenti, prout fuit illo tempore, cum Deus conduplicaret vestem suam, medietate unâ reductâ post medietatem alterius; quæ vocatur contractio prima. In summitate Figuræ autem repræsentatur

tur litera ultima ה, quasi extremitas personæ כת, quæ est Malchuth mundi vestis, cujus pedes extenduntur in Aërem primum pro necessitate mundi: de quibus vide latiùs Emek hammelech sect. 2. c. 7. Intra quadratum autem repræsentatur locus vacuus, qui vocatur spatium primum, sive vestigium supremum. Estque Mundus secundus è Mundis Æn-Sophicis: de quibus omnibus sic loquitur Autor Libri Emek Ham-Melech, Section. 2. Cap. 2. fol. 11. b. Locus iste vacuus erat quadratus: & vocatur spatium primum; quia primum est inter omnia. Et in Sohar vocatur אוירא קדמאה aura vel spatium primum. Item, רשימו עילאה seu vestigium sublime. Et quia fundamentum lucis vestimenti desumptum est ex Tetragrammato; juxta quatuor ejus plenitudines, quæ sunt radix, cardo & massa quatuor Mundorum אבי״ע, correspondentium quatuor literis ejus: hinc apex summus correspondet Mundis Æn-Soph. Item capit. 3. cùm è quatuor literis prodeant quatuor plenitudines עב״ם מה״ן, unde creati sunt Mundi אבי״ע; ideo locus iste est quadratus. Hinc in quatuor Angulis reperiuntur quatuor plenitudines Tetragrammaticæ, quæ supereminent & apparent supra circulum כדור המחיצו Sphæræ splendoris, quæ extat in medio ejus. Et Sphæra ista est circularis: spatium primum autem quadratum, quod à Philosophis vocatur anima Mundi. ib. cap. 4. Item porrò capite 5. Nomen autem spatii primi est יגמ״ם, id est, tredecim Memin: sicut enim Mem Clausum comprehendit omnia; sic aër hic primus omnia ambit. Et quia aër primus tenuis admodum est & circundatus ab Æn-Soph; hinc vocatur מם, cujus plenitudo ipsi literæ similis est, citra omnem discrepantiam; sicut nulla etiam est diversitas inter Æn-Soph, & id, quod ipsi vicinum est, ipsique adhæret. Habet autem tredecim literas, quoniam fit ex Jod, quod est opifex Sancti illius benedicti. Jod autem ita factum

factum est, sicut dicit R. Schimeon Jochaides multis in locis: Apex suprà, apex infra, & corpus in medio: i. e. punctum superius, punctum inferius, & inter hæc, medium. Et competit aëri primo portio quædam de Jod supra dicto, ex nomine סג״ם: Unde patet, quòd juxta 3. notiones partium Jod, tria nomina Tetragrammatica simplicia hic extent, quæ sunt 12. literæ; & si addas totum, quod denotat Æn-Soph, qui ipsas compingit, habebis 13. literas. Et istæ tredecim literæ radix sunt omnium tredenariorum, quæ deinde occurrunt in mundo disposito; ut sunt 13. dispositiones Barbæ *Arich Anpin*; & 13. quæ in Seir Anpin, cùm ex *Arich Anpin* 4. in ipsum descendunt: nam aliàs Seir Anpin non nisi novem habet: & è Seir Anpin descendunt in Malchuth. Malchuth enim non nisi 6. dispositiones habet, juxta id, quod scribitur 1. Reg. 10, 19. Sex gradus erant solio. Et istæ non competunt ipsi sub mysterio barbæ; ipsa enim barbam non habet: sed sub notione dispositionum ipsius. Et ab illa promanant deorsum in Mundum Briah; unde 13. fluvii balsami puri, qui sunt merces bona justorum. Item capite 6. Jam scito autem, quòd aër primus totus sit אין, quoniam non est factus nisi per privationem & sublationem lucis dimidii vestimenti, quod vestigium ibi reliquit, sicut diximus. Et istud vestigium est אין non-Ens: & tamen respectu non-Entis simpliciter ita dicti, quod antea aderat, vocatur Ens; Nec tamen est ens perfectum, sed tantùm spatium aëreum, quod non percipitur, imò ne videtur quidem: Lux enim quamvis non percipiatur, ad minimum tamen videtur: sed aër iste abstrahit ab utroque, & nec percipitur, nec videtur.

Figura X.

§. 1.

HIc repræsentatur Systema vestimenti conduplicati: In quo locatus est Adam primus occultus, qui circundat splendorem dictum: habetque decem circulos, & decem interstitia, de quibus in Emek hammelech, sect. 4. c. 6.

§. 2. Sequuntur autem intra circulos; decem Sephiroth Sphæræ & orbis Systematis Tehiruthici, seu splendoris & eorum, quæ ex hoc producta sunt, de quibus in Emek hammelech sect. 5. c. 3. verba sunt hæc: Sphæra splendoris est finis graduum occultorum, & in se comprehendit 10. colores, quæ sunt 10. ejus Sephiroth: Suntque ipsa substantia ejus, & scaturiunt è medio caliginis, cujus meminit Liber Fons Sapientiæ, quem composuit Moses Magister noster s. q. p. Caligo autem nihil est aliud, nisi occultum absolutè. Ibi autem dicitur, quæ sint istæ: Lux de luce, Splendor de splendore, Fulgor de fulgore. Id & scito, quod אור Lux præstantior, quàm זוהר splendor; & splendor præstantior quàm זיו fulgor. Appellat autem primam lucem mirabilem, quæ est Kether: & secundam נסתר occultam, quæ est Chochmah; & tertiam, coruscantem, quæ est Binah. Et sensus est: tres primas illas sine dubio esse Kether, Chochmah, Binah, atque æquales; quoniam in tribus illis, vas & substantia unum & idem sunt: & simul conrescunt, nec separantur. Ulteriùs, quartam vocat lucem subtilem & claram; & hic est splendor de luce. Quintam, lucem clarefactam; quæ est lux de splendore. Et hæ sunt Gedulah & Gebhurah, quæ proveniunt è coruscatione Coronæ & Sapientiæ simul sumptarum. Et splendor de luce præstantior est, quàm lux de splendore, quia omnia judicanda sunt secundùm Fundamentum. Atque sic in prima vas est splendor, & ipsa substantia,

tia, Lux in altera, ordine inverso: atque ita in omnibus specialibus & partibus, quarum fiet mentio. Porrò, sextam appellat lucem splendentem: atque hic est fulgor de luce. Septimam, lucem depuratam, & hæc est lux de fulgore, i. e. è coruscatione Coronæ & intelligentiæ simul sumptarum producitur Tiphereth, quæ splendescit de Chochmah, ut filius subjectus patri suo: & Nezach lux depurata, quasi dicat, argento fuso similis, in quo scoriæ nullæ immistæ sunt. Deinde octavam vocat lucem claram & clarefactam, qui est fulgor de splendore: nonam autem lucem fulgidam, qui est splendor de fulgore. Sensus est, quòd ex coruscatione Sapientiæ & Intelligentiæ, simul sumptarum, producatur Jesod, combinans Latera & Hod, בהיר fulgens in æthere, è phrasi fulgentissimæ albedinis; quæ tamen non usque adeo defecata. Tandem decimam vocat lucem נוגה serenam. Et hæc est claritas de claritate. Sensus est, quod ex coruscatione trium primarum, quæ sunt lux ipsa septem inferiorum affulgens iis, producatur ignis niger, nempe Malchuth, finis ultimarum, ex igne albo nempe Binah, quæ est ultima primarum, unde in hac vas & substantia æquales sunt.

§. 3. In medio autem est nomen ipsius Sphæræ Tehiruthicæ seu splendoris, quæ ambit omnes mundos sub ADAMO PRIMO occulto. Vide Theses Cabbalisticas Apparat. P. II. pag. 150. Thes. 5. seqq.

Figura XI.

§. 1.

PRoducto (1.) vestimento; (2.) factâque ejus conduplicatione, (3.) ut relinqueretur locus Mundorum, qui dicitur אויר קדמון; (4.) productoque intra istum ADAMO PRIMO occulto,

occulto, (5.) & intra hunc naturâ illâ ſplendidâ, quæ טהירו dicitur, quam agens illud ſummum liberrimum produxit per literam Jod plenitudinis He ultimi Tetragrammati סג; quæque circundat omnes mundos, quotquot reperiuntur ſub ADAMO PRIMO occulto, à ſummo ad imum, ad illum usque locum, ubi iterum incipit Æn-Soph: deinde (6.) intra hanc Sphæram ſplendidam emanare fecit decem Sephiras Mundi Tohu.

§. 2. Mundus autem Tohu diſtinguitur in tres Sephiras ſuperiores, & ſeptem inferiores. Et ſeptem quidem inferiores confractæ ſunt.

§. 3. Sed Kether non quidem confracta fuit: ſed paſſa eſt aliquam debilitationem virium; quia non potuit ſuffere omnem lucem intra ſe ſuſceptam: & ab illa deſcenderunt decidua quædam, quæ aſſervantur pro ſeculo venturo in uſum Roris, ad reſuſcitandum mortuos.

§. 4. Sed Chochmah & Binah paſſæ ſunt fiſſuras quasdam ad inſtar tritici vel hordei. Namque & חטה eſt 22. Numerus literarum in genere, quæ ipſa generalitas quoque non minus paſſa eſt aliquid, quam ipſæ literæ, quæ ſunt vaſa, planè confracta. Vid. Emek Ham-Melech Sect. 6. cap. 14. & ſeqq.

§. 5. E ſeptem autem inferioribus confractis fragmenta deſcenderunt; & effecerunt tres turmas ſive ſpecies rigorum vel juris, in loco illo, ubi nunc eſt בינה; quæ vocantur בני אלהים filii Elohim. Lux autem interior reverſa eſt ſurſum.

§. 6. E fragmentis autem dictis fabricatus eſt mundus foraminis Abyſſi magnæ. Et iſta fragmenta ſunt Radix mali, ut eſſet liberum arbitrium in Mundo hoc, qui tam bonus eſt, quàm malus. Et huc pertinet illud Rabbinorum: Deus exſtruxit Mundos, eosque iterum deſtruxit, &c.

Figura

Figura XII.

§. 1.

DEinde emanavit (1.) ADAM KADMON ſecundus ex Corona Coronæ (2.) רושא דאין ſeu caput, quod quaſi non eſt, è Chochmah Coronæ: & (3.) רישא דאריך Caput in *Arich Anpin*, è Binah Coronæ. Vid. Apparat. P. II. p. 155. 156. Th. 55. 56. 57. 58.

§. 2. Deinde autem reſtaurabat, quod deſtruxerat, creabatque è decem Sephiris vel punctis quinque perſonas Syſtematis Azilûthici, de quibus dicitur Geneſ. 5, 2. בהבראם per quinque creavit eos.

§. 3. Ex Kether autem formatus eſt ATTIK JOMIN, (qui repræſentatur ſub circello,) qui eſt *Arich Anpin*; qui in ſe continet tria illa capita, è regione faciei ejus depicta: nempe רישא דלא, Caput, quod non cognoſcitur: רושא דאין, caput, quod quaſi non eſt: & רישא דאריך, ſeu caput *Arich*, per decades ſuas Sephirothicas diſtincta.

§. 4. Formabat autem in capite ejus ſeptem formas vel partes capitis, (Vide figuras duas parvas Sephirothicas cum appictis literis ſeptem Tikkunim; & ad locum Kether appiuge literam ג.) quales ſunt (1.) ג, i. e. גולגלתא, cranium. (2.) ט, ſeu טל Ros. (3.) ק, i. e. קרומא ſeu meninx. (4.) ר, i. e. רעוא benevolentia, ſeu frons. (5.) ע, i. e. עמר נקי lana pura, ſeu capillus tredecim cincinnorum. (6.) עי, id eſt, עינא פקיחא oculus apertus, & tandem (7.) ח, i. e. חוטמא naſus: de quibus omnibus prolixè agitur in Idra magna, in Sohar Naſo fol. 61. col. c. ſeqq.

§. 5. Et ecce (1.) cranium factum eſt ex Corona דר *Arich Anpin*, & corona capitis ejus, quod quaſi non eſt, per Chaſed Malchuth דר ADAM KADMON; & (2.) Ros cryſtalli-

nus factus est ex Chochmah חכמה Æn & *Arich*, per Gebhuram Malchuth ADAMI PRIMI: & (3.) Membrana auræ tenuis facta est ex Binah בינה *Arich Anpin*, per Tiphereth תפארת Malchuth ADAMI PRIMI: Et (4.) benevolentia benevolentiarum facta est ex Chesed & Nezach נצח Æn & *Arich*, per Nezach נצח Malchuth ADAMI PRIMI. Et (5.) Lana pura facta est ex Gebhurah & Hod הוד Æn & *Arich*, per Hod הוד Malchuth ADAMI PRIMI: & (6.) Oculus apertus factus est ex Daath, & Tiphereth, & Jesod יסוד Æn & *Arich*, per Jesod יסוד Malchuth ADAMI PRIMI & (7.) Nasus, qui dicitur פרישקא factus ex Malchuth מלכות Æn & *Arich*, per Malchuth ADAM KADMON. Et hoc est caput, quod illuminat totum Mundum Aziluthicum. Et crines ejus extenduntur ex Tikkun Lanæ puræ.

§. 6. Sed tredecim Tikkunim vel formæ & partes Barbæ מלכות Æn & *Arich*, describuntur Textibus sacris; nempe in Propheta Mich. c. 7, 18. extant partes Barbæ in Æn, prout tredecim cognomina miserandi Exod. 34, 6. pertinent ad Barbam in *Arich*, quorum ordinem exhibet figura. Confer Fig. 3. §. 5. & Fig. 6. §. 5.

§. 7. Deinde facti sunt Abba ve Imma, quos barba contegit extrinsecus: suntque duæ partes הוד seu octava, & נקודה seu decima tertia: quoniam barba dependet usque ad foveam pectoris in *Arich*; quousque etiam pertingunt Abba velimma, ut docet figura.

§. 8. Quandoque autem, tempore nimirum benevolentiæ, cum nos bonis nostris operibus elevamus aquas fœmininas; Pater & Mater copulantur per collisionem duarum dictarum influentiarum, octavæ & decimæ tertiæ: & exhinc generantur duo cerebra, uniunturque in duas coronas, prodeuntes ex conformationibus capitis & Barbæ, per duas influentias dictas. Et tunc manifestantur duæ personæ יש, Jisraël Sabba, & תב seu Tebhunah; quæ investiunt *Arich* à fovea

fovea pectoris ejus, & porrò deorsum. Pater autem & Mater sunt Chochmah & Binah Systematis Aziluthici.

§. 9. Sed è sex Sephiris sequentibus, nempe à Chesed usque ad Jesod, fit persona Seir Anpin, per congressum Patris & Matris.

§. 10. Et è puncto Malchuth Mundi Tohu fit persona Leæ, & sub illa Persona *Rachel*: nempe *Rachel* prodiit post עיבור seu statum uterinum primum; juncta מלכות Seir, ubi vocatur *Jaacobh*, à tergo, à fovea pectoris, & porrò deorsum. Leah autem prodiit cum ipso è statu uterino secundo, ab initio cervicis, & loco officuli לוז, usque ad foveam pectoris, ubi caput *Rachelis* est. Ambæ autem cum ipso formatæ sunt, quatenus concipitur adhuc substitisse in Utero, tam primo, quàm secundo, inque infantia prima & secunda, & adolescentia prima & secunda. Deinde autem prodierunt quinque benignitates, & quinque rigores pro congressu ejus cum Uxore.

§. 11. Deinde autem factum est diaphragma quoddam, quasi velum inter mundum Aziluth, & Mundum Briah, cujus locum, sicut & locum קליפות, hic solummodo attigisse sufficiat.

Figura XIII.

§. 1.

Hic incipit Tabula nova, quæ est arbor Tertia Cabbalistica: ubi num. (1.) denotatur lux Infiniti, (2.) caput, quod non cognoscitur (3.) locatur *Arich Anpin*, & quidem ad dextram primò: de cujus formatione vid. Apparat. P. I. p. 636. no. 5. quod nempe sibi selegerit omnes Nekudoth, seu notiones punctorum nominis מוח, seu gradum ejus Chochmah: un-

de factum est mysterium masculi in *Arich Anpin*, ad partem ejus dextram: ita, ut omnes situs, tam partis anterioris quàm posterioris, qui in latere dextro, sint de nomine מֹה, & tantùm sexus masculini. Sed no. 3. ad sinistram locato, denotatur pars fœminina in *Arich Anpin*, quæ latus ejus sinistrum occupat: sibique selegit structuram suam de nomine בֵּן, nempe quinque inferiores coronæ nominis בֵּן, quæ sunt à Tipherech, & porrò deorsum: unde totum latus sinistrum, tam quoad partem anteriorem, quàm quoad posteriorem provenit de nomine בֵּן, & notionem habet solummodo fœmininam. (4.) Sed de parte infima nominis מֹה extenduntur in *Arich Anpin*, septem partes capitis גַּלֵּי קַרְקַע פֹּה, de quibus supra figura 12. §. 4. (5.) cùm paulò interius ATTIK sibi selegisset coronam nominis מֹה: & de nomine בֵּן quinque primas Sephiræ Kether; & tres primas Chochmæ, & quatuor primas Binæ: Et septem Coronas septem inferiorum. Vid. Apparat. P. I. p. 636. §. 4. (6.) apparet in capite *Arich* discriminatio capillorum: (7.) benevolentia benevolentiarum, seu frons de Jesod ATTIK JOMIN. (8.) sunt tredecim cincinni, qui sunt quasi vestis 13. albedinum cerebri in ATTIK JOMIN; de quibus in Idra; nempe Lana munda, ubi capilli copiosi dependent æqualiter. (9.) Oculus è נה in ATTIK JOMIN. (10.) Nasus è Malchuth. (11.) Corona in *Arich*, seu cranium fit ex Chesed *Arich Anpin*, estque quasi Neschamah, & ambiens superior in *Arich*: dividitur autem in tres conceptus: quorum primus est lux interna; estque Tetragrammaton עָב, (quod semper Neschamæ naturam habet.) sed ita: ut literæ tantùm fundamentales punctentur, nempe Jod per Cholem, He per Zere, vav per Kamez & He iterum per Zere, h. m. יוֹד הֵי וָיו הֵי: reliquis literis sine punctis manentibus. Secundus est lux ambiens

biens etiam Tetragrammati עָב, sed ita, ut punctentur omnes literæ, hoc tamen modo: ut e. g. omnes tres literæ in יוֹד punctentur per Cholem, & ambæ in הֵי per Zere; & omnes in וָיו per Kamez; & ambæ הֵי ultimi per Zere. Tertius est ambiens superior etiam עָב, sed ita punctatum, ut literæ fundamentales habeant puncta sua ordinaria Cholem, Zere, Kamez, Zere: sed reliquæ literæ plenitudinis omnes punctentur per Kamez, h. m. יוֹד הֵי וָיו הֵי: & hæc est corona in *Arich*, sub notione ipsius lucis. Sed similes tres conceptus etiam reperiuntur in vasis istius cranii: suntque tria etiam nomina jodata, sed ex אהיה; quia אהיה est vas & receptaculum nominis יהוה: Puncta autem hic adhibentur eadem quæ in prioribus: & eodem modo repræsentant partem vasis internam, ambientem, & ambientem supremam. Suntque 1. אֶלֶף הֵי יוֹד הֵי. 2. אֶלֶף הֵי יוֹד הֵי. 3. אֶלֶף הֵי יוֹד הֵי.

(12.) Caput secundum est meninx subtilissima, quæ est quasi spiritus, & pariter dividitur in tres conceptus supra dictos; sed ita, ut tria Tetragrammata sint סֹג; puncta verò ut priùs; nisi quod loco Zere nunc subjiciatur Sægol, h. m. 1. יוֹד הֵי וָאוֹ הֵי. 2. יוֹד הֵי וָאוֹ הֵי. 3. יוֹד הֵי וָאוֹ הֵי. Qui modus etiam occurrit in vasis, quæ sunt tria אהיה ut priora cum punctis, ut antea; nimirum per Sægol.

(13.) Caput tertium est cerebrum occultum in *Arich* de Gebhurah in ATTIK JOMIN: quæ quasi est Nephesch & lux interna trium capitum; habetque tria Tetragrammata מה punctata ut priora; sed ita, ut loco Zere sit Sægol, & loco Kamez Pathach. Eodemque modo in vasis ejus, ubi est אהיה Alephatum, & puncta sicut Tetragrammatica. Et hæc sunt 18. nomina, juxta numerum חי, quia abhinc affluit vita omnibus mundis. Vid. Ez Chajjim Manuscript. Tract. Injam Parzuph *Arich Anpin*, P. II. cap. 5.

(14.) Et hæc sunt Kether, Chochmah, Binah scaturiginum ejus, contenta intra Kether, Chochmah, Binah in *Arich Anpin*.

(15.) Est semita recta à Naso usque ad os. (16.) Os ipsum (17.) Hic incipit Barba cum textibus Exod. 34, 6. supra jam aliquoties descriptis: vid. Figur. 6. §. 5. & continuatur usque ad numerum (29.) (sic corrigendum est sphalma in Figura, ubi loco 29. 59.) Et hæc est pars Barbæ sanctæ, quæ superintegit Personas Patris & Matris; & hucusque etiam pertingit Jesod in ATTIK JOMIN fœmininum: nam masculinum percurrit per totum Jesod in Seir Anpin. (30.) Est guttur in *Arich Anpin*, nempe Binah ejus: & abhinc provenit Corona Patris & Matris.

(31.) Est humerus dexter in *Arich Anpin*: quò refertur nomen יה ejusque plenitudo duplicata, h. m. יֵ יָ יַ הֵ הֵ יֵ, estque canalis gradus Chochmah. (32.) est humerus sinister in *Arich Anpin*; quò pertinet nomen יה, eodem modo, sed alia punctatione: ut: יֵ יָ יַ הֶ הֶ יֶ. (33.) Brachium dextrum in *Arich Anpin*, cum dimidia tertia Tipherethica superna, à parte dextra, quæ vestitur à Patre. Nam Pater dependet à Chesed. Intra duos circulos autem repræsentatur Gedulah originalis, procedens in corpus Patris: ex qua deinde fiunt cerebra in Seir Anpin.

(34.) Brachium sinistrum in *Arich Anpin* cum dimidia tertia Tipherethica inferiore, ex parte sinistra, quæ vestitur à Matre. Nam Mater dependet à Gebhura, & intra duos circulos repræsentatur Gebhurah originalis, procedens in corpus Matris: ex qua deinde fiunt cerebra in Seir Anpin. (35.) Ex hoc loco proveniunt quinque Chasadim pro Patre. (36.) Ex hoc loco proveniunt quinque Gebhuroth pro Matre. (37.) denotantur benignitates Jesodicæ in ATTIK JOMIN versus dextram, modo tecto. (38.) Exhinc prodit Jisraël Sabha; loco

loco benignitatum manifestatarum. (39.) denotatur Gebhurah in ATTIK JOMIN versus sinistram, in propatulo. (40.) Abhinc prodit Tebhunah, loco benignitatum manifestatarum. (41.) denotatur Tiphereth in *Arich Anpin*. (42.) pectus in *Arich Anpin*. (43.) fovea pectoris in *Arich Anpin*: & hucusque extenditur *Arich Anpin*, & deinde vestitur à Jisraël Sabha & Tebhunah. (44.) Hic incipit Seir Anpin. (45.) est Tiphereth originalis, duæque ejus Tertiæ, procedentes in Patrem & Matrem, Jisraëlem Senem & Tebhunam; unde Cerebra pro Seir Anpin. (46.) Chesed & Gebhurah nominis מוֹ vocantur quinque Chasadim. (47.) Chesed & Gebhurah nominis בֵּן vocantur quinque Gebhuroth. (48.) est crus dextrum in *Arich Anpin*, cum dimidia Tertia Tipherethica inferiore, ex parte dextra: quæ vestiuntur à Seir Anpin, qui provenit à Nezach. Et hæc est Nezach originalis, procedens in corpus Patris; unde fiunt cerebra pro Seir Anpin. (49.) Crus sinistrum in *Arich Anpin*, cum dimidia tertia inferiore, ex parte sinistra: quas vestit uxor ejus *Rachel*, quæ provenit ab Hod. (50.) Est Jesod in *Arich Anpin*, quod est Chesed & Gebhurah, notionis masculinæ & fœmininæ. (51.) His locis ulteriùs describitur Jesod in *Arich*, prolongatum cum Jesod Patris; intelligitur enim notio masculi: quia Jesod fœmininum jam cessavit in pectore. Et hoc est Jesod originarium, quod procedit in corpus יוֹ Seir Anpin: unde fiunt cerebra pro uxore ejus. (52.) Hoc loco est fundus Systematis Aziluthici, & hucusque pertingunt pedes in *Arich Anpin*.

Figura

Figura XIV.

§. 1.

ESt altera pars Tabulæ præcedentis, generaliter repræsentans omnes personas Aziluthicas: nam (52.) repræsentatur lux in Æn-Soph, Mundusque Aziluthicus; & intra canalem, caput, quod ignoratur; & deinde *Arich Anpin*: ejusque Corona: item cerebrum interius: (53.) autem repræsentatur Binah ad guttur in *Arich*: nempe influentia sancta, quæ superintegit Patrem & Matrem, descenditque usque ad foveam pectoris ejus; estque quasi oleum pro Capite in Seir Anpin.

(54.) Persona Patris; & usque ad numerum (65.) designantur illius Sephiræ, quarum ultima עטרה seu corolla; & huc referuntur cerebra imaginis Paternæ. (66.) est persona Matris, & usque ad (77.) illius Sephiroth; & huc referuntur cerebra imaginis Maternæ. (78.) Jisraël Sabha; & usq; ad (89.) illius Sephiræ, quarum ultima est עטרה seu corolla. (90.) Est Persona Tebhunæ, & usque ad (101.) illius Sephiroth. (102.) Repræsentatur Persona Seir Anpin, qui vocatur Jisraël puer. (103.) Corona ejus (104.) Chochmah. (105.) Binah. (106.) Daath. (107.) Gedulah. (108.) Gebhurah. (109.) Tiphereth, quæ abhinc & porrò deorsum vocatur Jeschurun. (110.) Nezach (111.) Hod (112.) Jesod (113.) Halitus, qui exit ex Jesod. (114.) Repræsentatur Persona Leah; & usque ad numerum (125.) designantur illius Sephiroth. (126.) autem persona *Jaacobh*; & usque ad (137.) illius Sephiræ, quarum ultima est עטרה seu corolla. (138.) est Persona *Rachel*; & usque ad (149.) sunt illius Sephiroth. (150.) Hoc loco est fundus Systematis Aziluthici, qui est loco scabelli pedum omnium 12. personarum simul: Et abhinc

abhinc fit separatio, & fiunt tria Systemata, Briathicum, Jezirathicum & Asiachicum; unum infra alterum, in templis & palatiis suis: Dominus autem singularis est absconditus, omnibusque dominatur.

Figura XV.

§. 1.

FIgura 15. jam expressa est P. II. Apparatus ad p. 7. hic autem adhuc addimus paucula hæc: (1.) quòd nomen אהיה plenè scribatur tripliciter: nempe, ut exsurgat numerus קסא 161. Hoc modo: אלף הי יוד הי: deinde numerus קמג 143. Hoc modo: אלף הא יוד הא: & tandem numerus קנא 151. Hoc modo: אלף הה יוד הה: Horum usus etiam est in describendo statu uterino ה׳ Seir Anpin; ubi vox עיבור, cujus numerus est 288. tripliciter deducitur. 1. si sumatur קסא 161. & כן 52. & tres partes nominis אלהים, nempe ה & אל & ים: item porrò עב. 72. exsurget numerus 288. Et hic est modus ה׳ עיבור primus. 2. si sumatur קנא 151. & numerus ארני 65. & עב 72. itidem erunt 288. Et hic est modus ה׳ עיבור secundus. 3. si sumantur קמג 143. & מה 45. & ידוד 26. & duæ universalitates una nominis מה, & altera nominis כו 26. exsurget רון, & addito עב 72. erunt 288. Et hic est modus ה׳ עיבור tertius.

(2.) Nomen עב immutabile est, cùm cœtera Tetragrammatica diversimodè varientur. Et ejus plenitudinis plenitudo est hæc: יוד וו דלת – הי יוד – וו יוד וו – הי יוד.

(3.) Sed nomen סג tres habet variationes, nempe 1. יוד הי וו הא. 2. יוד הא וו הי. 3. יוד הי וו הא. Præter has variationes hoc nomen סג duas habet plenitudines alias, quarum una habet numerum סב 62. & altera מן 67. Nomen

men autem סֹב duas habet variationes. 1. יוֹד הֵי וָו הֵי. 2. יוֹד הֵה וָו הֵי. Et similiter nomen סֹ variatur; v. g. יוֹד הֵי וָו הֵי. Et יוֹד הֵה וָו הֵי.

(4.) Nomen מֹח tres habet variationes sub numeris מֹח 44. מֹח 48. & מֹט 49. מֹח est יוֹד הֵא וָו הֵא. מֹח est יוֹד הֵא וָו הֵי. vel יוֹד הֵה וָו הֵא. מֹט est יוֹד הֵא וָאו הֵי. vel יוֹד הֵה וָו הֵי. Et nomen מֹט refertur ad Leah, sicut nomen מֹח est in Chesed Seir Anpin.

(5.) Nomen בֵּן reperitur in חֹבר Uxoris, habetque quatuor variationes בֵּן 53. בֵּן 54. בֵּן 57. בֵּן 58. בֵּן est triplex 1. יוֹד הֵי וָו הֵא. 2. יוֹד הֵא וָו הֵי. 3. יוֹד הֵה וָאו הֵי. Deinde בֵּן etiam est triplex: nempe 1. יוֹד הֵי וָאו הֵא. 2. יוֹד הֵא וָאו הֵי. 3. יוֹד הֵא וָו הֵא. Porrò בֵּן est duplex 1. יוֹד הֵי וָו הֵי. 2. יוֹד הֵה וָו הֵי. בֵּן est quadruplex 1. יוֹד הֵי וָאו הֵה. 2. יוֹד הֵה וָאו הֵי. 3. יוֹד הֵא וָו הֵי. 4. יוֹד הֵה וָו הֵא.

(6.) Jam: ad Coronam Aziluthicam refertur apex literæ Jod: Ad Chochmah seu Patrem, י & nomen עֹב: ad Binah seu Matrem, ה & nomen סֹג; ad Jisrael Sabba, nomen סֹד 67. & duæ ejus variationes: ad Tebhunā, nomen סֹב 62. & duæ ejus variationes: ad Tiphereth seu Seir Anpin, Vav: ad illius Chochmah, nomen עֹב: ad illius Binah, nomen סֹג; ut & nomen עֹב, sed h. m. nam סֹג per se est 63. & decem literæ sunt 73. & Aleph superfluum est cerebrum, quod servit ad ulteriorem perfectionem זעיר Seir Anpin. Et huc etiam pertinet nomen בֵּן, quod etiam ascendit ad 72. si nempe computetur numerus ejus 52. & 20. literæ ulterioris ejus plenitudinis, hoc modo: יוֹד וָו רֹלֹת הֵה הֵה וָו הֵה הֵה. Ad illius Tiphereth pertinet nomen מֹה: & hoc etiam reducitur ad עֹב; si ad מֹה 45. addatur 26. numerus Tetragrammati simplicis, & Aleph, quod est cerebrum in Seir Anpin; ex quo perficitur

ficitur numerus עֹב 72. Ad Nezach à parte anteriore refertur nomen קֹסֹא, & à parte posteriore idem, hoc modo: אֹלֹף הֵי יוֹד. אֹלֹף הֵי. אֹלֹף. Ad Hod pertinet nomen קֹנֹא, à parte anteriore, & à parte posteriore idem, hoc modo: אֹלֹף הֵה יוֹד הֵה. אֹלֹף הֵה יוֹד. אֹלֹף הֵה. Ad Jesod, ejusque partem anteriorem pertinet nomen סֹב: & ad posteriorem ejus, idem, h. m. יוֹד הֵי. יוֹד הֵי וָאו. יוֹד הֵי וָאו הֵי

(7.) Tetragrammaton illud, quod protulit Sacerdos Magnus die Expiationum est Tetragrammaton simplex, punctatum per Cholem, Sægol, Kamez & Sægol: ubi Cholem denotat Kether; Sægol; Chochmah, Binah, Chesed; Kamez, i.e. linea ejus; Tiphereth; & punctum ipsi subjectum Gebhurah: Sægol secundum est מלכות; literæ autem sunt Malchuth. Plenitudo ejus est hæc: יוֹד הֵי וָיו הֵי. Ad Uxorem Seir Anpin autem refertur nomen בֵּן.

Figura XVI.

Figura hæc repræsentat sub litera (a.) Æn-Sòph, Infinitum illum, qui ipse sit benedictus, & cujus Nomen sit benedictũ. (b.) est lux ambiens 10. Sephirarum personæ primæ, quæ vocatur ADAM KADMON, & se habet ut Jechidah seu gradus animæ singularissimus & unitivus ad Mundum Aziluth. (c.) est lux ambiens 10. Sephirarum Personæ ATTIK JOMIN, qui ambit Mundum Aziluthicum, & se habet ut Chaijah, seu gradus animæ vitalis. (d.) est lux ambiens decem Sephirarum Personæ illius, quæ vocatur *Arich Anpin*, quæ est Kether seu Corona Mundi Aziluthici, & se habet ut Neschamah, seu gradus animæ intellectualis, vel mentalis. (e.) Est Lux ambiens decem Sephirarum personæ illius, quæ vocatur

Pater ſupernus, qui eſt Chochmah Mundi Aziluthici, & ſe habet ut Ruach, ſeu gradus animæ ſpiritualis. (f.) eſt lux ambiens decem Sephirarum perſonæ illius, quæ vocatur Mater ſuperna, & ipſa eſt Binah Mundi Aziluthici, & ſe habet ut Nepheſch, ſeu gradus animæ plaſticus & vegetativus. (g.) eſt lux ambiens decem Sephirarum illius perſonæ, quæ vocatur Seir Anpin, & hæc continet ſex Extremitates, quales ſunt: Cheſed, Gebhurah, Tiphereth, Nezach, Hod, Jeſod, Mundi Aziluthici. (h.) Eſt lux ambiens decem Sephirarum Perſonæ illius, quæ vocatur Uxor Seir Anpin, illa nimirum quæ dicitur Malchuth Mundi Aziluth: Et hic ſex Perſonæ terminantur. (i.) Eſt lux ambiens ſexaginta illarum Sephirarum, quæ reperiuntur in ſex illis perſonis, quales ſunt, ATTIK & *Arich*, Pater & Mater, Seir & Uxor ejus, in Mundo Briathico. (k.) eſt Lux ambiens Sexaginta Sephirarum, quas continent Sex perſonæ, quales ſunt: ATTIK & *Arich*, Pater & Mater, Seir & Uxor ejus, Mundi Jezirathici. (l.) Eſt Lux ambiens Sexaginta Sephirarum, nempe Sex perſonarum, quæ ſingulæ continent ſuas decades Sephirothicas; ſunt autem ATTIK JOMIN, *Arich Anpin*, Pater & Mater Seir & Uxor ejus Mundi Aſiathici.

(11.) Deſignantur decem צחצחות coruſcationes, prout vocantur decem illæ Sephiræ in ADAM KADMON; nimirum (m.) אור מאור אור מופלא Lux de luce, quæ vocatur lux mirabilis, eſtque Kethet. (n.) זוהר מזוהר אור נסתר Splendor de ſplendore, qui dicitur lux occulta; eſtque Chochmah. (o.) זיו מזיו אור מתנוצץ, fulgor de fulgore; quæ eſt Lux coruſcans, eſtque Binah. (p.) זוהר מזוהר אור צח ſplendor de ſplendore, qui vocatur lux ſubtilis & clara; eſtque Cheſed. (q.) אור מזוהר אור מצוחצח Lux de ſplendore, quæ vocatur Lux clarefacta; eſtque Gebhurah. (r.) זיו מאור אור מזהיר fulgor de Luce, quæ vocatur lux ſplendens, eſtque Tiphe-

Tiphereth. (s.) אור מזיו אור מזקק Lux de fulgore, lux depurata dicta, eſtque Nezach. (t.) זוהר מזיו אור בהיר Splendor de fulgore, lux fulgida dicta; eſtque Hod. (u.) זיו מזוהר אור צח ומצוחצח fulgor de ſplendore, lux ſubtilis & clarefacta; eſtque Jeſod. (ש.) יקוד מיקוד אור נוגה ardor de ardore, quæ lux ſerena vocatur; eſtque Malchuth. (x.) eſt ſpatium illud vacuum, quod Æn-Soph luce replevit; אין סוף enim numeris æquivalet אור ה׳: ut demonſtretur, quod Æn-Soph (cujus nomen ſit benedictum in æternum:) illuminet per ſe ipſum omnes mundos, & nemo alius: quod abſit!

(y.) Eſt filum ה׳ Æn-Soph, quod protrahitur in omnes decem Sephiras & verſus omnia latera.

(z.) Incipit Mundus Aziluth; quò pertinent Scriptio Tetragrammatica יוד הי ויו הי: עב & Nomen Ehjeh Joddatum. אור פני אל: quæ ſunt אלף הי יוד הי Lux faciei Dei.

(A.) Eſt Kether, quo pertinet nomen Ejeh. (B.) Chochmah, quo pertinet nomen Jah. (C.) Binah; quò pertinet Tetragrammaton cum punctis Elohim (D.) Daath, cui tribuitur Tetragrammaton יהוה (E.) Cheſed, cui nomen El vel Eloah. (F.) Gebhurah, cui Nomen Elohim. (G.) Tiphereth, ubi Tetragrammaton cum propriis ſuis punctis. (H.) Nezach, cui Nomen Tetragrammaton Zebhaoth cum connotatione nominis Adonai. (I.) Hod, cui Nomen, Tetragrammaton Zebhaoth, cum connotatione nominis Elohim. (K.) Jeſod, cui nomen El Chaj, item El Schaddaj. (L.) Malchuth, cui tribuitur nomen Adonai. Huc referuntur Canales influentiarum denominati juxta literas Alphabethicas.

(א.) Eſt linea, quæ protrahitur è Kether in Chochmah (ב.) eſt linea, quæ derivatur è Kether in Binam. (ג.) eſt linea, quæ protrahitur è Chochmah in Daath. (ד.) Eſt linea, quæ protrahitur è Chochma in Cheſed. (ו) eſt linea, quæ protra-

protrahitur è Binah in Gebhuram. (י.) est linea, quæ protrahitur è Daath in Chesed. (ח.) est linea, quæ protrahitur è Daath in Gebhuram. (ט.) est linea, quæ protrahitur ex Chesed in Tiphereth. (י.) est linea, protracta è Gebhurah in Tiphereth. (כ.) est linea ducta ex Chesed in Nezach. (ל.) est linea derivata ex Gebhurah in Hod. (מ.) est linea protracta ex Tiphereth in Nezach. (נ.) est linea protracta ex Tiphereth in Hod. (ס.) est linea protracta ex Nezach in Jesod (ע.) est linea, protracta ex Hod in Jesod. (פ.) est linea, quæ trahitur ex latere dextro, nimirum ex Kether, Chochmah, Chesed & Nezach, & descendit in Malchuth. (צ.) est linea, quæ trahitur ex latere sinistro, nempe ex Kether, Binah, Gebhurah & Hod, & prorogatur in Malchuth. (ק.) est linea protracta ex Kether in Daath. (ר.) est linea protracta ex Daath in Tiphereth. (ש.) est linea protracta ex Tiphereth in Jesod. (ת.) est linea, quæ ducitur ex latere medio ex Kether nimirum, Daath, Tiphereth & Jesod, & tota descendit in Malchuth.

Sphæra Literæ (M) signata, repræsentat Mundum Briathicum, ubi observanda.

Sephiroth.	Nomina.	Angeli.	Chori Angelorum
1. Kether.	אהיה	Jehuel.	Seraphim.
2. Chochmah.	אהיה	Raphaël.	Ophanim.
3. Binah.	אלהים	Cherubiel.	Cherubim.
4. Daath.	יהוה	Schemuel.	
5. Chesed.	יהוה	Zadkiel.	Schinanim.
6. Gebhurah.	יהוה	Tarschisch.	Tarschischim.
7. Tiphereth.	יהוה	Chasmal. alii Metatron.	Chaschmalin.
8. Nezach	יהוה	Usiel.	Malachim.
9. Hod	יהוה	Chasniel.	Bene Elohim.

10. Jesod

10. Jesod	יהוה	Zephanjah: alii Jehuel.	Ischim.
11. Malchuth.	יהוה, יהוה, אל שדי	Michaël.	Arelim.

Rambam verò Angelos ita dividit; ut 1. sint חיות 2. אופנים 3. ארלים 4. חשמלים 5. טרפים 6. מלאכים 7. אלהים 8. 9. בני אלהים 10. כרובים. R. Jischmaël, & Autor libri Pliah hunc observant ordinem, ut primò locent Cherubim. 2. Chaschmalim. 3. Chajoth. 4. Arelim. 5. Seraphim. 6. Tarschischim. 7. & 8. Ophanim. 9. Ischim. 10. טפסרים. In Sohar. Section. Jethro ordo hic observatur 1. Arelim. 2. Seraphim. 3. Chaschmalim. 4. Schinanim. 5. Tarschischim. 6. Ophanim. 7. Elohim. 8. Ischim. 9. Chajoth. 10. Bene Elohim. Hoc autem certum est, quod Seraphim pertineant ad Binah: Chajoth, ad Tiphereth, vel sex Sephiroth ejus: & Ophanim ad Malchuth: de aliis dubium quidem est; sed tamen Cherubim referuntur ad Kether, vel, si ejus loco numeratur Daath, ad Chochmah, &c. Videatur Beth Elohim Tractat. 2. c. 6.

Circulus Literæ (N.) designat Septem Palatia Sanctitatis Mundi Briathici; ubi observanda

	Palatia.	Nomina.	Sephiroth.
1.	היכל קודש קדשים Palatium Sancti Sanctorum	אל	Kether: Chochmah: Binah.
2.	היכל אהבה Palatium Amoris	מצפצ	Chesed.
3.	היכל גבורה Palatium Meriti.	יהוה	Gebhurah.

4. היכל

4.	היכל רצון	Palatium Benevolentiæ.	יהוה	Tiphereth.
5.	היכל עצם שמים	Palatium Substantiæ Cœli.	אלהים	Nezach.
6.	היכל נוגה	Palatium Serenitatis.	צבאות	Hod.
7.	היכל לבנת הספיר	Palatium albedinis crystallinæ	יה ארני	Jesod. Malchuth.

Numerus autem dictorum Nominum Sanctorum exæquat numerum vocis הכלה.

Circulus (O.) repræsentat Mundum Jezirah, qui est Mundus Angelorum, ubi inveniuntur Scriptio Tetragrammatica 1. יוד הא ואו הא. 2. Ehjeh Alephatum, ut אלף הא יוד הא. hic observari possunt:

Sephiroth	Nomina.	Sancti	Gradus Animæ.
1. Kether	יוה	Messias Filius David.	Jechidah.
2. Chochmah	יוה	Moscheh	Chaijah.
3. Binah	יוה	Chanoch.	Neschamah.
4. Daath	יוה		Spiritus internus, qui diffunditur in omnes 6. extremitates.
5. Chesed.	יוה	Abraham	
6. Gebhurah	יוה	Jizchak	
7. Tiphereth	יוה	Jaacobh Eijihu.	
8. Nezach	יוה	Moscheh.	
9. Hod	יוה	Aharon.	
10. Jesod.	יוה	Joseph, qui vocatur justus.	

11. Mal-

11. Malchuth.	יוה והי אל יהוה	David Rex. Elischa.

Ad hoc Systema referuntur Nomen כב 22. literarum, nempe אנקתם פסתם פסקסים דיונסים quod per varias methateses fit ex 22. literis prioribus benedictionis Sacerdotalis; quæ sunt: יברכך יהוה וישמרך יער יהוה de quo vide librum Pardes Tr. 21. cap. 14.

In Circulo (P.) notanda sunt Palatia Jezirathica cum sequenti dispositione:

Palatia.	Nomen מם 42. literarum.	Sephiroth.	Textus Jeschaj. 6, 2. 3. in spatiis.
1.	אב	Kether.	
	גי	Chochmah.	Seraphim stabant supra illud: Sex alæ.
	חצ	Binah.	
2.	קעשטן	Gedulah.	Sex alæ.
3.	נגדיכש	Gebhurah.	unis in duabus.
4.	בטרצתג	Tiphereth.	velabat facies suas: & duabus velabat
5.	חקבטנע	Nezach.	pedes suas, &
6.	יגלפזק	Hod.	duabus volabat,
7.	שקוציית	Jesod. Malchuth.	& clamabat hic ad illum, & dicebat: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Exercitium, plenitudo totius terræ gloria ejus.

Hoc verò nomen 42. literarum desumptum est ex 42.

 literis

literis prioribus Historiæ creationis, usque ad בְּ vocis בְּרֵאשִׁית per varias transmutationes, quæ prolixe describuntur in libro Pardes Tr. 21. c. 13. Huc etiam refertur nomen מטטרון Principis facierum.

Circulus (Q.) repræsentat Mundum Asiathicum, qui est Mundus Sphærarum cœlestium, in quo locum habet scriptio Tetragrammatica 1. יוֹד הֵה וָו הֵה. 2. אֶלֶף הֵה יוֹד הֵה. Notanda hic veniunt:

Sephiroth.	Nomina.	Membra.
כֶּתֶר	אֹזְנִי	Cranium.
חָכְמָה	אֹזֶן	Cerebrum dextrum.
בִּינָה	אֹזֶן	Cerebrum sinistrum.
דַּעַת	אַנְפִּין	Cerebrum medium, cujus locus est in parte capitis postica.
חֶסֶד	אֹזֶן	Brachium dextrum.
גְּבוּרָה	אֹזֶן	Brachium sinistrum.
תִּפְאֶרֶת	דְּנִיאֵל	Totum corpus à gutture usque ad membrum sanctum.
נֶצַח	דְּנִאֵל	Pes dexter.
הוֹד	דְּנִיאֵל	Pes sinister.
יְסוֹד	דְּיוֹאֵל	Signum fœderis Sancti.
מלכות	דְּאֹנִי / דְּאֹנִי / אֶל אֹזְנִי	Corolla, quæ est in Jesod.

Huc etiam refertur nomen סנדלפון Princeps facierum; qui dicitur Rota una in terra.

Figura (R.) repræsentat decem circulos cœlestes, quibus

bus præest Angelus quidam, cui nomen הדרגיאל, qui circundat omnes decem Sphæras. Dividuntur autem secundum Sephiroth, & refertur

Ad Kether, Mundus Intelligentiæ, Sphæra prima, quæ dat facultatem omnibus stellis & circulis.

Ad Chochmah, Sphæra motus diurni.

Ad Binah, Sphæra octava stellarum fixarum, & duodecim signorum cœlestium, cum quibus combinantur duodecim menses.

Ad Gedulah, Saturnus.

Ad Gebhurah, Jupiter.

Ad Tiphereth, Mars.

Ad Nezach, Sol.

Ad Hod, Venus.

Ad Jesod, Mercurius.

Ad Malchuth Luna, & in medio locatur Terra.

Figura (S.) repræsentantur Septem cœli: nempe

1. Cœlum primum & summum ערבות, quod applicatur ad Chesed; ubi dicuntur reperiri Thesauri benedictionum & largitionum, & gratiæ, omniumque bonorum, quæ in Mundo.

2. מכון, quod refertur ad Gebhurah, ubi Thesauri nivis & pluviarum, benedictionis, & Thesauri spiritus vitæ.

3. מעון refertur ad Tiphereth, in quo locantur Angeli, cantantes coram Deo benedicto.

4. זבול refertur ad Nezach, in quo est altare supernum, & Michael Sacerdos Magnus sacrificat animas justorum super isto altari.

5. שחקים, refertur ad Hod, ubi sunt molæ, quibus molitur manna pro justis, in seculum venturum.

6. רקיע, In quo Sol & Luna, & stellæ, & planetæ, & omnes decem Sphæræ; & refertur ad Jesod.

7. זבולון,

7. וילון, & refertur ad Malchuth, nec alium habet usum, nisi quod dicatur, intrare vesperi, & prodire manè.

8. Porrò sequuntur adhuc שׁ 390. cœli, juxta numerum שמים, qui omnes statuuntur sub firmamento, quod וילון dicitur, & circundant octodecim millia mundorum, simulque Gehennam & Hortum Eden.

9. Octodecim millia mundorum, in quibus versatur Schechinah, cum Metatrone, qui est princeps stans coram facie Dei: Cibatque & nutrit omnes creaturas, quæ in mundo.

10. In medio statuitur terra, infimo loco, quæ dicitur חבל orbis; & ad dextram ejus Gan Eden: ad sinistram autem, Gehenna.

Figura (T.) repræsentat Hortum Eden, ejusque septem mansiones: ubi in circuitu est murus Paradisiacus, & sequuntur septem palatia; in medio autem arbor Vitæ.

Figura (U) repræsentat Septem mansiones inferni; & quidem circulo primo exhibentur aquæ lachrymantium. Secundo, aquæ creationis. Tertio, aquæ Oceani. Quarto, mare salsum. Circulis autem minoribus distinguuntur ad dextram Septem Terræ, quæ sunt 1. ארץ. 2. אדמה. 3. גיא. 4. נשיה. 5. ציה. 6. ארקא. 7. תבל, quæ & חלד. De quibus videatur Sohar, Part. Breschith fol. 45. col. 179. item, Vajikra, fol. 4. col. 14. item Emek Ham-Melech fol. 176. col. 4. & Pardes Tract. 6. cap. 3. Ad sinistram autem septem habitacula infernalia, nempe 1. שאול 2. אבדון 3. טיטהיון PL 40, 3. 4. גיהנם 7. שערי מות 6. צלמות 5. באר שחת Jer. 7, 32.

Figura

Figura (X.) repræsentat quatuor pedes Sedis Corticum, de quibus Jechesk. 1, 4. sunt que

Nomina קליפות Klippoth, seu corticum.	Nomina Spirituum.	Nomina Regnorum.	Nomina Sephirarum.
1. רוח סערה ventus Turbinis	חמור Asinus; quò pertinet רהב	אדום Edomiticum	Malchuth
2. ענן גדול nubes magna	שור bos: quò pertinet סמאל	מדי Medorum.	Nezach, Hod, Jesod
3. אש המתלקחת ignis vorticosus.	מחלת	יון Græcorum.	Gedulah, Gebhurah, Tiphereth.
4. נוגה לו סביב splendor ipsi undique.	לילית	בבל Babylonicum.	Kether, Chochmah Binah.

In medio horum omnium est quasi חשמל, flammæ intimæ in medio ignis.

Figura (Y.) repræsentantur Klippoth cum 12. principibus ipsorum, qui præfecti sunt duodecim mensibus anni.

Nomina Principum sunt sequentia:

1. בעירון; qui ita dicitur, vel, quia sit רביעי quartus, vel à quarto proveniens: nam Samael, à quo duodecim hæ Klippoth proveniunt, est quartus inter naturas perditrices; quia ipso priores sunt קסטיאל & בליאל, & עתיאל: vel ex loco Ps. 92, 7. 2. אדימרון; cujus colores sunt quasi דם sanguis aquis mixtus. 3. צללדמרון; cujus colores sunt, quasi sanguis צלול limpidus. 4. שיהדרון, cujus colores planè sunt nigri. 5. שלהבירון; cujus colores sunt instar flammæ ignis. 6. צפרירון; cujus colores sunt instar terræ. 7. עביירון; cujus colores sunt

ad

ad instar nubium. 8. נחשתירון; cujus colores sunt ad instar cupri. 9. נהשירון; colores ejus sunt quasi serpentum. 10. רגדגירון; cujus colores sunt ad instar piscium magnorum. 11. בהימירון; cujus exercitus & colores omnes; sunt ad instar brutorum & iste præest mille ducibus fortibus, qui degunt in montibus; qui singuli iterum præsunt mille aliis Ps. 50, 10. 12. נשימירון; cujus formæ sunt instar mulierum malignarum. Itemque aliquando vocatur התולירון; quia cum suis aliquando apparet in forma catorum magnorum. In medio hujus circuli locantur סמאל & אשמדאי, & ad angulum hujus quadrati Euro-meridionalem locatur homo, & serpens, & Lilith senior uxor Samaëlis. Ad angulum Euro-Septentrionalem bos & Asinus, & Aggereth, filia Machalath: & ad angulum Zephyro-Septentrionalem Scorpio: & à עסימון innominatus & עמה. Ad angulum autem Zephyro-meridionalem, Leo & equus, & Lilith junior, Uxor Asmodæi.

Figurâ (Z.) repræsentantur decem Sephiroth lateris adversi, quæ sunt septem palatia alterius generis; & decem istæ Sephiræ locum habent à tergo Sanctitatis Mundi Asiah. Samaël autem impius circundat totam decadem Sephirothicam horum corticum, qui sunt undecim; ad similitudinem undecim specierum suffimenti, & ad similitudinem undecim maledictionum montis Ebal; & ad similitudinem Mannæ, & decem ipsius diversitatum, & undecim Ducum Edomiticorum, juxta vocem אי, Deut. 32, 37. & juxta undecim dies à Choreb Deut. 1, 2. & ad similitudinem undecim aulæorum. Et juxta vocem והאחשדרפנים Esth. 9, 3. quæ habet undecim literas.

Palatium autem primum continet Sephiras 1. Kether, ubi כתריאל, quod nomen alludit ad Textum Ps. 37, 34. Ab aliis huc refertur תאומיאל vel תומיאל: item קסטיאל. 2. Chochmah; quò referuntur duces Esau, & nomen istius corticis est עוגיאל. Et quidem scribunt געגאל vel עגאל. Et in Tikkunim hæc Sephirah vocatur אדם בליעל; alii autem scribunt בלי אל quòd

quod Deum neget. 3. Binah; cujus cortex vocatur סתריאל vel הרסיאל: in Tikkunim autem vocatur שעריאל ab Esau piloso: alii eundem vocant עיתיאל: quidam autem putant tres istas species Impuritatum non dari, sed cortices tantùm esse septem; quod tamen non approbatur.

Palatium secundum continet Chesed, cujus cortex vocatur געשבלה: in Tikkunim autem vocatur עזואל, item חוריאל: Ps. 80, 14. & alii huc referunt סמאל, item אגגיאל, ex Exodi 15, 1.

Palatium tertium est Gebhurah, cujus cortex vocatur גולתה. Ab aliis vocatur עפיאל; & in Tikkunim vocatur אנגיאל. Alii huc referunt עזואל, item שעריאל.

Palatium quartum continet Tiphereth, cujus cortex vocatur הגרינון item זעמיאל, & in Tikkunim vocatur עוגיאל, ab Og Rege Basan.

Palatium quintum continet Nezach, cujus cortex est ערב זרק item קצפיאל; ab aliis huc refertur האומיאל, alludendo ad vocem תהומות Exod. 15, 5.

Palatium sextum continet Hod, cujus cortex est סמאל: In Tikkunim autem huc refertur תומיאל, Ex Ps. 9, 7.

Palatium septimum continet primò Jesod, cujus cortex vocatur גמליאל: item נחשיאל: item עבריאל. Et in Tikkunim huc locatur סמאל præputiatus. Huc ab aliis refertur draco cæcus. Secundò Malchuth, cujus cortex est לילית impia. Et in Sohar Sect. Achare moth cortex decimus vocatur דורש אל המתים Vide plura in Pardes Tr. 25. c. 4. Sed nomen נחש serpens eundem habet numerum cum משיח, qui cortices eradicabit è mundo Jesch. 25, 8.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA
per CHRISTUM.

Unterricht für die Buchbinder.

Bindet Figura 1. gegen pag. 195. Figur. 2. gegen pag. 198. Figur. 3. gegen pag. 201. Figur. 4. gegen pag. 207. Fig. 5. gegen p. 212. Figur. 6. gegen p. 216. Figur. 7. gegen p. 221. Figur. 8. gegen p. 224. Figur. 9. gegen p. 227. Figur. 10. gegen p. 230. Figur. 11. gegen p. 231. Fig. 12. gegen p. 233. Figur. 13. gegen p. 235. Figur. 14. gegen p. 240. Figur. 16. gegen p. 243.

LIBER

שער השמיים

Seu

PORTA CŒLORUM

In quo

Dogmata Cabbaliſtica Philoſophicè proponuntur & cum Philoſophia Platonica conferuntur.

Autore

R. Abraham Cohen Irira, Luſitano.



DISSERTATIO PRIMA.

CAP. I.

Quod Entia vel omnia sint necessaria, vel omnia contingentia; vel aliqua necessaria & aliqua contingentia. Ubi simul demonstratur, quod non omnia sint necessaria; nec omnia contingentia: sed aliqua necessaria, & aliqua contingentia: & quod non nisi Unum detur, quod sit necessarium à se ipso existens: quod sit causa omnium contingentium, id est entium reliquorum omnium.

§. 1.

TOtum Universum, ex visibilibus constans & ex invisibilibus, adeoque cum omni ente consideratum, necessariò ad unum sequentium modorum refertur. Vel enim omnia quæ sunt, sunt Entia necessaria: (Ens autem necessarium est, quod non potest non esse ullo modo.) Vel omnia sunt contingentia: (contingens autem est, quod à se non habet esse, ita tamen, ut non repugnet ei, ut existentiam habeat, quam tamen accipiat ab alio: ut hac ratione indifferenter se habeat ad esse & non esse: sitque quodammodo non ens, cum aptitudine tamen ad existendum.) Vel partim sunt necessaria; partim verò contingentia.

§. 2. Jam verò certum est, non omnia Entia esse necessaria; quia multa sunt & pereunt; adeo ut quodammodo dici queant esse & non esse: quoniam è privatione existentiæ

suæ, deducuntur in esse, cùm possibilitate tamen redeundi ad non esse; dum scilicet amittunt existentiam suam, quam ab alio acceperant.

§. 3. Eodem modo impossibile est, omnia entia esse contingentia: quia hoc modo nunquam existerent, & nulla res unquam daretur actu. Si enim contingens, ut diximus, indifferenter se habet ad esse & non esse, ita ut per se & à se non existat, quamvis nec repugnet ipsi existere; necessariò, si in esse deduci debet, quo nunc privatum est, causam aliquam requirit, à qua constituatur in esse, quæque ipsi det existentiam illam, ad quam per se indeterminatum est & indifferens, & quam à se habere nequit.

§. 4. Si itaque ex dicta distinctione duo membra concidunt; verum indubitatò erit membrum tertium; quod nempe in hac rerum universitate reperiatur & necessarium & contingens.

§. 5. Porrò tamen infertur, Ens necessarium non dari nisi unum; adeoque cætera entia omnia, tam præterita, quam præsentia & futura, esse contingentia, quæ illam naturam, illamque existentiam, quam habent, quâque ex sese essent privata, accipiant ab Ente necessario.

§. 6. Quod ut demonstretur, sic argutabimur: Individualitas cujusvis rei non datur cum extrapositione: nota enim est diversitas illa, quæ intercedit inter rem singularem vel individuam; & inter notionem communem pluribus extra se positis, per quæ multitudinis naturam habet: quæ duo propterea sunt incompatibilia. Unde hæc individualitas competit Uni, quatenus nempe hoc Individuum est singulare, & determinatum quid, quod non extenditur, nec multiplicatur per aliquod extra se positum, sive unum sit, sive plura; sed est Idem & à se ipso indistans.

§. 7. Jam verò extra dubium est, quod Ens necessarium sit tale, quatenus est singulare: Est enim, quod est, quatenus est singulare; prout & entia alia; quæ, quatenus sunt singularia, existentiam habent & sunt.

§. 8. Ubi quidem hoc objici potest: Si ens necessarium non est tale, nisi quatenus est singulare, sequitur, quia tale est ob singularitatem, (adeoque ex alio quodam) illud esse contingens: tertium enim non datur. Si autem est contingens ob singularitatem, non erit necessarium; adeoque esset contradictio in adjecto.

§. 9. Sed verum tamen est, Necessarium tale esse, quatenus est singulare & individuum: quia Universalia non sunt à se ipsis nec per se ipsa, sed mediantibus singularibus & per singularia. Unde indubitatò concluditur, Individualitatem hanc competere Enti Necessario à se ipso, quatenus est Necessarium à se ipso & in actu: uno verbo, propter necessitatem existendi ipsi essentialem & naturalem, & propriam: & quia non est ab alio, sicut genus vel species; nec in potentia ullius rei alterius est illud producere: ita ut cùm à se ipso sit necessarium, impossibile sit illud esse ab alio.

§. 10. Quod si ergo necessitas existendi ipsi competit ob suam Individualitatem: hæc autem Individualitas non extenditur ad extra se positum aliud, quia aliàs res simul essent singulares & universales; indivisibiles & divisibiles, individua & non individua, quod est absurdum: Hinc ad oculum patet, quod Ens necessarium sit unum, singulare, individuum, & ita sibi Idem, ut non sit commune aliis: imò ut etiam impossibile sit plura dari Entia necessaria, præter hoc.

§. 11. Reliqua autem entia contingentia, quia possunt esse & non esse, causam habebunt suæ existentiæ: quæ vel etiam contingens est, ut ipsa, vel necessaria. Si contingens, iterum ab alio erit, quia poterit esse & non esse, & opus habebit productore, & sic in infinitum, quod absurdum est. Unde subsistendum erit in Uno, quod, cum Necessarium sit à

parte sui, etiam causa est omnium contingentium, quæ sunt Entia reliqua à Causâ primâ diversa.

Cap. II.

Ex eo, quia natura Individualis & singularis Causæ primæ est Ipsa Divinitas, ostenditur, quod hæc & illa sint unum & idem, adeò ut necesse sit, Deum esse Unum, non extensum ad aliquem extra se positum.

§. 1.

UT confirmemus, quod posuimus de Unitate Causæ primæ, quæ non est natura communis aliis; adhuc aliam subnectemus rationem. Illud, propter quod omne Ens individuum est atque singulare, nullo modo potest esse universale & commune pluribus. Exempli gratia: Illud, propter quod Abraham est homo, id est natura humana, commune est individuis pluribus, ejusdem speciei, qui etiam sunt homines. Sed illud, propter quod Abraham est Abraham, id est, homo hic singularis in individuo, neutiquam commune est individuis aliis.

§. 2. Nam hæc individualitas ipsi est essentialis & ab eo inseparabilis, cumque ipso sic unum quid, ut sint res eadem; per quam tamen separatur à reliquis hominibus, ut appareat illum esse hunc & non alium:

§. 3. Adeò, ut illud, propter quod Abraham est homo, quæ est natura ejus humana, sit re ipsa idem illud, propter quod est hic homo singularis, nempe Abraham, & non Isaac vel Jacob &c. Et sicut impossibile est dari Abrahamos alios, id est, homines plures, qui citra differentiam numericam & individualem sint homo Unus, hic, digitò demonstrabilis: sic impossibile est, istum Abrahamum esse plures quam unum hominem, nempe Abrahamum hunc in individuo.

§. 4. Jam si causa prima spectatur, Divinitas ejus est ipsa essen-

essentia ejus: quia aliàs non esset à se ipsa, nec per se ipsam sufficiens sibi, simplexque & singularis; sed ab alio quodam, quod esset individualitas: adeoque ipsa esset divisa realiter à se ipsâ; Et præterea, quia, quicquid non est per sese, etiam non est à sese, multa esset & composita ex natura aliqua & essentia imperfectâ & mancâ, essetque è genere communium, nempe natura quædam sub se comprehendens Essentiam, & Individualitatem, per quam solam compleatur & determinetur & deducatur in esse actu: quæ omnia absurda sunt.

§. 5. Causa prima ergò simplicissima est & perfectissima & actus merus, nullam admittens privationem, potentialitatem, circumscriptionem & numerum; & hæc est natura ejus & ejus essentia. Et hæc nunquam non est Una, prout & indivisibilis: inque eâ non nisi una definitio est, qua discriminatur ab aliis.

§. 6. Adeoque Causa prima, Deus nempe benedictus, est unus & singularis, incommunicabilis pluribus. Nam quia natura & essentia Dei sunt ipsa divinitas singularis; manifestum est, quod non extendatur ad alia, nec aliis sit communis; quia aliàs esset hic, & alius ab hoc, adeoque non hic; uno verbo; Individuum & Universale; Essentiâ idem, & Essentiâ communis, indivisibilis & divisibilis. Et concluditur; quod essentia & natura Dei sit incommunicabilis, sed in individualitate essentiam habens: Unde patet & demonstratum est, quod non tantùm non detur nisi unum, singulare, individuum, & identitatem essentiæ habens, Benedictus nimirum, qui causatus non est, sed Causa prima; sed & repugnet, illum esse singularem in se & individuum, & simul communem aliis vel pluribus.

Cap.

Cap. III.

Probatur rationibus diversis, quod Ens necessarium sit simplex & perfectum, & propterea alienum à septem modis compositionis, qui occurrunt in reliquis entibus.

§. 1.

IN præcedentibus ostendi, Ens necessarium esse unum, quod non sit cum extrapositione; quodque sit causa omnium reliquorum entium contingentium. Jam dicam, quomodo ens necessarium, de quo loquimur, sit simplex, sine diversitate, & numerus simplex, absque compositione.

§. 2. Dicimus ergò; quod, sicut in luce simplici nulla est caligo, vel nigredo; & sicut in calore perfecto non datur frigus & gelu: ita in primo perfecto, quale est Ens necessarium, non reperiatur compositio, qualis est in multitudine & numero, qui sequitur Unitatem; quæ ipsum antecedit, & est causa ejus;

§. 3. Compositum ergò est, quòd, cum sit post unitatem simplicem, constituitur è partibus suis, quæ simul sumtæ, sive aliquot, sive omnes, ipsum componunt, & cum Uno conjungunt.

§. 4. Ex eo autem apparet, quod Enti necessario, quod non est causatum, non conveniat, ut extra se existat; prout se habet omnis multitudo, quæ dependet ab Uno, & isto est posterior: sed illud in omnibus partibus suis est idem ipsum.

§. 5. Compositum autem aliter se habet: nam quia natura & constitutio ejus est à componentibus se, hinc istis est posterius, & ab illis causatum, & datur aliquid, quod ipsa componit ut sint unum, quia impossibile est, ut existant, & non sint causata.

§. 6. Sed

§. 6. Sed Unitas simplex & perfecta fuit, est & erit sine multitudine & compositione, quæ sunt naturæ posteriores, & contrariæ ipsi: & impossibile est, illas esse, nisi esset unitas & simplicitas, quæ non tantum ipsis prior est, sed & ab extra illas in esse constituit & generat, & ab intra est principium & causa earum; & continet & in se habet principaliter & primariò & in gradu perfectissimo & eminenti, quicquid in illis est, eò quod sint ab ipsâ productæ tanquam effectus ejus.

§. 7. In specie autem in primo perfecto, quod est Ens necessarium, non datur privatio vel defectus. Manifestum autem est, quod omne multum & compositum admittat privationem, & sit imperfectum: opus enim habet partibus suis, & aliquo, qui illas componat, quod est unum. Nam Unitas est actus & forma partium compositi, quatenus relationem habet ad aliud, vel alia, sive in potentiâ, sive actu talia. Notum autem est, quod nec potentia, quia opus habet actu, quo privata est; nec actus, qui actuatur ex potentia, adeoque defectuosus est & mancus, perfecta sint à se ipsis, sed ab alio: quod potentiam in esse deducendo, generat actum & producit Compositum, dum illa existere facit.

§. 8. Jam porrò notum est, quod perfectio compositi non competat singulis ejus partibus, quia quælibet harum privata est perfectione omnibus communi: Unde omne compositum multum est, & totum simul habet perfectionem unam, communem multis partibus in se defectuosis: quare etiam totum illud non habet perfectionem absolutam & completam, quia partes componentes illud imperfectæ sunt.

§. 9. Adde, quod ea, quæ constituuntur ab alio, & componuntur cum alio, etiam cum inferiore, necessariò requirant Ens aliquod perfectum, quod citra auxilium extraneum subsistat per se & sibi ipsi sit sufficiens, adeoque simplex. Nam quia alienum est ab omni potentialitate subjecti

 & com-

& compositionis; per se simplex erit & in infinitum persister lucens atque splendidum.

§. 10. Et quia subsistit per se & necessarium est; hinc non tantum est unum, & causa entium reliquorum, sed etiam perfectissimè simplex est, & omnino perfectum: unde nullo modo eidem convenit numerus, vel compositio, quippe quæ contraria sunt naturæ ejus.

§. 11. Ex quo sequitur, 1. quod neutiquam in se admittat dimensiones quantitativas, ut sunt, longitudo, latitudo & profunditas, multo minus quod inde construitur, qualia sunt corpora ex illis composita: adeoque impossibile est, illud esse unum ex his, vel partem ejus, vel simile quid.

§. 12. Deinde quoque 2. alienum erit ab omni compositione materiæ & formæ, quæ competit rebus naturalibus, tam cœlestibus, quam elementis & elementatis.

§. 13. Nec tribui eidem 3. poterit qualecunque Genus & differentia compositionis, è quibus consistunt composita.

§. 14. Nec 4. compositio è substantia, accidente & differentia:

§. 15. Item 5. potentia & actu:

§. 16. Nec non 6. supposito & natura:

§. 17. Et 7. Essentia & existentia; quæ sunt modi, quibus composita sunt omnia entia reliqua, etiam animæ intelligentes, & intelligentiæ separatæ & similia: quæ propterea omnia sunt contingentia, finita & multiplicia, adeoque imperfecta.

§. 18. E contrario verò Causa ipsorum, quæ non est causatum, & vocatur Ens necessarium, à se ipsa est, & non ab alio; estque perfecta omnibus modis & excelsa atque magna eminentissimè atque infinitè: adeoque & simplex perfectissima simplicitate: item immutabilis & æterna, elevata super omnia extra se posita, & constans perfectione infinita; estque causa omnium, sapientia infinita, bonitateque & potentia, prout dicetur latius.

CAP. IV.

Per unitatem, quæ reperitur in multitudine, demonstratur, dari aliquod per se subsistens eminenter, quod sit causa reliquorum Unorum, & multorum. Et hoc excellentissimo quodam modo alienum esse ab omni natura corporis & formæ corporeæ, animæ, & intellectus viventis, existentiæ & Essentiæ: cujus eminentia depingitur sub analogia unius ad numerum relati. Simulque exponitur, quomodo ab illo dependeant omnia.

§. 1.

OMnia, quæ sunt, tam corporea & materiæ innexa, quam ab hac separata, considerantur ut Unum quid. Quamvis enim differant modis variis, gradibusque, item generibus, speciebus, proprietatibus, accidentibus; quoad entitatem tamen non sunt separata, quia omnia & singula sunt entia & entium propagines quodammodo coordinatæ. Adeò, ut quamvis mutentur naturæ atque conditiones eorum, semper tamen retineant statum essendi, ob quem sunt unum quid.

§. 2. Hoc unum autem non est à sese, quia non subsistit per se, sed per aliud; nec est primum simplex & perfectum, sed ultimum, defectuosum, & mancum, secundùm naturam multi, quod imperfectum est, divisibile, & sub privatione.

§. 3. Jam si unum hoc, quod reperitur in multitudine, non est à seipso; quæritur, cujusnam demum vi atque privilegio sit? Non sanè vi multorum, & mutabilium, in quibus consistit: quia, cum hæc talia sint, non possunt esse causa Unius, quod ab omnibus distinctum quid est. Nec etiam virtute unius è multis illis; quia, cùm hoc sit singulare quid & ab aliis Unis divisum atque separatum, non sanè dare poterit omnibus

omnibus unitatem illam generalem & inseparatam, in qua omnia communionem habent.

§. 4. Ergò Unitas illa, quæ se extendit per multitudinem, dependet ab Unitate aliqua, quæ sine mutatione & numero, in perfectione completa à se ipsa & per se ipsam subsistit. Quod si enim in illa daretur aliqua saltem multitudo, eadem recurreret quæstio, & dicendum esset, quod non esset à se, nec ab uno è singularibus, nec ab omnibus simul; adeoque procederetur in infinitum, quod est absurdum.

§. 5. Hinc subsistendum erit in Uno, quod excludit omnem multitudinem; & hoc erit causa illius, & multi, & causa unitatis communis omnibus, & singulis ejus membris.

§. 6. Hoc unum simplex independens est ab alio, & improductum. Si enim dependeret à causa superiore, duo magna sequerentur absurda. Primò, quia non esset unum, perfectum & simplex: cum enim dependeret ab alio, necessariò communem cùm illo haberet notionem aliquam: adeoque non esset unum simplex, sed multum, & compositum è communitate causæ suæ & ipsa unitate & natura suâ.

§. 7. Secundò, quia Causa ejus non esset una; cùm enim foret superior causato suo, & hoc tamen est Unum primum & perfectum, adeoque principium omnis unitatis, unde causa illa superior non communem haberet naturam cum causato suo se inferiore; hinc necessariò vel non esset; (quia nihil datur, quod non sit unum:) vel esset multitudo quædam, in infinitum, composita è multis infinitis, quod est absurdum.

§. 8. Unde concluditur: quod principium sine principio, & quod continet omnia Entia, sit unum simplex.

§. 9. Hoc autem non potest esse corpus, quippe quod compositum est è partibus variis.

§. 10. Nec forma corporea, quæ multiplicatur & extenditur in classes & dimensiones quanti divisibilis.

§. 11. Nec

§. 11. Nec anima, quæ ob facultates & operationes suas communis est variis multitudinibus & motibus.

§. 12. Nec est intellectus, qui compositus est, dum multiplicatur ab existentia objectorum vitalium & omnium aliorum: nec non è natura intellectuali, & actu intelligentis & objectis variis.

§. 13. Nec etiam est vita, ob motum internum eidem superadditum, unde fermè componi dicenda esset ab utroque.

§. 14. Nec est Ens compositum ab existentia & essentia.

§. 15. Nec est Essentia, cui ob defectum suum prospectum sit de existentia, qua dum carebat, erat non-Ens.

§. 16. Et tandem non est Natura, vel Ens, quod producat Essentiam secum habentem communitatem; & quæ intra suos terminos & limites definitionis admittenda sit.

§. 17. Jam igitur sciendum est, dum Causa prima vocatur Una, id fieri ad analogiam & cum respectu ad Unitatem, quæ est principium Numeri. Nam hæc est Caput omnium numerorum, ita ut non sit unus ex ipsis, nec omnes simul sumti: sed omnes complectitur implicitè, eminenter & simpliciter, ut tamen non determinetur vel ad unum vel ad omnes: idque omne propterea, quia continet omnes perfectiones eorum, citra defectum, multitudinem, mutationem, & divisionem, quæ ipsorum sunt attributa: estque in omnibus non tantùm in totis, quia totus numerus unus est; sed & in partibus eorum, quia quælibet etiam pars una est; ita ut existat in omni quoq; parte partium eorum, & sic in omnibus: ut adeo sit totus in toto, & totus in qualibet parte, quia alienus est à partibus & indivisibilis: & omnis numerus in ipsum convertitur & resolvitur, sive magnus sit, sive parvus, prout ipsi vel vicinior vel ab eo remotior est.

§. 18. Eodem modo Causa prima, Deus nempe benedictus; est principium omnium Entium, quæ fuerunt, sunt & crunt,

erunt;ita tamen ut non sit unum ex ipsis, nec omnia simul: idque non quod alienus sit ab ipsis,sed quod sit super illa elevatus & supereminens,modo & gradu quàm perfectissimo.Per se enim solumodò subsistit,& non extenditur ad aliud quid extra se: adeò, ut in essentia sua contineat & implicet omnia Entia,non tantum ceu principium,quod omnibus dat omnia, & in ea influxum habet; sed & tanquam fons scaturiens,qui emittit aquas in rivum:&producit omnia,prout ipse est omnia, sed omnia in eminenti unitate, simplicitate, & excellentia; non comprehensus sub notione Generis, terminati speciebus suis; nec limitatus differentia vel natura hac vel illa,vel ullo quod sit vel esse possit: sed existens super omnia infinitè, & eminentior omnibus illimitatè. Sicque in se continet finitum,per modum infinitatis; multum, per modum unitatis; compositum,per modum simplicitatis; & mutabile,per modum perennitatis & permanentiæ; item temporale per modum æternitatis;corporeum per modum spiritualitatis,& summatim, omnia per modum Unius infinitè & eminenter dicti. Prout & existit in omnibus magis intrinsecus quam ipsa sibi, estque totus in omnibus, & totus in singulis & in singulorum partibus singulis, ut tamen non includatur vel ab uno eorum, vel ab omnibus, sed ipsa includat omnia, quia ipse ab extra illa ambit, & ab intra illa implet. Ab extra enim ita est, & super omnia, ut tamen non abfit vel separetur ab intimoomnium; nec tamen includatur vel comprehendatur ab universis,cum super omnia inæstimabiliter & incomparabiliter sit evectus: in interiora tamen omnium extenditur & in ipsa immanere facit omnem essentiam,potentiam,& operationem eorum, sed ita,ut in se ipsum regressus sua essentia omnia perficiat. Et sic quoque Unitatem illis confert determinatam, ut similia,in genere suo,sint Unitati Ejus: quæ enim simplicia sunt,propter unitatem, quam ab Ipso acceperunt, una sunt; & quæ composita, ob unionem & nexum partium cum toto:

adeò

adeò,ut omnia conspirent ordine quodam generali in unum, quia dependentiam habent à principio Uno; & tendunt ad finem Unum.

§. 19. Unde concludimus, quia totum universum est unum, vel unitum, vel cum ordine ad unum, omnia etiam emanâsse ab Uno simplici & perfecto; & omnia ad unitatis naturam aspirare & agi: quia unum est causa permanentiæ & entitatis eorum,eò quod id,quod unum est, æternum esse potest, & perfectum,respectu unitatis, cum qua habet communionem.

CAP. V.

Illustrat præcedentia & explicat Unitatem Causæ primæ, ejusque proprietates & perfectionem.

§. 1.

CAusa prima,Creator & productor omnium entium, non est Unum numerale,ut principium numeri: quod est sub quantitate discreta & accidens.

§. 2. Nec est unum corporale, quod pertinet ad quantitatem continuam: quia licet hoc sit insectile,in partes tamen dividi potest in infinitum.

§. 3. Nec est unum essentiale,determinatum ad aliquam naturarum,ut sunt,verbi gratia,unum vivens,vel intelligentia una &c. quod non est primum, simplex,& perfectè unum,sed sive hoc,sive aliud,sunt de natura posteriorum, suntque cum privatione,compositione & defectu.

§. 4. Nec est unum accidentale,quod imperfectum est.

§. 5. Nec est unum genericum, quod continet species multas.

§. 6. Nec unum specificum, quod continet multa individua.

§. 7. Nec individuale,quod compositum est è quantitate

& ma-

& materia, vel è natura specifica, & individuali, proprietatibusque & conditionibus accidentalibus; vel tandem ex essentia & supposito.

§. 8. Nec est Unum, quod admittat additionem & augmentum ab alio: ita ut ipsum sit in alio, vel aliud in ipso: quod dependeat ab alio, vel respectum habeat ad aliud.

§. 9. Nec est Unum, quod concurrat cum alio, ut fiant compositum unum, aut Totum unum.

§. 10. Nec est unum, quod compositum sit è partibus diversis, prout est universum.

§. 11. Nec est sicut unum, quod partibus suis prius est, & in illas extenditur, velut in operationes suas & facultates suas.

§. 12. Nec est unum, quod idem esse queat cum alio, vel quod similitudinem, relationem & analogiam habere queat cum alio.

§. 13. Sed est unum, quod negat omnem multitudinem, compositionem, definitionem, & terminum æqualitatis & societatis, item similitudinem, respectum, combinationem aut dispositionem cum alio: & multò magis dependentiam ab alio superiore, quod excelsius sit ipso, & causa existentiæ & operationis ejus. Adeoque est Unum, infinitis modis distinctum ab omnibus entibus in universum: quodque per naturam suam superantem & vehementem actum magnitudinis suæ degit & consistit, id est, infinitè unum est, in essentia sua propria, & in simplicitate perfecta, indivisibile & indivisum, & in omnibus operationibus suis, quæ sunt entia reliqua, intimum, totum in omnibus, & in singulis & partibus eorum, & partium partibus: ita ut quàm perfectissimè sit causa existentiæ, essentiæ, permanentiæ, potentiæ, & operationis eorum.

§. 14. His addimus: quod diximus, hoc unum esse indivisibile; id nempe sic intelligendum, ut quodammodo contrarium sit Uni, quod est principium numeri; & puncto, quod

quod est radix quantitatis molis: quia præterquàm, quod ambo sunt accidentia & sub natura multi & magni; hæc etiam ab intellectu nostro considerantur, descendendo à summo ad imum, à multo ad paucum, tanquam minima & infima secundùm ultimam extremitatem. Sed causa prima & Deus benedictus, à nobis considerandus est ab imo ad summum, à pauco ad multum, tanquam supremum quid & circundans omnia entia alia & perfectissima magnitudine, & fortitudine, & potentia ipsa superans.

§. 15. Unde concludimus, quod, cum ipsum appellamus Unum, non tam affirmamus aliquid de essentia vel natura ejus, quia, cum sit infinitus, excelsior quoque est infinitis modis, quàm ut ullo intellectu vel lingua concipi aut edisseri queat: sed potius negamus de eo omnem dependentiam ab alio, & omnem tendentiam ad aliud se prius; & omnem pluralitatem principiorum, quæ simul cum uno simplici sint causæ primæ omnium entium: omnemque adeo compositionem multitudinis & alteritatis internæ, ut sunt, ex actu & potentia, ex affirmatione & negatione; ex existentia & essentia; ex substantia & accidente; ex entitate in potentia & entitate actu; ex entitate & bonitate entitatis; ex natura vitæ & intellectu; ex voluntate & intentionibus ejus; & operationibus ejus, quæ sunt benignitas, judicium, & pulchritudo; ex bonitate & unitate & cæteris attributis, quæ à se invicem diversa sunt, & omnia simul ab essentia ceu subjecto suo. Unde, cum de causa prima negamus omnes hos defectus, & perfectiones finitas, id dicimus, quod, quia illa non est causatum, sequatur, illam esse priorem omnibus entibus; & quia est una, nulla inveniatur alia præter ipsam; quodque ob excellentiam simplicitatis suæ à se excludat omne multum, omnem compositionem, & motum; & summariter, cum sit infinita, omnem privationem & perfectionem finitam, definitionem, terminum, analogiam, respectum, dispositionem, & assimilationem cum causatis

satis suis, non tantùm existentibus, sed & possibilibus & similibus; & si addimus causalitatem, quam habet (ut unum in numeros) in omnia entia, prout docuimus capite præcedente, intentio nostra clara satis erit atque manifesta.

Cap. VI.

Demonstratur rationibus multis, quod Causa prima sit infinita; & explicatur, quomodo?

§. 1.

Quod causa prima & Unum simplex sit infinitum, probatur hoc modo. Causatum ultimum est circundatum & subter omnibus causis suis: ipsum verò non circundat nec terminat ullam rem aliam: quod si non foret, ipsum esset causa & non causatum & postremum, quia daretur aliud post illud, ab ipso dependens.

§. 2. Similiter Causa prima & Unum simplex ambit & terminat omnia entia; ipsum verò non circundatur nec terminatur ab alio; quod si non foret, non esset primum, sed posterius, & post aliud: nec esset causa, sed causatum.

§. 3. Jam igitur, quia Deus non circundatur nec terminatur ab alio, sequitur, ipsum esse infinitum, quia per se & à se termino caret & limite. Nam quia terminus & limitatio ipsi est defectus & imperfectio, hinc non datur in eo, per se & à se tale quid, nisi simul illi tribueretur defectus scientiæ & potentiæ: necesse ergo est, ut negetur de eo in summo gradu, tanquam de perfectione summa & divina.

§. 4. Et quia etiam non est causatum sui ipsius, (cùm aliàs foret ante se ipsum, quod est absurdum:) dici etiam non potest, quod ipse sit causa termini sui, qui limitet & definiat existentiam ejus: sicut differentia, quæ determinat Genus ad speciem.

§. 5. Mul-

§. 5. Multò minùs autem terminatur ab alio; quia est prior omnibus principiis & causis; ipse verò est prima.

§. 6. Jam subnectimus pro ratione secunda: Quantò magis entia sunt una, tantò sunt robustiora & fortiora. Causa autem prima, tanquam radix omnis Unitatis in summo gradu Una est, atque simplex; Ergò etiam in summo gradu erit robusta & vigorosa: nam ipsa Potestas illimitata in essentia, est etiam interminata, & irrefracta in gradibus potentiæ & excellentiæ; adeoque perfecta & sine carens.

§. 7. Ratio tertia: Actus in se & sua natura considerans non involvit terminum; quia subjectum, quod suscipit terminum, sunt actuata vel perfectione privata; quæ opponuntur actui, qui in se est efficax & perfectus: ita ut activum non sit passivum nec receptivum termini, nisi applicetur ad ens potentiale & passivum, amittatque perfectionem & vim suam. Jam autem Unum simplex est actus simplex & perfectus in excellenti gradu, & alienus atque liber ab omni facultate passiva, sive essentiæ, sive materiæ: adeoque est infinitum & illimitatum; prout apparebit è ratione quarta.

§. 8. Quæ est hæc: quod, quia nullius rei est susceptivum, necessariò sit infinitum, prout dicetur: quia, quod definiri nequit terminis summorum generum, quæ continent omnem naturam finitam, qualia sunt decem Prædicamenta, necessariò absolutè & perfectè infinitum est. Jam verò causa prima talis est: nec reduci potest ad ullum prædicamentum, prout statuerunt Philosophi. Ergò indubitatò est infinita.

§. 9. Ratio quinta: Si ad magnam durationem necessaria est magna potentia; sequitur, quod ad durationem & permanentiam infinitam necessaria sit potentia infinita. Jam verò Causa prima æternam, & principio & fine carentem habet durationem & permanentiam: Ergò illa vim quoque, potentiamque & robur habet infinitum, per quam in infinitum persistere & permanere potest. In specie, quia duratio ejus

 non

non est temporalis,cui tribui queat prius & posterius; præteritum, præsens & futurum; sed sine motu continuata & una; adeoque proveniens è vi & potentia non subjectâ tempori tali, quod quasi compositum sit è partibus infinitis, quarum tamen quælibet sit finita; sed eodem actu perfecto & vehementi continuatâ,ut,cum sit à se ipsa sine motu & una,sit quoque perfectissimè infinita. Et hæc infinitas est unum & idem cùm essentiâ ejus, citra devolutionem temporis, nec ita,ut quasi successivè illam acciperet & haberet de momento in momentum partem unam post aliam: quæ omnia ulterius dilucidantur ratione sequenti sexta.

§. 10. Quicquid est terminatum & finitum, vel tale est ab intra per principia essentialia,ut sunt forma & materia; vel ab extra limites accipit. Primo modo terminantur naturæ corporeæ & compositæ: Secundo, simplices & immateriales. Et sic modo primo forma terminatur per materiam vel ens potentiale,in quo commoratura est, ita quidem, ut non assequatur omnem perfectionem naturæ suæ, sed illam tantùm quam è dispositione sui vel materiæ suæ habere potest: quoniam etiam ea,quæ per naturam suam terminata & specificata sunt,restringuntur per rem illam, in qua degunt. Sed formæ incorporeæ pro gradu perfectionis suæ considerari possunt ut aliquid infinitum; id est, indeterminatæ sunt ad ullum gradum suæ speciei, ita tamen,ut etiam non negetur de iis,ipsas esse finitas,quoniam in ordine existendi & entium, non sunt naturæ absolutè perfectæ in se & per se subsistentes; sed formæ aut naturæ,quæ acceperunt esse & existentiam ab alio,quod illas determinat ad hanc vel illam existentiam, naturam aut speciem.

§. 11. Sed causa prima non terminatur à materia, vel essentia; nec limitatur,per aliquam speciem vel naturam,ut corporea: Nec est forma vel natura immaterialis existens sub communitate, unde quidem limitatur terminis speciei suæ, sed

sed ita tamen, ut,licet ei non desit ullus gradus perfectionis speciei suæ, nihilominùs ad absolutam perfectionem non accedat. Sed illa, nempe causa prima est per ipsam existentiam infinita & perfecta in essendo, in se & à se subsistens, & sic infinita & interminata, prout id explicat Philosophus Aquinas in Quæstionibus suis,dum inquit in hunc ferè modum: Infinitum & interminatum duobus modis dicitur, primò privativè,cui quidem competit finis,sed in quo consummatio non extat: & hoc non habet locum,nisi in quantitatibus continuis & discretis. Secundò negativè id est infinitum tale, cui nec competit, nec actu datur in eo terminus ullus vel finis. Primus modus non competit Causæ primæ, quia hæc non est quantitas,nec ulla dimensio in illa est: & deinde, quia cum omni privatione concurrit defectus, qui de causa prima dici nequit. Sed modus alter,qui negativus vocatur,verè in ipsam quadrat & propriè,quia non terminatur ab alio, & existentia, vita, intellectus, veritas, bonitas, potentia & cœtera attributa ejus nullum admittunt terminum.

§. 12. Sed ut redeamus ad præcellentiam roboris ejus & singularitatem facultatis ejus agendi,dicimus per sequelam de activitate: tanta est rei præcellentia, quanta est ejus activitas; quia res magna judicatur secundùm potestatem agendi, quam habet. Jam verò Causa prima est agens infinitum; quod ex eo demonstratur,quod agens non terminatur nisi vel ex parte agentis, sicut activitatem opificis sequitur natura & perfectio operis ejus: vel ex parte recipientis, vel subjecti, sicut calor modificatur & terminatur dispositione & quantitate lignorum ardentium. Sed activitas Dei non terminatur ullo agente, qui hic non datur, cùm ille sit primus & à se ipso, nec dependens ab alio: nec ullo subjecto alio extra se; quia, cum in illo non sit ulla potentia operandi relativa, ipse est actus perfectus & absolutus, quamvis non adsit recipiens aliud, in potentiâ; nec extra illum ullum detur subjectum.

Et propterea est infinitus, & existentia ejus est perfecta & completa.

§. 13. Sicut apparet & ex hoc: quod existentia viri hujus refertur ad speciem humanam, in quo ille existit cum ipsa natura sua, privatus cæteris, quæ extra ipsum; cui similis est existentia leonis, Solis, angeli & cæterorum entium. Jam igitur, si nullum est extra ipsum subjectum recipiens, id est, nulla natura vel essentia generica, specifica, individualis, &c. ab ipso separata; sequitur, ipsum esse essentiam simplicem, interminatam ab ullo existente, infinitam, & æternam. Et sicut natura generalis extenditur ad entia infinita, sic divina est infinita in essentia sua, & extenditur in infinitum.

Cap. VII.

Formatur objectio, & subjicitur Responsio. Probaturque, qua ratione non omnia divisibilia sint infinita. Et Confirmatur ex Platone, quod omnia entia composita sint è fine & termino: quodque Causa prima, quatenus sublimior est ambobus, sit causa eorum.

§. 1.

Redibimus autem, tam ad finitum perfectum & ultimum, quam ad Unum simplex, à quo, quia est primum & principium perfectum & absolutum, initium fecimus scribendi; dicimusque; quod, quamvis Unum simplex, in se ipso non admittat numerum ullum, tamen etiam dentur quædam, ubi Totum positivè compositum est è partibus, & hæc tamen non habent partes, & talia sunt multa, & respectum habent ad Totum; & tamen in iis nec principium datur, nec medium, nec finis, nec terminus; prout explicabimus. Unde formari posset objectio: quod nempe Unum numerale, principium numeri scilicet; & punctum, quod etiam suo modo est principium quantitatis continuæ, non habeant partes, unde

unde colligeretur, quod etiam principio, medio & fine careant, & sint infinita.

§. 2. Sed respondemus: quod Unum numerale & punctum in suo genere quidem sint indefinita: quia Unum non habet partes numeri, nec punctum partes dimensionum; & tamen non repugnat, quin Unum se extendat ad numeros infinitos; & Punctum se extendat ad dimensiones infinitas; quare utrumq; vocari potest indefinitum in suo genere: quamvis in ordine omnium Entium generali sint absolutissimè finita. Nam post Unum simplex, quælibet essentia vel natura finita definitur definitione determinata, & restringitur differentia quadam specifica ad certam aliquam speciem, in qua comprehendatur & includatur cum proprietatibus, attributisque suis & his vel illis conditionibus, dum & aliunde quædam accidentia alia suscipit. Adeoque definita est & sub natura quadam superiore vel causa, à qua dependentia ejus ordinatur ad finem ipsi essentialem, cum hac vel illa facultate, commensurata & determinata ad operationes & opera finita. Et quia Unum numerale & Punctum hos terminos & partes admittunt, reverà sunt finita, prout & cætera Entia: quoniam hæc in concatenatione & descensu ab uno simplici & perfecto, necessariò sunt composita, adeoque finita, quia constant termino & fine, potentia & actu. Quod Sapientes, qui gnari sunt Veritatis in materia de Judicio & misericordia, sic exprimunt, quod Causata ortum habeant à Restrictione Infiniti & causæ primæ, & emanatione Lucis ejus & potentiæ ejus, prout infrà deducetur.

§. 3. Est autem Finis potentia imperfectionis, in se quidem informis, sed tamen formam & perfectionem quandam accipiens ab alio. Vel, est potentia passiva, accipiens perfectionem & actum primum, qui est in ordine ad opus, progredientem ad opus ipsum vel actum secundum.

§. 4. Terminus autem vocatur forma vel actus, & opus, quod

quod in perfectionem deducit potentiam, dando illi perfectionem desideratam.

§. 5. Adeoque Finis & Terminus sunt principia & fundamenta prima & generalia, per quæ à causa prima constituitur compositio & essentia omnium entium & operationum. Quamvis enim sibi sint opposita, tamen ab Illa dependentiam habent, & Illa est Unitas simplex, quæ illas producit ut causa, & jungit, & unit ut sint unum.

§. 6. Nunc notandum, quod Illa, nempe Causa prima talem finem quidem non habeat; sed non cum respectu ad alium, (à quo eum habere possit:) quia aliàs esset potentialis, & imperfecta & ab alio superiore ad perfectionem & terminum deducta; adeoque non posset terminare vel perficere cætera indefinita: quia, quod quis non habet, nec invenitur penes illum, non potest dare alteri.

§. 7. Illa porrò etiam non est Terminus supra descriptus; quia aliàs esset determinata ad dispositionem potentiæ, quæ in illo definit & quiescit. Nec etiam posset dari perennitas.

§. 8. Quare Unum illud simplex superius est istis omnibus, & omnibus aliis quocunque modo oppositis, quia potest æqualiter illa producere & perficere: cum absolutissimè sit infinitum, quia in ipso non dantur termini aut partes ab intra, nec ab extra ista accipit, propter quæ terminaretur v. g. ab Ente vel forma, vel Causa quàdam actuali, aut finita, aut cadente sub scientiam, vel tempus, vel locum, vel aliam conditionem similem: cum excellentia Potestatis & roboris Ejus non sit susceptiva ullius numeri vel modi: & hinc est infinitum modo quàm perfectissimo.

§. 9. Adeoque dicimus, quod Ipsum sit terminus omnium entium: non, quod sit terminus hic vel iste, aut ullo gradu natura vel affectio quædam; nec etiam quod sit ab uno vel ab omnibus; Sed quia est principium & causa omnium terminorum, qui perficiunt & formant omnes æones & potentias.

CAP.

CAP. VIII.

Probatur rationibus haud paucis, quod Unum illud simplex, quod est Ens necessarium & Causa prima, sit Bonum perfectum, & proponuntur aliquæ proprietates ejus.

§. 1.

QUod Bonum perfectum & absolutum sit Unum illud simplex & infinitum, sic probatur: Quia aliàs necessariò & positivè in Ipso involveretur aliqua multitudo & compositio: & tunc non esset per se sufficiens & perfectum; quoniam omnis pars caret perfectione partis alterius & perfectione Totius; & quicquid compositum est è partibus imperfectis, non est perfectum, ut taceam, quod omnis pars opus habeat parte aliâ; & singula egeant Toto ex ipsis composito, quod etiam opus habet ipsis. Prout & tam partes, quàm Totum sunt ab uno illo simplici, quòd, cum ipsis sit superius, est causa eorum; & causa, quod unumquodque eorum sit unum, & ex omnibus simul consistat totum, quod etiam sit unum. Adeoque si esset compositum, opus haberet partibus & componente; esset que sub privatione & defectu, posterius, & ab alio; & per consequens, non Bonum vel perfectum, ut completum & perfectum primum, existens à se & permanens.

§. 2. Nam si Bonum absolutum non esset Unum illud simplex, quod prius est omnibus entibus; tunc illud, quod conciperemus esse ante illud, ipso foret melius: quoniam causa superior semper perfectione superat causatum, quod ab ipsa productum est: dari autem Bono absolutò melius, absurdum est: quia esset melius ex eo, quod esset communius: impossibile autem est Summo Bono dari superius, quia, cùm sit super omnia elevatum, impossibile quoque est isto Bono absolutis-

solutissimo dari melius; quia hoc ob summitatem suam superius nihil admittit.

§. 3. His addimus: Bonum perfectum vel desiderio afficeretur erga causam suam, vel non. Quod non desideraturum sit Illam, impossibile est, quia omne effectum percupit suum efficiens, & omne formatum suum formatorem, ut accipiat actum perfectum, ab eo, à quo accepit actum primum. Quod autem desideraturum sit illam, etiam impossibile est, quia Bonum perfectum à se ipso est, nec opus habet alio: adeoque nihil esset, quod cupere vel desiderare posset. Nec etiam sive Ipsum, sive aliud quodcunque, desideraret aliquid, quod non esset bonum; quia hic est finis & scopus omnis cupiditatis.

§. 4. Et reverà, si res ipsa spectetur, admirandum omninò est dominium Boni perfecti, quod solum est essentiale & proprium Causæ summæ & perfectæ, Causæ scilicet omnium entium: quod nempe in ipsa ejus essentia lateat vis & robur infinitum & incessans, conjunctum cum benignitate & clementia tam gratiosa & commiserante; adeo, ut quamvis plena facultas ipsi sit extirpandi & destruendi omnia entia in universum; nam si rapuerit, quis restituere faciet eum. Job. 9. 12. non tamen urget illa; sed benignitate & bonitate sua insigni ducit & gubernat ea blandissimè; intenditque illum ipsum finem, imò & media, quæ ipsa percupiunt & desiderant: nemo autem aliquid desiderat, nisi quod pro bono habet, qui est finis omnis cupiditatis & operum omnium. Non igitur reperitur dominium & regimen in natura ullum, quod simile foret miserationi & gratiæ Boni perfecti. Et istud amatur ab omnibus, ita, ut si fieri posset, quod absit! ut spernatur vis & potestas infinita, impossibile tamen esset, ut illud sperneretur; sed necesse est, ut semper desideretur & quæratur: cùm enim causa sit omnis boni, quæ produxit omnia entia, estque perfectio omnium, & ipse finis & scopus generalis, & perfectio omnis

omnis desiderii & amoris; alienum planè est & separatum ab omni odio & inimicitia: &, sicut Plato loquitur, ipsum est sufficiens per se ipsum: ita ut se exferat & influat in omnia entia influxu maximo, nec ullus tamen in ipso concipi possit defectus: nec tantùm immanare sinit & immittit in illa bona naturalia, quæ pertinent ad ipsorum essentiam; sed ea quoq; ad se trahit, & perficit, & ad se reducit, & quælibet in suo genere beata reddit.

§. 5. Juxta hæc omnia Bonum perfectum est illud, quod est primum perfectum & simplex, non causatum, & præditum potestate infinita, unum absolutum, & necessariò existens absque fine, & causa entium. Hoc est Bonum, quod non est ab alio, vel in alio, vel ad aliud; sed à se ipso, in se ipso, & ad se ipsum: quod non est corpus bonum; nec anima bona; vel intellectus bonus, natura bona, vita, vis, aut actus, nec perfectio alia singularis, vel essentialis; existens, vel potentialis; quia omnia hæc, cum sint mensurata & terminata, per naturam prirata sunt cœteris perfectionibus: & quodlibet ex ipsis, quamvis sit perfectum in suo genere, non tamen est absolutè.

§. 6. Nec est compositum quoddam unum ab omnibus perfectionibus, quia tale, cum foret concretum & compositum, necessariò esset posterius quid, & ab uno simplici dependens; adde, quod compositum illud Boni simplicis & perfecti, & indeterminati ad naturam aliam, ab Illo dimensuraretur, & determinaretur ad certam aliquam affectionem finitam, genus vel speciem: unde defectus in ipso existeret.

§. 7. Adeoque bonum istud negandum est, & substituendum Bonum simplex, præter quod non datur aliud; Bonum elevatum super omnia Bona; quod subsistit per se, & non dependet ab alio; quod non est affectio vel attributum; dispositio vel habitus; actus primus vel secundus ab ipso divisa; nec existens per causam superiorem aliam; nec subjectum in quo

 existat;

existat; vel finis ad quem tendat: Sed est principium sine principio & fine fine, & finis omnium bonorum.

§. 8. Et reverà, affectio Boni omninò competit DEO, imò illi soli convenit: hac ipsâ enim ostenditur insignis ejus Celsitudo & ipsa natura perfectionis ejus; cádem etiam demonstratur communicatio ejus, & quod omnibus entibus influxum præbeat à Bonitate sua, ut per Bonitatem Ejus crescant & exaltentur, non tamen ut ipse propterea defectum patiatur: non enim quadrat in Bonum perfectum privatio & defectus: sed id influere sinit & largitur, per insignem benignitatem suam, quod præ magnitudine & immensitate boni ejus exundat è Scaturiginibus suis.

§. 9. Hoc est Bonum illud perfectum, quod continet in perfectione Unius, omnes perfectiones & bonitates: quoniam existentia, & vita; intellectus & veritas; potentia & actus; benignitas & severitas; pulchritudo & omnis perfectio alia, & omnes simul continentur, reconduntur & abstrusæ sunt in Bono. Nam ad operandum bonum, solum Bonum perfectum omnibus influxum præbet.

§. 10. Præterea Bonum etiam per se competit causæ finali, & principio sine principio, quod est finis omnium entium. Cum enim sit principium omnium principiorum, & causa omnium causarum, eo ipso causa est omnium causarum aliarum, easque de se negat; & productionem operationum illarum ipsum perficit, & ad id, in quo quiescant, deducit. Adeò, ut, quia est sufficientissimus, & perfectus; super omnia, & in omnia influxum præbeat citra ullum sui defectum; estque scopus & centrum eminentissimo modo, & cum plena intromissione in omnia, illa continet & amplexatur; producitque causaliter omnes perfectiones desiderabiles, quas dum unæ fiunt cum eo, perficit, & in summo gradu beatificat & ditat.

CAP.

CAP. IX.

Concluditur, quod unum simplex & Bonum perfectum sit Æn-Soph seu Numen infinitum benedictum, & Causa prima, sit Causa omnium entium.

§. 1.

EX omnibus supradictis clarissimè patet, quid intendat R. Jizchak Lorja, dum, quàm proximè ad hunc sensum, sic inquit: Unitas divina, quæ est infinita, est ante omnia Entia, estque causa eorum. Nam, quia Unum simplex est prius, & producit omnem numerum & compositionem, indubitatò sequitur, quicquid est, esse vel simplex vel compositum. Si est simplex, tale est propter unitatem quæ dependet ab uno simplici, quod fecit ipsum simplex & unum, & non tantum indivisum actu, sed etiam indivisibile, & citra hanc potentiam, ut dividi possit unquam. Si est compositum; tum sanè nondum est tale, quamdiu partes ejus inter se adhuc separatæ sunt, ac divisæ, sed tum demum, cùm uniuntur per unum simplex, quod prius est ipsis, & ipsa causaliter producit; atque tunc componuntur, & fiunt compositum unum; quod, quamvis actu non est divisum, in potentiâ tamen est divisibile. Adeò, ut cum Unum illud simplex sit principium, & scaturigo, & origo omnis Unitatis, ipsum etiam sit Omnia, quæ illa sunt, absoluta necessitate.

§. 2. Præterea, qui Necessarium illud existens est Infinitum, sequitur, quod Causa sit omnis essentiæ & naturæ finitæ. Omne enim ens, si non habet entitatem suam ab Ente simplici & puro, (quia non potest esse causa sui ipsius, cum alioquin esset antequam esset, vel aliquid daret, quod non haberet, quod absurdum) tunc emanavit ab alio & virtute & ente quodam peculiari, quod esset perfectum & simplex, & necessariò existens, à se ipso: nam quicquid est ab alio & emanavit ali-

 unde

unde, illud dependet à quodam necessario, & quod sit à se ipso.

§. 3. Exempli gratia: lignum, non est calidum à se ipso, sed virtute ignis, qui per formam & naturam suam calidus est, & propterea causa omnis caloris, quem non accipit ab alio: quia ante calidum primum, non dici potest fuisse aliud. Quod si autem Sol & reliqua cœlestia calorem immittunt atque largiuntur igni & reliquis inferioribus; tunc vel juxta Platonicos id propterea fieret, quia constant ex igne; prout & dixerunt sapientes nostri: שמים cœlum dicitur quasi אש ignis & מים aqua: vel juxta Peripateticos, quia calor ibi continetur eminenter & secundùm excellentiam.

§. 4. Adeoque illud, quod non est à se ipso, sed ab alio necessario, dependet à tali, quod sit à se ipso, & à sua natura aut forma, aut proprietate tale: vel concludendum erit, illud, quod est ab alio, non dependere ab alio.

§. 5. His addimus: Quia Bonum perfectum tale est, quod per naturam suam validissimè extenditur, necesse est, ut sit, antequam extenditur in omnia. Nam quoniam essentiale & naturale est omnibus entibus, producere operationes sibi congruas; hinc operantur secundùm perfectionem suam, vel majorem vel minorem, in sua specie; adeoque perfectiora perfectiùs, & quædam perfectissimè, juxta species atque excellentias suas varias. Unde concluditur, quod Bonum perfectum, quod est eminenter singulare, & infinitum, quia est Bonum actuale & influens; & quia est summum eminenter, omnia det omnibus.

§. 6. Sed quia est simplex & unum, hinc à se emanare & dependere fecit immediatè Principiatum tantummodò unum, & in illo, & per illud, quia est unum super omnia, produxit omnia, & hoc modo est causa omnium entium. Et propter illud quodlibet ex ipsis unum est, & omnia evadent una, & redibunt in unum, tanquam ad principium & mensuram suam.

DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA.

CAP. I.

Probatur tredecim argumentis fortissimis, quod à Principio primo immediatè emanaverit Principiatum Unum tantùm & perfectum.

§. 1.

QUod à Causa vel principio primo, immediatè non emanaverit nisi Principiatum unicum tantùm, quod R. Jizchak Lorja, insecutus vestigia magni illius in Lege Luminis R. Schimeonis Jochaidæ in Libro Sohar, vocavit אדם קדמון seu Hominem primum: & Cabbalistæ ipso priores, כתר עליון Coronam Summam, demonstrare possumus argumentis his.

§. 2. Quia ab Uno, quatenus Unum, non emanat nisi unum: & ab Eodem, semper manente in eadem identitate sua, non potest provenire nisi idem. Hinc ab uno illo simplici, per actum unicum, ab ipso omninò indivisum, non potest emanare nisi Principatum solummodò unum. Jam verò Deus benedictus solus est Unum illud, de quo negatur omnis multiplicitas & alteritas potentiarum, operationum, attributorum, sive intellectui, sive objectis intellectualibus competentium, volitionum & desideriorum: & qui in essentia sua simplex persistit, in illo non potest produci ullum nomen relativum, dispositivum, coordinativum, & assimilativum, cum alio quopiam: quia ab omnibus entibus quàm absolutissimè abest, & differt, quia Ipse est Infinitus; ipse est unum illud, quod alienum est à tempore & motu: & hanc ob causam non operatur aliquid hodie, quod non operatus fuerit & heri, vel operaturus sit & cras. Nec utitur instrumentis variis & mediis diversis: quia nec ante Principiatum primum, quod

quod est instrumentum & medium ad omnia principata subsequentia, aliud aderat medium vel instrumentum; nec post illud: præter Principium ipsum sine Principio; à quo immediatè emanavit principiatum hoc primum, quod post emanationem suam medium est ad omnia principiata alia. Eodem modo non adfuerunt substantiæ diversæ & materiæ differentes, ob quarum dispositionem & naturam diversam vis operandi in Infinito diversimodè modificata fuisset, ut per illas (principiata) dividerentur & multiplicarentur. Unde concluditur, quod ab Uno illo simplici non exserat se vel emanet nisi principiatum unum.

§. 3. Ratio secunda: Quia etiam illi, qui statuunt, à causa prima immediatè dependere operationes varias, & causata plura, fatentur, ista non dependere à naturâ Unitatis atque simplicitatis ejus; (quia ab Illa non emanare queat nisi principiatum unum; eò quod à perfectè uno non emanet nisi Unum:) sed à multitudine formarum divinarum, quæ sint ideæ specierum, contentæ in intellectu divino, & abinde procedant: & à variatione voluntatis & liberi arbitrii, & prædominio voluntatis liberè eligentis. Qua opinione tamen indubitatò attribuitur multiplicitas Uni illi simplici, & operationes determinatæ & diversæ, & affectiones & proprietates introducuntur in incomparabilem illam naturam Infiniti omnium summorum summi.

§. 4. Ratio tertia hæc est: A causa perfecta, qualis est prima, congruum est emanare Causatum perfectum; quod non nisi unum esse potest. Quod si enim duo essent, vel plura, necessariò differrent numero & individualitate, ut hic homo ab illo; vel specie, ut homo & leo: vel ab uno ad unum, seu secundùm magis & minus: ut substantia ab accidente. Si autem differrent ut individua, sequeretur, illa constare è quantitate & materia, quæ sunt rationes fundamentales differentiæ numericæ & individualis secundùm Aristotelem, Thomamque

que Aquinatem & sectatores ejus. Adeoque nullum ex illis esset indivisibile, sed omnia naturalia, nec permanentia, adeoque imperfecta, quod fuit propositum. Si autem differrent specie, vel, quod magis, ut unum esset perfectius altero; tum sanè non omnia essent perfecta, imò nec prima; quia species sunt sicut numeri, dum una vel tantillum differentiæ essentialis plus habet quàm altera, adeoque fermè unum & idem sunt. Si autem unum referretur ad alterum, tanquam ad radicale quid, & prius, & unde haberet definitionem suam & essentiam, prout se habent substantia & accidens, tunc principiatum perfectum tamen saltem esset unum.

§. 5. Quod ulteriùs probatur per rationem hanc quartam, quæ est hæc: Si à Causa prima immediatè emanarent duo aut plura principiata, hæc necessariò vel essent penitus similia, vel penitus diversa: vel partim similia, partim diversa. Si planè sibi similia forent, non essent duo, sed unum, quia nulla intercederet differentia, qua separarentur. At si planè diversa essent, tunc, si unum esset principiatum ab eadem causa prima, hoc esset primum & perfectum, & per consequens hæc etiam una ex ipsorum differentiis, quod hoc esset primum & perfectum, ut dictum est, alterum autem non esset primum, nec perfectum. Unde sequitur, non dari principiatum nisi unum, quod sit perfectum & primum. Si autem partim convenirent, & partim discreparent; tunc omninò in uno existeret proprietas quædam, quâ alterum careret, nimirum id, in quo differrent: hæc autem vel perfectio esset, vel defectus. Si perfectio; alterum, quod illâ careret, non esset perfectum; nec etiam principiatum primum causæ primæ & perfectæ. Si autem defectus; hoc ipso diceretur privatus esse & carens perfectione quadam, quæ daretur in altero, quæque esset ipsa natura principiati perfecti & primi.

§. 6. Ratio quinta. Omnis multitudo reducitur ad unitatem quandam: ut, multitudo hominum ad speciem unam, & formam humanam: & omnis multitudo formarum specificarum, quæ unæ, & necessariò sub genere aliquo determinato sunt, reducuntur ad unitatem aliquam superiorem, quæ, quia est generalis, omnes illas in se complexa est, & extra se emisit & produxit. Sitque Exempli loco substantia, quæ comprehendit omnes naturas & substantias speciales. Eodem modo apparet, quod omnis multitudo materiatorum, vel subjectorum huc pertinentium, reducatur ad materiam vel subjectum primum: omnia corpora ad corpus unum: omnis calor & lux similiter ad calorem & lucem primam: item, omnes motus ad motum unum: omnes naturæ ad naturam unam, omnes naturas in se continentem: omnes animæ ad unam primam & perfectam: & omnes intelligentiæ & objecta intelligibilia ad intellectum primum & perfectum; & ad objectum & substantiam similem. Nec hoc tantùm, sed omnis hæc multitudo & unitas ejus, reducitur ad unitatem causæ primæ & æternæ atque externæ, quæ non est sub ulla classe finita, vel ullo prædicamento aut genere, sed super omnia inæstimabiliter elevata est. Verùm ad ipsius analogiam illa subordinata & subjecta sunt principiato primo & perfecto, quod, quia & ipsum est ejusdem generis, est determinatio & mensura cœterorum, quæ quantò propiùs ad hoc accedunt, vel remotiùs ab eo absunt, eo sunt perfectiora vel imperfectiora, & hâc proportione ipso sunt communiora, & magis ipsi similia. Ex hinc colligitur existentia unitatis primæ, unius, extremè perfectæ, sed emanatæ, ad quam referuntur omnia reliqua una tam emanata, quam numeri.

§. 7. Ratio sexta. Principiatum summum & simplex, quod emanavit à causa prima, non potest esse nisi unum. Si enim duo essent aut plura, necessariò, vel quicquid reperitur in uno, etiam reperitur in altero; vel non. Si prius, non essent duo,

duo, sed unum; quoniam, si in una essentia jungerentur, non possent esse duo, sed unum, compositum ex uno & altero, quod ambo complecteretur, & in substantia sua combinaret & uniret. Si autem dicemus, unum ex illis non comprehendere alterum, & non esse unam essentiam, tunc esset imperfectum, privatumque & carens eo, quod reperitur in altero, hoc ipso se potiore. Unde sequitur, non posse esse, nec esse revera, nisi unum. Et hæc est

§. 8. Ratio septima. Primum tam sublime & elevatum super alia, quale est Principiatum Causæ primæ, primum & perfectum, non decet esse nisi unum. Si enim inveniretur aliud, quod ipso non est prius & celsius, hoc sane non esset primum, ut diximus, & ante omnia, tam quoad perfectionem, quam quoad simplicitatem; quodque super omnia principiata & emanata esset elevatum & exaltatum, quia poneremus naturam aliam, quâ non esset prius; quod sane magnus foret error.

§. 9. Ratio octava. Prototypum illud, cui assimilari debet, quicquid est sub possibilitate, tanquam similitudini & imagini singulari, non potest esse nisi unum. Si enim essent duo vel plura; nullum ex illis esset, cui assimilaretur in debita perfectione, id quod possibile est. Quia, sicut perfectio totius speciei deest individuo aut singulari, quod ab illa emanat cum multis individuis aliis, in quorum universalitate continetur omnis illa perfectio, quâ carent singula, &, cùm differentiis materialibus distinguantur, quantitas & accidentia individualia, eapropter in perfecto primo etiam non reperiuntur individua multa, ut nec privatio vel defectus: hinc revera sequitur, etiam non dari nisi unum quoddam, cui assimilari, & ad quod referri possit, quicquid possibile est ideæ divinæ infinitæ. Præterea, quod est

§. 10. Ratio nona, quamvis adæquatio fieret per reliqua, tamen magis similitudinem refert Unum quid: quia

quia ipsum perfectiùs simile est Uni simplici & unitati divinæ perfectæ & sublimi, quam multa & diversa.

§. 11. Ratio decima. Illud, quod non intercedente ullo alio proximè adjacet Uni perfecto & simplici, non potest esse nisi unum & simplex. Quia, si esset multiplex & diversum, non esset proximum & simile illi; nec, propter multiplicitatem & diversitatem in se contentam, posset comparari & assimilari cum Uno indivisibili, nec proximè cum ipso uniri: Quoniam cum uno non conjungitur nec proximè applicatur nisi unum; ut ad punctum centrale punctum lineare, & non lineæ pars quædam ab ipso divisa, & multominùs superficies vel corpus.

§. 12. Ratio undecima. Quem ordinem causa prima observat cum causatis suis, & quibus mediis congruis & convenientibus illa deducit & promovet ad finem ultimum, qui est ipsa ejus essentia, eundem etiam tenetur observare, atque eodem modo agere cum principiato perfecto, quod, procul dubio, primum est, & ad finem dictum tam propinquum & vicinum, quantum possibile est. Sed hoc fieri non potest, nisi uno tantùm gradu: quia nulla est diversitas graduum, nisi secundùm quod hoc vel illud propinquius, vel remotius est à principio & fine suo ultimo. Unde sequitur, illud, quod ipsi vicinissimum est & immediatè illam attingit, tam ratione unitatis & initii, quam ratione finis & perfectionis, non fit nisi unum.

§. 13. Ratio duodecima. Quia, sicut à perfectione causæ primæ Efficientis, producitur atque emanat non tantùm existentia, sed & operatio causatorum ejus, quemadmodum à Sole lucente stellæ lucentes illuminantur: ita à Causa summa, quæ est principium omnium entium, proximè dependet & emanat principiatum unum, quod ad similitudinem Causæ suæ producit & constituit causata subsequentia post ipsum; operaturque, quicquid operandum & faciendum restat, nempe quicquid

quicquid est sub pedibus ejus, quousque ipse Emanator ejus, ipso mediante, se extendit. Nisi enim operaretur modo dicto, non esset simile Causæ suæ, nec esset perfectum; sequereturque, aliud quid eidem similius esse, quod magis constitueret causata, esseque causa omnium sub se existentium, quæ diximus causaliter producta esse à Principiato hoc primo.

§. 14. Ratio decima tertia. Omnis causa efficiens conatur sibi simile efficere causatum; & quantò magis hoc ipsi simile est, tantò magis manifestatur magnitudo & potentia ejus, & tantò melius assequitur finem, quem operatione sua intendit; qui non est alius, quam ut magnificetur, manifestetur & extendatur. Indubitatum enim est, quod, quantò magis principiatum ejus ipsi simile est, tantò magis illa hinc manifestetur & ad illud extendatur, & magnificetur felicitas bonitatis ejus, perfectiorque & vehementior sit. Atque sic etiam in simili illo admodum perfecto, magis effulget & propalatur clariùs perfectio divina, & vis operationis ejus, quam si minor eidem principiato inesset perfectio: & quo majus istud, & quò similius illi est, eò melius agnosci & manifestari ipsa potest, & plus quam si vilius esset & minus, & quod ipsi non usque adeo esset simile. Jam scito, quod Infinitum illud Numen benedictum, Efficiens causa omniù perfectissima sibi simile fecerit Principiatum suum essentiale & primum in perfectissimo gradu; illique infundat, quicquid in hoc, per aptitudinem ejus, immitti potest: cum enim sit principiatum, hoc ipso finitum est; & simile illi factum, ad imaginem & similitudinem ejus, quantum per naturam principiati possibile fuit, modo scilicet magis finito, quam est causa ejus, quæ infinita est. Et propterea Principiatum hoc perfectissimam similitudinem habet cum causa prima: alias enim hæc non assecuta esset finem, intentum ab omni efficiente, quod conatur simile sibi reddere effectum suum omni modo possibili: nec propalaretur & manifestaretur in eo pro omni potentia sua, dignissima

sima & pulcherrima majestas ejus; nec benefaceret illi, juxta omnia, quæ invenit manus ejus, quod tamen est essentiale Bono perfecto: nec laudaretur & condecoraretur in operatione sua omni vigore possibili: adeoque non esset Causa Efficiens perfecta, nec Bonum perfectum in summo gradu manifestatum; eò, quòd in operationem suam se quidem exsereret, sed non quantum per potentiam suam & robur suum potuisset.

§. 15. Unde concluditur, quod Rex ille magnus & sublimis & in infinitum excelsus, Rex super Reges Regum, regnet super Regem ab ipso emanantem, qui ob singularem suam prærogativam Rex est super cœteros Reges: adeoque Rex ille celsissimus non causatus, perfectus dicitur & exaltatus juxta excellentiam & magnitudinem Regum illorum & Regni, super quod Regnum ejus se extendit: inter quos unus est principiatum illud perfectum, quod immediatè proximum est Causæ suæ, & deinceps ob singularitatem suam & ulteriùs productam operationem suam, Causa est omnium, quæ sub ipso sunt. Hoc enim tanquam instrumentum in manu opificis omnia in esse constituit & progeneravit; & est tanquam secundus à Rege, sub quo alii Reges & plures Principes & Satrapæ, quos ipsum regit & ad perfectionem promovet.

§. 16. Et ex dictis clarissimè intelligi potest intentio Magistri nostri R. Jizchak Lorja, & quid sibi velit distinctio illa in Sohar, sectione Breschith, & Tikkunim à R. Schimeone ben Jochai tradita, inter Causam omnium Causarum, & Causam Causarum. Harum prima enim indubitatò est Causa illa, quæ non est causatum, sed Causa omnium, nempe Infinitum illud Numen, cujus nomen atque decus laudatum sit atque condecoratum. Altera verò, secundùm infirmitatem intellectus mei, est Cogitatio illa suprema, Adam Kadmon seu Homo primus, Corona prima & Excelsus, qui est super Excelsum; &, ut summatim dicam, Principiatum hoc primum & perfe-

perfectum, quod prodiit à Causa, quæ non est Causatum ab alio, Causâ omnium causarum, & principium omnium principiorum: quod tamen & ipsum virtute & excellentia sua singulari est Causa Causarum inferiorum; sed non omnium causarum sicut Infinitum: quia aliàs esset causa sui ipsius. Et quamvis sit causa causarum post se sequentium, & gradatim sub se demissarum, tamen quoque Causatum vel principiatum est, prout, juvante Deo, latius docebitur.

Cap. II.

Confirmatur autoritatibus Philosophorum sapientissimorum, quod à Causa prima immediatè procedat Principium perfectum Unum tantùm; & mediante ipso, tanquam instrumento in manu figuli, facta sint omnia reliqua Causata.

§. 1.

IN præcedentibus tredecim gravissimis rationibus probavimus, quod à Causa prima, non emanet immediatè nisi principiatum unum perfectum in summo gradu; quodque mediante illo & per illud producta sint cætera causata: quod nunc confirmabimus autoritatibus Philosophorum, qui sunt sapientes argutissimi, quorum nomina labiis meis non proferam: (& mentionem tantùm faciam nominum Philosophorum nostratium, ut sunt R. Moscheh bar Maimon; sapiens ille R. Joseph Albo; & R. Jehudah Abarbenel; & alii.) Et metu prolixitatis non nisi tria vel quatuor testimonia è præstantioribus allegabo, qui argumentis pulcherrimis idem probant, atque docent, quod nos asseruimus.

§. 2. Primumque erit id, quod scripsit unus ex ipsis in commentario, quem edidit super Librum de numeris Platonis, his verbis: Ab uno simplici proximè & immediatè dependet mundus unus, perfectissimâ unitate: & à Bono perfecto mundus

mundus alius Bonus, summa Bonitate. Nimirum, quia mundus iste sensibilis propter remotionem partium inter se, contrarietatem qualitatum, differentiam operationum, & diversitatem corporum, non perfectissimè Unus & Bonus est, intellectus concludit, quod immediatè emanaverit ab unitate & Bonitate divina mundus Unus, omni possibili modo similis causæ suæ, non sensibilis, sed intellectualis, & qui intra se complectatur formas & ideas & exemplaria omnium entium; qui non sit Bonum perfectum, sed causatum ejus perfectum, ab ipso dependens, imago, similitudo & antitypus causæ suæ, & exemplar omnium, quæ infra ipsum sunt: ad instar lucis, quæ est extra solem, & ab intimo Lucis ejus: & tamen mediante splendore, radiatione & calore ab ipso protenso, vi & proprietate causalitatis suæ producit omnes naturas reliquas.

§. 3. His addimus, quod scripsit Plotinus his verbis: Unitas perfecta & simplicitas divina tam sublimis atque elevata est super omnem essentiam & naturam, ut nulla reperiatur unitas ipsi similis, nec ipsa cum illis ullo modo comparari possit. Unde non reflectendo vel applicando se ad aliud quoddam Unum, simul constituit & perfecit omnia. Sed quatenus Numen hoc benedictum est Bonum perfectum, omni Ente eminentius; hinc omnia simul produxit: & quatenus est Unitas absoluta perfecta & simplex, non emisit è se proximè nisi Ens unum tantum, ita ut illud, quod immediatè emanavit ab uno simplici, quod omni sublimi sublimius est, sit Ens unum, vel natura, quæ comprehendit omnem naturam & entitatem; intelligibile unum, quod continet omnia intelligibilia, quodque simul sit intellectus primus, qui intra se complectitur omnes intelligentias separatas & simplices, & omnes formas divinas & ideas omnium rerum, quotquot sunt; & uno verbo, mundus intelligibilis emanavit è Bono perfecto, & ab uno simplici unum generale, à quo emanavit Anima universalis & prima, quæ est unum & generale quid, in cujus sub-

substantia certo quodam modo in tempore & motu manifestatur id, quod intellectus simplex, qui est fons perenniter & incessanter scaturiens, intra se complectitur. Hunc sequitur mundus corporalis & sensibilis, qui dependet ab Intellectu, mediante Anima illa, quæ ratione generalitatis non habet simile quid; & tamen est Unum concretum & compositum ab omnibus: quoniam in Intellectu simplici & Anima universali & prima Unitas eorum præcedit ipsorum multitudinem; sed in mundo corporeo & sensibili unitas omnium formarum illorum sequitur multitudinem, è qua composita est. Unde concluditur, dicimusque, omnia mundi membra & naturas eorum converti & reduci ad naturam unam animalem, tanquam caput & ducem suum: omnes animas ad animam mundi; & omnes intelligentias, quæ habitant in conclavibus animarum, ad Intellectum, qui cæteris animabus & intelligentiis superior est, per se subsistens in perfectissima amœnitate & simplicitate; quique se habet ad illas, sicut se habet lux è sole radians ad oculos multos & lucidos. Et ut summatim dicam, iste intellectus sublimis & simplex convertitur & reducitur ad radicem Lucis perfectissimè Bonæ, & simplicissimè unius, tanquam ad principium suum & finem suum, à quo emanavit proximè & immediatè; ad hunc redit.

§. 4. Hæc omnia evincit & probat dictus Philosophus Plotinus, dum demonstrat, necessariò existere aliquod, quod sit supra omnia, & eminentissimum omnium, quod omnium primum sit sine principio: De hoc dicit, quod non possit esse omnia immediatè, quia sit Unitas absoluta & simplicissima & omni numero superior: Deinde etiam demonstrat, dari aliquid, quod sit infra omnia, quod sit corpus singulare & ultimum: Unde necessariò sit inter duo ista extrema medium aliquod, quod ipsa conjungat & uniat; Hoc est Universum & compendium omnium reliquorum entium.

§. 5. Estque, juxta ipsum, triplex: quorum primum & sum-

summum est,quod proximè dependet ab uno perfecto; illique simile est quàm perfectissimè: quod est multum generalissimum, & omne,quod tamen est Unum, in substantia,& in momento. In substantia,quia est substantia singularis,non concreta nec composita è substantiis multis. Unum in momento, quia non extenditur nec dispescitur in partes multas: nec enim opus habet expandi in particulas punctorum plurium localium, quæ impleat, & occupet: Deinde etiam propterea dicitur unum in momento, quia,quicquid vult assequi, assequitur & occupat & producit in momento indivisibili, ita,ut non mutetur & varietur per momenta temporalia & motum, & transitum, quasi transeat & mutetur de hoc in illud, cessante momento uno,dum attingit alterum, & similia. Et hic intellectus simplex,qui dependet immediatè à Causa prima,istique similis est,omni modo possibili,continet & includit generalitatem omnium formarum & idearum intellectualium in essentia sua singulari; quæ hoc modo inter se & cum isto unæ sunt: quia omnes habent subjectum essentiale unum alienum & liberum à quantitate, & indivisibile; quoniam in singulis sunt omnes, alienæ ab omni tempore; & quoniam non operatur hodie, quod non operatus fuerit & heri, & operaturus sit cras: quod non competit Animæ universali & primæ, quæ est Universum specie secunda.

§. 6. Quamvis enim & hæc sit una in substantia, & una in momento,nec in tempore, ita ut per naturam suam moveatur & assequatur rem unam post aliam, & actum post actum: nec etiam sit materia completa & formata, quippe quæ, cum remotior sit ab Uno simplici & causa prima,minimam habet unitatem, adeoque extenditur per distantiam localem & spatium,quod tantùm occupat motus, qui ab anima communicatur, & à pluralitate & diversitate formarum, quæ ab intellectu prænoscitur, & isti superadditur, ut loqui-

loquitur Mirandulanus, juxta sententiam Plotini, cum quo consentit & Aristoteles,Avicenna & alii Philosophi.

§. 7. Quod nempe Deus Deorum emanare fecerit è Natura intellectuali & incorporea perfectum quidpiam modo omnium perfectissimo, qui ullatenus creaturæ competere possit: præter hoc autem nullum amplius ens immediatè produxerit: quoniam à Causa una perfecta quàm perfectissimè, non dependeat nisi ens Unum perfectissimum: quod autem perfectum est,esse non posse nisi unum. Quod si enim duo essent vel plura,sequi,unum ex illis, plus vel minus perfectionis habere quàm aliud; quoniam aliàs unum foret in altero ipso,nec essent duo vel plura,sed unum.Si autem in altero esset minus perfectionis,hoc non fore perfectum. Et si Creator immediatè produxisset plura,quam hoc Ens perfectũ, illa non fore perfecta, quia haberent minorem perfectionem; adeoque non essent realiter producta à Causa prima, quia, ut dictum,quod illa producit, necessariò debet esse perfectum in summo gradu, & per consequens unum.

§. 8. Sciendum autem, hoc Ens perfectum, quod immediatè dependet à Causa prima,secundum Platonem & Philosophos antiquiores vocari Intellectum mundi formalis & intellectualis: quod sic exponunt: quod ab Uno, i. e. primo omnium entium principio non emanaverit immediatè nisi Unum, quod sit Intellectus primus & mundus intellectualis, in quo sint multæ formæ divinæ, quæ ab illo sint distinctæ ut forma & exemplar; & quæ sint causa multitudinis rerum sensibilium. Non, quod causa prima id per se requirat,ut entia ab aliâ quâdam formâ quàm à se dependeant, quia Ipsa eminenter & secundùm excellentiam sit forma & exemplar omnium formarum,& exemplarium; sed quod alteri huic rectius tribuatur formæ & exemplaris nomen, eò,quod Principium primum non comprehendat nec assequatur intellectus, cùm sit sublimior omni intellectu; Cum ergò ipsum sub esse mere

mere simplici & perfecto per se subsistat, nec ad ullam naturam vel classem rerum accedat, hinc factum esse, ut substituerit Principiatum suum primum, & perfectum, quod jam sub intellectum & intellectionem cadat, & in se comprehendat exemplar omnium entium formarum, quæ in causa prima; quippe quæ nimis sint sublimes & perfectæ, & omnem intellectum & intelligibile longè superent.

§. 9. Sciendum igitur, descensum primum ab Esse simplicissimo & perfectissimo esse Intellectum, qui jam est natura determinata, & non esse simplex, sed dispositum, ita ut in intellectione sua comprehendat omnes naturas reliquas, in quo similis est Esse simplici, quamvis non ratione summæ perfectionis: quoniam in Esse primo omnia entia sunt in esse eminenti & superiore omni naturâ & omnibus entibus; sed in Intellectu sunt in intellectione determinata & modo quodam definito, videlicet non secundùm esse simplicissimum & absolutum, sed intelligibile & intellectum, quæ est ipsa ejus natura.

Cap. III.

Contra id, quod propositum est de Principiato primo & perfecto, quod sit Causatum causæ primæ, formantur quatuor Dubia gravissima, quæ destruere possent omnia, quæ hactenus dicta sunt.

§. 1.

Istis, quæ diximus in duobus capitulis præcedentibus, opponuntur Dubia quædam gravissima. Primò enim ex eo, quod diximus, è causa prima immediatè non posse procedere causata multa, sequitur, illam esse determinatam per suam naturam ad Principiatum unum tantùm. Ut enim ab absolutissimâ ejus Unitate & perfectione argumentamur, ad dependentiam Principiati unius & perfecti tantùm; ita intellectus

ctus contra argumentatur, quod, cum vis operandi in Ipsâ sit infinita, ipsi non competat restrictio ad causatum unum saltem, nisi hoc omninò ipsi simile, adeoque & ipsum foret infinitum, quod est impossibile. Si autem ab ipsâ procedit principiatum vilius, & inferius, atque finitum; videtur, ipsam non determinandam esse ad hunc saltem gradum diminutionis, vel similem, cum plenam habeat potestatem producendi super omnia principiatum finitum aliud, isto majus, & sic in infinitum; ut non opus sit subsistere in summo quodam perfecto, quod terminet potentiam ejus interminabilem. Adde, quod, cum finis & scopus causæ primæ non sit alius, quàm ipsam bonitatem suam infinitam manifestare omnibus entibus; hæc autem, si finita sint & terminata, non possint eandem assequi, nec perfectè publicare; sequitur, illam non restringi ad exsertionem hanc vel aliam, sed exseri & manifestari modis pluribus atque diversis.

§. 2. Objectio secunda. Hoc principiatum primum â Causa prima necessariò vel est per naturam, vel ab illa emanat ex proæresi voluntatis & liberi arbitrii, ita, ut quidem fuerit in facultate ejus, producere Causatum aliquod majus vel minus; sed sic placuerit ipsi potius hoc producere, quàm aliud quodpiam. Si hoc, non opus est Sephiris, (quæ sunt media & instrumenta finita & multiplicia & suo modo aliena ab unitate & perfectione Causæ primæ, quæ per illas determinatur & restringitur ad causata finita, & multiplicia & diversa.) Si enim Infinitum, in intellectu suo incomprehensibili, & arbitrio suo, sic se restringere & determinare potest, ut producat hoc vel illud causatum, hoc modo vel alio, hoc tempore locove, vel alio, frustra statuimus media ista, quæ sunt Adam Kadmon, seu Homo primus; Lumina Sephirarum; & Personæ Systematis, Infiniti, Emanationis, Creationis, Formationis, & Factionis &c. quoniam in facultate sua esset, juxta opinionem Philosophorum posteriorum, pro voluntate & arbitrio suo potentiam

 suam

suam determinare & sic dirigere, ut, quamvis ipse sit infinitus, tamen producat causatum aliquod finitum. Unde, si supponitur, in Causa prima dari intellectum & voluntatem, eo ipso tollerentur & negarentur media; atque sic etiam Cabbala & doctrina, quæ docet istorum dispositionem:

§. 3. Si autè non admittitur arbitrium, supponendum erit, cætera omnia esse per accidens, præter causatum illud primum, quod esset naturale; & hoc est oppositum intellectus, qui ea, quæ sunt per accidens, excludit: (ut enim evertatur hoc, res factas esse per accidens, demonstrandum est, productionem naturarum non dependere à materia, nec ab efficientibus pluribus, nec à concatenatione causarum, sed à sapientia quadam intellectuali & intentione primaria unâ.) Quod autem omnia sint per accidens, ex eo confirmari posset, quia, si tantùm principiatum unum dependeret à Causa prima, nulla dari posset ratio, quare omnia sic à se invicem diversa essent: nam si unumquodque habet causam propriam, diversitas omnium causatorum & causarum secundarum, non potest referri ad causam unam: unde omnia dicenda erunt esse, ex causarum multitudine, ita ut nulli causæ tribuatur certa quædam intentio; adeoque diversitas omnium rerum sequetur esse per accidens. Perfectissimum autem quod esset in natura, non posset consistere in ullo alio, nisi in miro illo ordine, qui est inter partes & totum, & causam eorum finitam efficientem, & in diminutione & descendentia causarum sic differentium, quæ, quia à se invicem descendunt, (omnes autem à causa prima,) præter intentionem & per accidens producerent diversitatem mundorum & eorum partium: & in hoc ordine & dispositione consisteret maxima mundi perfectio.

§. 4. Objectio tertia. Cum Causa prima una sit simplicissimè & sublimior omni intellectu & voluntate, sequitur, in illa non dari intellectionem, nec objecta intelligendi; nec volitionem, vel objecta voluntatis: & per consequens, per accidens fieri, quod omnia entia permanent, & sic disponuntur, & citra intentionem ullam causati cujusdam generalis & primi.

§. 5. Objectio quarta. Impossibile videtur, quod Adam Kadmon, tanquam emanans quoddam, immanare debeat non præsupposita substantia aliquâ, adeoque ex nihilo producere Lumina superna, & personas, & ordinem trutinæ decem Sephirarum; (ubi postea Sephirah una producat aliam, & ultimo, quæ est Schechinah, seu Gloria cohabitans, tres mundos; nempe Thronum gloriæ, vel Briah, seu creationis; Angelorum vel Jezirah, seu formationis; & corporalem vel Asiah, seu factionis.) Cum enim superna omnem excludant compositionem materialem & corpoream; illorum Esse & generatio non potest esse ex aliquo ente; sed emanant vel creata sunt, sine materia, vel substantiâ præcedaneâ, adeoque, ut dictum, è Nihilo. Ad hoc autem, ut emanatio eorum existat è Nihilo, requiritur vis infinita, & actus, qui non reperitur nisi in Causa primæ. Si autem diceretur, unum producere alterum, & hoc dependere ab illo, virtute & proprietate Causæ primæ, & quia sint instrumenta operationis ejus; responderi poterit, Infinitum non determinari ad operationem causatorum finitorum, nisi mediantibus infinitis: Si enim vis Causæ primæ infinita reciperetur & resideret in medio quodam finito, illa sanè, non obstante excellentia & vigore, fieret finita, & modificaretur è capacitate subjecti, quod, quia esset finitum, non posset suscipere vim infinitam. Unde medium tale finitum non posset producere vel generare ens quoddam è nihilo, quippe quod requirat tantam potentiam, quantum distet non esse ab esse, quæ est infinita. Ex quo colligit intellectus, non posse produci aliquid è nihilo nisi à Causa prima, quæ aliena est à finitate: item non dari nisi Causatum unum immateriale; si verò talia, prout hoc revera est, sint plura, sequeretur, illa omnia immediatè provenire à Causa

à Causa prima ; quod est contra omnem doctrinam Cabbalæ.

CAP. IV.

Respondetur ad Dubium primum: & probatur, quod Causata, quæ emanant à Causa prima, non ascendant ad copiam infinitam: quodque necesse sit, esse unum, quod sit summum, & perfectissimum inter omnia contingentia.

§. 1.

NUnc respondendum est ad quatuor illas objectiones gravissimas, capite præcedente propositas. Ad primam autem respondemus duobus modis. Primò, quod descensus perfectionis à summo gradu ad imum, & à maximo ad minimum, non possit esse in infinitum, sed tandem perveniatur ad id, quod omnium maximè privatum est perfectione, quod est materia prima, quæ aliena & privata est ab omni perfectione & forma, & usque adeò vicina atque propinqua nihilo & privationi, ut ab hac non differat per id, quod habet, quia nihil habet omninò, sed per id, quod possit obtinere & recipere, quæ est absoluta potentialitas entium, id est formarum naturalium & compositorum.

§. 2. Et quamvis inter nihilum & aliquid quidàm Philosophi ponant distantiam infinitam; ex quo sequeretur, inter hæc duo dari intermedia infinita; res tamen ita se non habet: quoniam e. g. inter Terram, quæ est existens quoddam, & inter Ens non dantur intermedia innumera, sed unum tantùm, quod est Hyle S. materia prima, quæ non tantùm non existit immediatè, sed nihilo tam est propinqua, ut inter illa non detur medium.

§. 3. Atque hoc nunc etiam invertemus ascendendo: nam ab una perfectione ad alteram non ascenditur usque ad summam per media infinita; sed tandem pervenitur ad aliquid, cujus perfectio proxima sit summo. Nec enim omnem perfectionem secundariam & finitam in sublimitate & magnitudine sua, referre possumus ad primum & infinitum; sed datur summum quoddam aliud, quantum scil. possibile est pertingere: sicut datur imum, nempe materia: & istius summi tanta est propinquitas cum causa prima, quanta imi cum nihilo. Nam tota combinatio existentium est finita, adeoque terminata per duo hæc extrema, quorum summum est Adam Kadmon, vel Corona summa & prima; imum autem materia prima & Hyle, proxima nihilo.

§. 4. Et sicut inter Causas efficientes non datur progressus in infinitum, sed tandem pervenitur ad unam & primam, quæ non admittit aliam similem: ita nec inter Causata institui potest processus in infinitum, sed tandem pervenitur ad aliquod summum, quod immediatè proximum est Non-causato & Causæ omnium. Aliàs enim combinatio & concatenatio naturarum procederet in infinitum, nec unquam perveniretur ad Non-causatum.

§. 5. His addimus & hoc: sicut omne Causatum finitum est, tam inter potentialia quam inter actualia; sic omnis combinatio & concatenatio omnium existentium erit finita, non tantum quoad potentiam & excellentiam, sed etiam quoad numerum & computum. Quoniam infinita multitudo & perfectio infinita repugnant concatenationi rerum omnium cum primo; & ordini, qui inter illas & principium eorum; & eminentiæ, quam Causa prima habet super illas.

§. 6. Præterea non datur Numerus, cujus numeratum non descendat ab uno, quod reperitur in toto, & in singulis ejus partibus, sive sit par, sive impar.

§. 7. Unde concluditur; sicut à materia prima descenditur immediatè ad Nihilum; ita ab Adam Kadmon vel Corona summa ascenditur immediatè ad Causam primam, quæ est

est Æn-Soph: nec intercedit ullum causatum aliud medium: & quidem non propterea, quod inter hæc duo talis intercedat relatio: sed quod omnia Causata, sive actualia sive potentialia, habeant supra se summum unum, à quo ascendant in Causam primam infinitam.

§. 8. Et sciendum est; si non supponeretur dari Causatum primum, etiam non datum iri reliqua sequentia, & ab isto dependentia.

§. 9. Imò etiam, si Æn-Soph sublimior statueretur hoc principiato primo, & adhuc alio, quia tamen & hoc esset finitum, quoad magnitudinem & excellentiam suam, & necessariò daretur respectus inter ipsum & inter infinitum; hinc congruum esset istius Potentiæ, ut illud faceret perfectissimum in natura rerum; quo ipso etiam tolleretur processus in infinitum: habent enim singula & universum simul naturas suas terminosque & gradus perfectionis, & numerum finitum, quæ transgredi non possunt.

§. 10. Præterea, sicut Causa prima & Æn-Soph in se continet omnia mundana Systemata, nempe Mundum Æn-Soph, seu Infiniti, Mundum Aziluth, seu Emanationis, Briah, seu Creationis, Jezirah, seu formationis & Asiah, seu factionis; ita etiam complectitur omnes species, & individua eorum, etiam possibilia, per omnia Systemata in genere, atque Gradus eorum in specie: unde, sicut sese extendit extra omnes mundos vel gradus dabiles, qui, secundùm Platonicos, substantiæ vivæ intellectuales & unæ; ita meritò etiam se extendit in omnes species intra illos mundos atque gradus contentas; quia non datur ratio, quomodo, dum extenditur ad mundos & gradus, non etiam extenderetur ad omnes species & partes: imò, quia est Bonum absolutum, meritò extenditur ad omnia perfectissimè; quod non fieret, si non extenderetur ad omnes species graduum: præsertim, cum in speciebus & gradi-

gradibus, quos celsitudo Infiniti includit quàm perfectissimè, dentur quædam perfecta & bona.

§. 11. Addatur & hoc: Vel potest producere Principiatum perfectissimum, vel non. Si potest; sequitur, quia est Bonum perfectum, adeoque quàm perfectissimè extenditur ad omnia creata sua; quare non fecit atque produxit tale? Si non potest, ut statuunt illi, qui dicunt, quod omni principiato producere potuisset sublimius, & sic in infinitum; sequitur, illum carere potentia quadam, nec esse infinitum, quia nequeat eo usque pertingere & producere principiatum atque Ens perfectissimum.

§. 12. Ulterius, Æn-Soph perfectissimè novit, quot modis extendi queat ad principiata sua, & quot modis ipsis sit similis. Jam verò, si actu non extenditur secundùm id, quod novit se posse, necessariò vel non vult; quod est contra Bonitatem ejus, (quod nollet in principiata sua influere, unde non esset perfectè & absolutè Bonus;) vel non potest, quod est contra Potestatem & infinitatem ejus. Imò, habere potentiam sese exserendi, & non posse exserere se, sunt contradictoria. Potentia enim extendendi se nihil est aliud, quàm quod sit dispositus, aptus & sufficiens, ut extendatur.

§. 13. Deinde, omne causatum principaliter est causatum Causæ primæ, quæ, sive immediatè sive mediatè, est causa omnis entis. Si autem admitteretur processus in infinitum, nec subsisteretur in aliquo summo, sequeretur, dari aliquod Causatum, quod non esset Causatum causæ primæ; quod esset atheisticum.

§. 14. Concludimus ergò sic: Si sibi proponeret omne ens facere causatum, quæritur, utrum hoc futurum esset, an non? Si non fieret causatum, sequeretur, illum non posse adimplere omnem voluntatem suam, adeoque esset impotens. Si verò fieret, habemus, quod volumus, nempe quod inter Causata non detur ascensus in infinitum; sed tandem perve-

perveniatur ad summum aliquod unum, & omni possibili modo perfectum.

§. 15. Præterea, tota combinatio Possibilium est Possibilis. Quod si sic; quare non esset ab Infinito, qui solus potest, quicquid possibile est? aliàs enim daretur possibile, quod Ipse non posset producere, adeoque non esset omnipotens.

§. 16. Ulteriùs: omne principiatum possibile vel est Infinitum, vel finitum. Infinitum esse nequit: quia non possunt dari duo vel plura infinita; nec æquale potest esse causatum contingens, causæ suæ, quæ necessaria est, & non causata: Ergò erit finitum: adeoque habebit terminos, tam quoad numerum, quàm quoad perfectionem.

§. 17. Atque hinc inter omnia contingentia dabitur unum summum, quod sublimitate sua terminus erit reliquorum. Quia Causa prima, quamvis sit infinitè perfecta, non tamen in infinitum extendet causalitatem suam, nec planè habebit simile.

§. 18. Et quando loquemur de Restrictione ejus, dicemus, quod causata non possint Ipsi esse æqualia, Eamque repræsentare juxta perfectionem Ejus & naturam Ejus perfectam atque immensam; sed in tantum saltem, quantum ipsis queat competere: ita, ut Causa prima restringat atque coarctet in se ipsam perfectionem suam immensam & infinitam, & ab Ipsa ad Causata tantùm extendatur illa ejus portio & qualificatio & exsertio, quam attingere queat aptitudo instrumenti finiti omnium principiatorum; id quod Cabbalistæ appellant spatium, vel aërem primum, quem adimpleat Adam Kadmon, adeoque illi includatur, & in ipso omnia entia, quæ omnia sunt finita & terminata; ut hoc modo non progrediantur in infinitum, quia aliàs daretur naturatum infinitum quod est impossibile.

§. 19. Si autem objiciatur: supra omne finitum dari posse aliud majus; Respondemus; supra omne finitum, quatenus

tenus tale, non repugnare, ut detur aliud; sed quatenus est summum, illo dari non poterit sublimius tale: quia aliàs non hoc esset summum, sed quod ipso esset superius.

§. 20. Et si ulteriùs objicitur: Hac ratione Potentiam divinam esse limitatam, quia in Ipsa conciperentur termini, quos nequeat transgredi; unde non futura esset infinita; porrò respondemus: sicut cum immensitate divina consistere possunt perfectiones illæ abstractæ, quæ in ipsa continentur; ita Potentia ejus immensa consistere potest cum causatis contingentibus. Sed perfectiones illæ, quas immensitas divina continet intra sese, non sunt infinitæ, [nempe abstractæ illæ ad rerum species pertinentes; quia sunt perexiguum quid, & saltem tales, ut dici possit, melius esse, quod sint, quam quod non sint; imò, ut unica ejus perfectio omnes illas infinitis modis superet, quamvis essent infinitæ numero; & tamen non dicitur infinita numero, sed gradu saltem & excellentia.] Ergo &c. Et sic nec Potentia divina sit infinita numero, ex eo, quod possit producere entia infinita, speciebus distincta, quamvis nec sint, nec conveniat, ut sint. Verùm quia potest producere contingentia, quamvis ob naturam suam contingentem sint finita & terminata, tamen intra illas operatur virtute & potentia infinitâ: ita ut non saltem possit producere Causatum tam magnum, sed & infinitum, si non obstaret contingentia ejus, & nisi limitaret ipsam aptitudo producti, quæ finita est. Adeoque illa hoc modo restringitur & coarctatur, ut non possit producere ens infinitum; sed terminatum & finitum.

§. 21. Unde colligitur, quæ sit natura producti illius supremi, ad quod Bonum perfectum extenditur, eique cognoscendum se præbet: nempe hoc est maximum & excellentissimum omnium, quæ reperiri queant: imò tanta est præeminentia ejus, respectu productorum & causatorum cæterorum, quanta causæ ejus, respectu cæterorum causarum.

§. 22. Differt tamen ab Eâ, tanquam principiatum: unde, & quatenus finitum est, non tantùm non æquale est illi, sed ne quidem cum Ipsa comparabile; quia natura infiniti non potest tribui nisi uni. Et in nulla re ipsi assimilatur, nisi quod & ipsum sit unum, & ab uno perfecto, perfectum; quodque intra se comtineat, & à sese exserat, virtute causæ suæ, per quam est & operatur, quicquid continetur in quinque Systematibus, Æn-Sophico, Aziluthico, Briathico, Jezirathico, & Asiathico.

Cap. V.

Quod in præcedente capite conclusum est, ulteriùs confirmatur argumentis aliis.

§. 1.

SI causa prima supra apicem omnium causatorum potest producere causatum aliud, & hoc in infinitum; Unum ex his duobus sequitur: vel, quod in infinitum dentur entia infinita, quod est absurdum, vel, si non procedatur in infitum, quod non detur causatum perfectissimum, quod tamen in facultate ipsius esset producere: quia supposuimus, ipsam supra hoc posse producere aliud perfectius; unde nec hoc, nec aliud, quod facere posset, esset perfectissimum. Si autem producere non potest perfectissimum, tam magno laborat defectu causa prima & perfectissima, & magna relinquitur privatio in Ente illo, quod in se non contineret tantam perfectionem, quantam Causa ejus ipsi dare posset; adeoque non esset perfectum nec completum.

§. 2. Item sequeretur, Causam primam non posse actu efficere & proferre id omne, quod in facultate ejus sit, ut producatur; quod est manifestè contradictorium. Si enim producit entia processu in infinitum, manifestum est; quod non tantùm nunquam perveniat ad ultimum, quod tamen posset produ-

producere; sed etiam non possit producere ultimum, quod tamen in facultate ejus esset, ut produceret.

§. 3. Nec sufficit, si dicatur, Illam quidem verè posse producere singula per sese, quæ, juxta potestatem ejus, sint producibilia; sed non numerum universum & Combinationem omnium producibilium; sive ex parte, sive ex toto. Sic enim aliquid posset & non posset, quod absurdum.

§. 4. Idem oritur absurdum, ex parte Principiati. Ponatur autem Causam primam non posse illud producere: nec Causatum primum; quia tamen est possibile, sequitur, illud posse produci à Causato alio. Hoc autem minus est primo; unde sequitur, Quod minus est, posse producere aliquid, quod non poterat majus: item, Causam causarum non esse causam Causati sui: item, vilius esse potentius illo.

§. 5. Breviter: si non repugnat, ut sit; congruum est ut fiat. Si hoc, fiet per Æn-Soph, sive immediatè, sive mediatè. Si autem procedi potest in infinitum, dabitur aliquid, cui repugnat, ut sit; eritque, quod nullo modo esse potest; quod manifestè contradictorium.

§. 6. Ergò Potentia Infiniti tantùm extenditur ad id, quod esse potest, & cui non repugnat, ut sit. Et per consequens, dabitur Productum & Causatum perfectissimum, omni modo possibili; quod indubitatiò erit primum.

§. 7. Addatur & hoc: Si causa prima in universali productione Entium ascendit ab omnium imo, ad omnium summum, vel ad Causatum perfectum; nec tamen posset provenire ad Causatum infinitum; sequitur, quod possit producere in infinitum semper majore majus, ita, ut nunquam accedat ad tale, quo non detur superius: adeoque nunquam produceret causatum omni perfectione plenum, quo non posset dari perfectius: prout accidit in numeris; qui, dum ascendunt ab unitate, accipere possunt, quamvis actu non accipiant, augmentum in infinitum; quia omni numero adhuc super-

superaddi potest alius. Quia autem causa prima non ascendit à Causato minimo ad maximum, sed descendit à summo ad imum, à majore ad minus, ubi non datur descensus in infinitum; quia aliàs Terra non esset ultimum inter corporea: nec Hyle & materia potentialitas absoluta, ultima & ima inter naturas, proxima non-enti: Hinc sequitur, dari quoque unum, quod proximum sit Causæ primæ, unum scil. & perfectissimum, medium, & primum, gradusque primus, per quem descensus fit ad reliqua: quod fuit propositum.

§. 8. Nam quicquid medium est & comprehensum inter duo extrema, vel duos terminos, necessariò est terminatum & finitum. Jam verò Causa prima ab una parte; & intelligentia ultima vel Angelus, ab altera parte, sunt duo extrema vel termini omnium eorum, quæ in medio eorum sunt. Unde sequitur, intermedia non posse esse infinita: quia aliàs vel nunquam pertingeremus ad Causam primam, ascendendo, & ad intelligentiam ultimam, descendendo: vel intermedia transgrederentur terminos & extrema, adeoque non essent intermedii termini, vel termini eorum fierent intermedia, & intermedia termini terminorum; quod est absurdum. Ergò datur Causatum summum & perfectum, productum à Causa prima.

§. 9. Quod etiam probatur argumento sequenti: Omnis causa efficiens conatur causatum suum sibi reddere simile; & hoc, quò magis illi est simile, eò magis censetur perfectum; & eò magis Causa assequitur finem, quem in operatione sua intenderat. Nam quò magis Causatum causæ est simile, eò magis hæc in ipsum extenditur, & infundit in ipsum bona majora & perfectiora: quoniam è majori similitudine proprietas ac virtus ejus magis manifestatur, quàm si similitudo esset imperfectior. Jam verò Causa prima Æn-Soph est causa efficiens perfecta, & sibi simile reddidit Causatum suum, in summo gradu: & influit in illud, ceu Bonum perfectum, se

de cujus naturâ est benefacere & influere omni perfectissimo modo, sed secundùm dispositionem Causati, & ita, ut non elevetur & constituatur extra terminos causati, fieretque non-causatum vel simile causæ suæ, quod esset absurdum. In quantum ergò non obstat impossibilitas, requirit natura divinitatis, ut Causa prima atque Æn-Soph sibi faciat simile suum Causatum, in quantum hoc Causæ suæ simile fieri possit. Aliàs enim non assequeretur id; quod intendit omnis Causa efficiens; (nempe ut faciat sibi simile causatum suum, in quantum admittit hujus receptivitas:) nec manifestaretur & appareret in hoc, quantum fieri posset; nec bene fecisset, quantum potuisset; nec honoraretur atque condecoraretur, quantum fieri possibile esset: item, non esset Actus perfectus & absolutus; nec Bonum absolutum & verum in opere & causato suo: quia non immitteret in hoc omnem perfectionem, quam posset.

§. 10. Et hùc apponemus, quæ Philosophus quidam alienigena scribit; quorum summa est hæc: Rectius statuitur natura substantiæ immaterialis, & intellectualis, quam materialis & corporeæ. Intentio enim Causæ efficientis est, sibi simile reddere opus suum: & quanto gradu simile esse potest opus causæ suæ, in tantum etiam decet illud produci. Unde, cùm causa prima sit substantia incorporea & intellectualis, convenit, ut etiam producat substantiam incorpoream & intellectualem potiùs, quàm materialem & corpoream; quia illa similior est ipsi, quàm hæc: quò magis autem substantia creata est actualis & perfecta, eò similior est Causæ primæ, & substantiæ ejus ac proprietati divinæ &c.

§. 11. Ex his omnibus concludimus: quod à Causa prima dependeat Causatum perfectum & ipsi quàm simillimum, quod est Adam Kadmon, prout illud appellat Princeps Cabbalistarum.

Cap. VI.

Confirmatur autoritate R. Moscheh Korduero, quod à Causa prima non emanet immediatè nisi principiatum unum & perfectum.

§. 1.

NE autem putes, ea, quæ in antecedentibus adduxi, mea tantùm esse, breviter etiam allegabo, quæ scribit R. Moscheh Korduero *Tract. 2. cap. 7. lin. 22.* Verba sunt hæc: Hic occurrit Quæstio aliqua, in qua errârunt quidam è Philosophis, nimirum; An Infinitum illud Numen possit producere decem Sephiras alias, præter istas; an non? Si enim hæc est proprietas Bonitatis ejus, ut influxum emittat extra sese, quare non produxit millies millena millia Sephirarum, & mundos quàm plurimos alios, prout produxit hos? Sed hæc quæstio planè fatua est. Si enim sic foret; illæ Sephiræ aliæ, necessario vel similes essent istis; e.g. Corona Coronæ; Sapientia Sapientiæ, &c. vel his majores, id est, subtiliores; vel minores. Similes esse, impossibile est: quia non differunt invicem nisi ut Causa & Causatum. Quomodo ergò Corona una similis esset Coronæ alteri, nisi simul in aliquo different, quod esset differentia aliqua corporalis & subjecti? Adhæc, ab uno Emanatore prodire non potest nisi Emanans tantùm unum. Si enim duo essent aut plura, in quo differrent? non quantitate nec materiâ, quia sunt spiritualis naturæ: unde non esse potest nisi principiatum unum à Principio uno. Et sic in cæteris. Nec dici potest, hâc ratione Emanatorem primum non habere potestatem producendi duas Coronas, quæ sint Causata sua, immediatè ipsi proximæ, similes sibi, ad instar speciei, & diversæ numero. Cum enim productio harum sit impossibilis, exinde non resultat defectus quidam potentiæ, nec in Emanatore, nec in emanante; sed hoc fit ob tam

tam insignem utriusque perfectionem. Si enim differrent numero & individualitate, necesse est, ut descenderent ad vilem illam naturam corporum, quæ dividi possunt in partes, ob quarum diversitatem dicerentur plura: quod dici nequit. Nam ab excellentia Servi cognoscitur excellentia Domini. Nec inverti potest istud, quasi, cum sit incorporeus & simplicissimus, potuisset producere duas Coronas corporeas sibi æquales. Hujus generis enim multa creavit, ut sunt Angeli, qui sunt corporei, juxta veram Cabbalam, quamvis corporeitas illorum admodum sit subtilis, ad instar ignis, & subtilior, &c.

§. 2. Majores quoque esse non possunt: quia inter Emanatorem & Emanans nulla alia est differentia, quam Causæ & Causati: & in quantum fieri potest ullo modo, ut Emanans Emanatori sit simile, in tantum similis ipsi est Corona, ita, ut inter ipsa impossibile sit intercedere ullum Emanans aliud, &c.

§. 3. Nec tertiò minores: quia jam datur immediatè minor, nempe Chochmah, supra hanc autem nihil est, quam Kether, nempe Causa ejus; & inter has duas nulla intercedere potest tertia: quippe quæ nec Coronæ similis esse potest, nec Sapientiæ. Hæc sunt verba R. Moscheh Korduero.

§. 4. Unde patet, quod in omnibus nobiscum concordet; in quo etiam consentiunt omnes Cabbalistæ, quod nempe detur Principiatum unum tantùm summum, immediatè proximum Causæ primæ, Emanans cum omni perfectione possibili, quodque sit Causa, vi Infiniti, omnium inferiorum.

§. 5. Ubi notanda sunt duo: 1. quamvis R. Moscheh Korduero illud vocet Coronam, non tamen intelligi Coronam Aziluthicam, supra quam adhuc datur Olam ha-Æn-Soph; seu Systema Infiniti; prout apparet è Sohar & Tikkunim, & explicuit R. Jizchak Lorja: sed intelligitur Adam Kadmon, vel Corona istius, quæ est Caput omnium Coronarum.

§. 6. Deinde etiam apparet, quod R. Moscheh Korduero utatur rationibus Philosophicis ad confirmandas Veritates Cabbalisticas, prout & Ego facio, autoritates è Platone & sectatoribus ejus adducens.

Cap. VII.

Ulteriùs confirmatur, quod inter Causata a Causæ primæ non detur progressus in infinitum; sed reperiatur Principiatum unum tantùm summum & primum, simplex atque perfectum.

§. 1.

DUrandus, magnæ autoritatis inter Philosophos, sic scribit summariter: Quamvis omne id, quod Causa prima in se continet, sit infinitum: illud tamen, quod ipsi tribuitur, respectu Creaturarum, non potest esse infinitum. Prout dicetur de Ideis divinis. Ipsa enim Natura divina intrinsecè non habet Ideam divinam; sed tantùm tales, quæ spectantur ad similitudinem, quam creaturæ habent cum Ipsa. Et sicut hæ non possunt esse infinitæ: ita Causa prima non potest habere Ideam divinam, quippe quæ deberet esse infinita: quia Idea & Ideatum, Imago & exemplar debent esse similia, & unum debet ingredi definitionem alterius.

§. 2. Hinc apparet, in perfectionibus speciernm omnium creatorum non dari progressum in infinitum: sed existere unum quoddam tam perfectum, ut eo non detur perfectius. Omnis enim species inter creata possibilis in creatore aliquam habet Ideam & formam: unde, si Ideæ non sunt infinitæ in Creatore, sequitur, etiam species ipsas non esse infinitas in creatis.

§. 3. Quod autem Ideæ non sint infinitæ in Causa prima, sic probatur; Si enim (prout ipsæ species, quæ sunt similitudines & antitypi illarum) ita sunt ordinatæ, ut una sit supra

supra alteram, ita ut perfectio inferioris contineatur in superiore, sicut vegetativum in vivente: & hoc modo una species plus perfectionis habet quàm altera; sicut unus numerus plus continet quàm alter: sequitur, si Ideæ essent infinitæ, datum iri unam aliquam, quæ contineat perfectiones infinitas: quod est impossibile; quia aliàs etiam deberet reperiri species aliqua inter res creatas, quæ obtineret perfectiones infinitas: quod est contradictorium.

§. 4. Præterea; Sicut Causa prima datur in ordine causarum, ascensu nimirum finito; ita datur Ens aliquod primum & perfectissimum in ordine perfectionis specierum. Et sicut in Causa prima non datur facultas admittendi progressum in infinitum, etiamsi inter Causas efficientes talis supponeretur: ita nec in secunda, quamvis in perfectionibus specierum progressus in infinitum admitteretur. Et sicut in omni genere una datur species præ cæteris perfecta; ut est sol inter cœlestia; & homo inter animata: ita in ordine omnium emanatorum, adeoque & intelligentiarum, eò collimant omnia. Atque sic etiam inter species meritò statuitur inveniri species una præ cæteris perfecta: quæ, ut ait Philosophus, quasi sit mensura & regula omnium reliquarum, atque suprema, quamvis finita; ad cujus naturam determinatam & & finitam se restrinxit & commensuravit potentia divina.

§. 5. His addimus, quod dicit Julius Cæsar Scaliger: Si Causa prima aliquid faceret pulcherrimum & perfectissimum, & illi causato summo & perfecto deinde adhuc adderet aliquam perfectionem, sequeretur, illud non fuisse perfectum. Nam si est perfectum, & à Causa perfecta, nihil illi perfectionis ampliùs supperaddi potest. Quod enim aliqua re caret, suo modo imperfectum est.

§. 6. Accedit & hoc: Inter omnes Causas inferiores non nisi una esse potest, quæ sit perfecta, emanans ab Uno perfecto; Illa enim causa, quæ caret aliquo, & minus habet boni, caret

caret etiam potentiâ. Nec dici potest, Bonum absolutè tale non operari cum perfectione; quia hoc esset contra naturam Boni absoluti; quod nec vult, nec facit nisi bonum & perfectum. Unde à Bono simplici & perfectissimo non nisi completum atque perfectum provenit, in quocunque rerum genere & ordine. E. g. Homo in suo genere est perfectus, quoad bonitatem: & sic quoque pulex & musca, quia non essent, id quod sunt, nisi consecuta essent perfectionem essentiæ & naturæ suæ. Et quia inter hominem & intelligentiam ultimam nulla intercedit species alia; indubitatò sequitur, essentiæ hominis nihil posse superaddi.

§. 7. Si verò hoc dubium manet, annon supra Intellectum summum Causa prima producere possit alium, addendo illi gradum aliquem supra perfectionem primam creatam? Respondere etiam potero: quod omnia quidem possit facere & producere, & nihil ipsi præclusum sit; sed non velit. Quia non convenit, ut dicatur operari citra perfectionem. Etsi enim per potentiam suam infinitam supperadderet aliquam perfectionem Emanatis; necessariò tamen subsisteret in aliquâ; nec ulteriùs pergeret, atque in infinitum, quia esset impossibile, dari causatum infinitum, cum ad minimum causa ejus sublimior esset ipso. Dicimus ergò, quod Causa prima producere quidem posset causatum aliquod sublimius & perfectius productò, sed quod ipsum Causatum istud, cum esset finitum, tam substantiâ, quàm numero, non posset admittere infinitatem: unde, vel ulteriùs progredi deberet in infinitum; vel producere tandem Causatum infinitum, quod est impossibile; vel subsistere in Causato quodam summo: quod, quamvis sit finitum, tamen erit omnium perfectissimum & causæ primæ, omni possibili modo, proximum.

§. 8. Porrò addo: Causa prima exserit sese ad Causata sua vel infinitè, vel finitè: Non infinitè: quomodo enim cognosci

cognosci possit infinitum à finito? Ergò finitè: unde manifestò sequitur, non posse dari Causatum infinitum, vel numerum, quem non possit assequi intellectus Causæ ejus, vel qui non sit vel par vel impar; Cum numeri omnes constent ex unitate aliquâ, omnesque sint compositi ex partibus multis, quarum quælibet est una, quæque in compositione suâ efficiant totum aliquod unum: quod, cum sit mensuratum ab unitate, sine dubio dici debet terminatum, atque unum, & non multum è multis infinitis, & compositum in infinitum.

§. 9. Quia ergò impossibile est Causata esse infinita, quia non datur numerus allus, qui non sit finitus: hinc patet, Scientiam Causæ primæ & exsertionem ejus esse terminos eorum; unde in concursu & communicatione ejus cum causatis suis dabitur summum & imum. Ergò datur quoddam Summum, quia non detur sublimius, perfectius & majus.

§. 10. Iterum: Si datur perfectio supra perfectionem in infinitum, procul dubio vel Deus cognoscit perfectionem illam infinitam; vel produxisset aliquid, quod non cognosceret; vel nunc demum cognosceret, quod non cognovisset ante; quod absit! Quamvis enim cognitio nostra de Deo sit cum differentiis temporis, ita ut dicamus, eum hodie aliquid facere, quod heri non fecerit, nec facturus sit cras: In Dei tamen Scientia non ita se res habet: quia ille in natura & cognitione sua continet essentias omnium, quæ fuerunt, sunt & erunt; ut tamen indivisus maneat in perennitate sua immutabili; nec, quod præteriit, in ipso quid diminuat, vel futurum ipsi aliquid addat: unde non contemplatus est heri, quod novit hodie, nec contra. Si ergò operaretur in infinitum, necesse esset, ut existente causato novo, etiam existeret nova cognitio: quod est contra perennitatem & perfectionem absolutam scientiæ & intellectionis Ejus: Hinc semper novit & produxit Causatum perfectum & summum, prout voluit.

voluit. Quamvis enim potentia ejus sit infinita, attamen natura causatorum & productorum, quæ finita sunt, perfectione & numero, non admittit causationem & influxum infinitum. Si verò quis dicat: Potentiam indicari ex operatione & effectu, & in vanum laborare Causam, si non efficiat id, quod vult. Respondemus: Potentiam Dei esse ipsam Essentiam ejus perfectam & infinitam, nec habere respectum ad aliud quid, extra seipsum; nec scopum vel finem alium extra seipsum. Unde non est opus, ut producat causatum infinitum, ut nec facit aliquid, quod est impossibile.

§. 11. Dicendum ergò est, quod Causatum fecerit omni modo possibili perfectum, quod, cum infinitum esse nequeat, procul dubio finitum erit.

DISSERTATIO TERTIA.

CAP. I.

In eo proponuntur octo modi infinitatis, qui non nisi Causæ primæ competunt: nempe ratione Essentiæ; Perfectionis, & actus: item Durationis & perennitatis, & immensitatis perpetuæ.

§. 1.

QUamvis nunc sufficienter responderim ad dubium primum, propositum cap. 3. Dissertationis 2. tamen ulteriùs apponemus responsum adhuc aliud, quod maximè consentaneum est opinioni Philosophorum recentium, & fundatum in doctrina R. Jizchak Lorjensis. Nempe: sepposito, non esse productum Principiatum possibiliter summum & perfectum; dicimus, quod Æn-Soph, seu Numen infinitum in Intellectu suo & voluntate sua restrinxerit & quasi contraxerit potestatem suam: ita ut produxerit Causata limitata tempore

tempore determinato, & loco proprio. Et hoc est, quod dicitur צמצום contractio vel restrictio illa lucis, quæ facta est ante Emanationem omnium mundorum, & Adami primi, principiati ejus perfectissimi.

§. 2. De quo, ut aliquantò prolixius dicatur, ad meliùs intelligendam naturam infinitatis, quam Dissert. 1. cap. 6. adscripsimus Causæ primæ, præmittimus, illam dari octo modis, unde cognosci poterit, quæ sint ejus opposita, & quæ ad illam referantur, & quomodo.

§. 3. Infinitum autem est id, quod nullo modo terminos vel mensuram habet, vel, quod, sicut omnes terminos abnuit, ita, quò magis atque magis apprehenditur, eò magis quædam de eo restant apprehendenda. Quicquid ergò infinitum est, id uno ex octo his modis tale esse necesse est.

§. 4. Horum primus est ratione quantitatis continuæ: ut si concipiatur linea, superficies vel Nomen aliquod, carens terminis, & extensum in infinitum. Et hæc infinitas non tantùm non reperitur in rerum natura, consentientibus omnibus Philosophis: sed, quamvis daretur, non tamen competeret Causæ primæ, quæ quàm simplicissimè indivisibilis est & una, & in immensum remota ab omni materia, quantitate, & corporeitate.

§. 5. Infinitas secunda est ratione Quantitatis discretæ; ut si conciperetur numerus innumerabilis infinitus. Hæc etiam non competit Causæ primæ, quippe cujus unitas excludit omnem alteritatem, per quam componatur ad producendum numerum; & cujus simplicitas non admittit ullam diversitatem divisionis, similitudinis, vel numeri.

§. 6. Infinitas tertia est ratione Qualitatis: ut si conciperetur color vel albedo infinita: quæ etiam non datur in natura. Qualitas enim est accidens, inhærens substantiæ, istâque minùs perfectum: denominatio non datur autem substantia infinita, multò minùs qualitas vel accidens aliud infinitum,

nitum, quia substantiæ finitæ inesse non posset. Causæ primæ autem etiam qualitas tribui nequit, quia, quicquid in hac est, Ipsa est; unde excludit, tanquam perfectum quid per se subsistens, omne accidens, sive sit qualitas, sive quantitas, sive aliud.

§. 7. Quarta infinitas dicitur ratione potestatis, uti quantitas continua divisibilis est in infinitum: vel quantitas discreta, seu numerus multiplicabilis in infinitum, item materia formabilis in infinitum. Hic modus infinitatis Causæ primæ etiam tribui non potest, quia hæc excludit omnem quantitatem, numerum, materiam, & potestatem talem; nec dici potest, quod fiat per aliquod accrementum, vel divisionem; nec accipiat aliquid, vel à se ipsa, vel ab alio, quod in se non jam habeat; sive potentia sit, sive quod in eâ est.

§. 8. Infinitas quintò dicitur ratione privationis; cum aliquod privatum est illo termino, qui ipsi competit: ut, cum materia dicitur privata formis, quæ ipsam perficere debent & actuare. Tale quid non tantum est imperfectum, sed etiam indeterminatum & illimitatum. Hoc autem nec convenit Causæ primæ: quia hæc est actus simplex & purus & Bonum perfectum in se ipso; non enim tantùm aliena est ab omni privatione, & potentialitate, sed nec tolerabile est, ut dicatur, dari malum infinitum, quia hoc est impossibile: sicut nec malum, quo non sit superius bonum; vel malum fundatum in bono, quia hoc est finis & scopus ejus. Unde non potest dari privatio & malum infinitum.

§. 9. Infinitas sexta tribuitur illi, quod tale est à se ipso. Estque essentia vel natura eminenter talis, quæ ipsa est terminus omnis naturæ terminatæ & finitæ, per se subsistens: unde & potentia ejus actualis, quæ non diversa est ab essentia ejus, nullum potest sufferre terminum: adeo nempe est interminatum, ut excludat omnem terminum, potentialem & actualem, formalem, negativum, privativum, essentiæ & existentiæ; essen-

essentiæ & suppositi; generis & differentiæ; substantiæ & accidentis, & alios alibi expositos. Unde Essentia ejus infinitè sublimior est omnibus aliis; & vigor potentiæ ejus ita exseritur, ut absolutè efficiat, quicquid est possibile; sicut etiam sublimior est infinitè omni eo, quod ab ipso cognoscitur, vel cognosci potest: & sic nec per naturam ejus ullus ipsi competit terminus, in sese, qui ipsum limitet; nec extra ipsum causa aliqua datur, quæ ipsum mensuret; vel intellectus, qui ipsum assequatur vel assequi possit; idque omne gradibus tam extremis, ut non indagari queat.

§. 10. Infinitas septima est, quam dicunt æternitatem, quæ competit tali, quod fuit, est, & erit sine principio, medio & fine perpetuum atque vivens. Item tali, quod stabile est & immobile, & in quo nulla est portio finita, quasi esset aliquid, quod jam præteriit, (quod esset mutatio, cui esset terminus & finis non competens nisi finitis:) vel quod futurum sit, hoc enim jam nondum esset; & cum erit, sic erit, ut possit etiam non esse amplius, cum appropinquaverit terminus & finis ejus.

§. 11. Et tandem Infinitas octava, huc potissimum pertinens, est immensitas & ubietas, quæ tribuitur illi, qui termino caret, spatii & loci ratione; & semper ibi est, ubi nihil est, & ubi aliquid esse potest, nec repugnat, ut sit; quique est in ipsis entibus & intra naturam omnium rerum, adeoque in omnibus extensis, locis & spatiis, quæ sunt intra ipsa entia, quæ sunt, & esse possunt.

§. 12. Et hæ tres species infinitatis, nempe infinitas essentiæ, perfectionis & potentiæ actualis; infinitas æternitatis & perennitatis, & infinitas ubiquitatis & adessentia in omnibus locis & spatiis, quæ sunt & esse possunt, per se competunt Causæ primæ infinitæ: & hæc ob hanc rationem à Cabbalistis vocatur Æn-Soph, Numen Infinitum.

§. 13. Quicquid ergò diximus cap. 6. Dissertationis primæ, confir-

confirmabimus sequenti capite 2. Et capite 3. ubi probabimus, quod Deus sit infinitus ratione essentiæ & perfectionis: deinde cap. 4. quod sit æternus, alienus non tantùm à principio & fine, sed & à motu & tempore, & cap. 5. quod sit immensus, omnis quantitatis & divisionis expers, adeoque præsens omnibus rebus, quæ sunt & esse possunt; omnibusque locis, quæ illas continent & continere possunt.

[Hæc quatuor capitula, nempe II. III. IV. V. quia minùs ad scopum nostrum faciunt, hoc loco omittimus.]

Cap. VI.

Hic probatur septem argumentis, quod Causa prima non agat ex absoluta necessitate, & natura: sed ex consilio intellectus sui & arbitrio voluntatis & electionis suæ.

§. 1.

IMmensus hic atque omnipotens DEUS, qui Causa prima dicitur, non ex absoluta necessitate naturæ suæ, sed ex consilio intellectûs sui admirandi, & per proæresin voluntatis suæ efficit, quicquid extra se producit & gubernat: ita ut mundum quidem condiderit & conservet, sed si noluisset, nullo impediente facere potuisset: quare illum etiam produxit hoc tempore & loco & modo, & non aliis. Id quod probatur argumentis plurimis.

§. 2. I. est R. Moysis Maimonidæ: quod aliàs non posset dari ratio tam diversi motus corporum cœlestium, & quare circuli illorum non sint majores vel minores, & quare in cœlo octavo tam in numeræ Stellæ, nec plures vel pauciores; in cæteris verò una tantùm, item quare Planetæ, nunc viciniores, nunc semotiores, nunc oppositi, &c.

§. 3.

§. 3. II. quia, nisi supponatur divina voluntas, intellectus divinus simul esse jussisset contraria; e. g. ut Primum mobile simul moveretur ab oriente in occidentem, & contra; & similia alia.

§. 4. III. Si ageret per naturam, ex absoluta necessitate, necessariò omne id efficeret, quod posset; quod in infinitum procederet; & hinc etiam produceret Causatum infinitum, quod est absurdum: Vel exsereret se in infinitum; unde nec ordo, nec mensura, nec numerus determinatus daretur.

§. 5. IV. Agenti primo & perfecto tribuenda est actio perfectissima; hæc autem est arbitraria; quæ perfectior est omnibus naturalibus & necessariis, istasque perficit.

§. 6. V. Ex Thoma: Quæcunque media non necessariò ducunt ad finem; illa per se non sunt necessaria: E.g. ire Hierosolymas per mare, non est necessarium, quia illuc perveniri potest per terras. Sed finis & Scopus Voluntatis divinæ primus atque perfectus est ipsa ejus Bonitas & essentia infinita; hunc autem assequi potest, etiam absque creatis; quia perfectus est sibique sufficiens, tam ante, quàm post rerum productionem, cum nullâ re opus habeat; & finem sui non habeat extra se positum. Hinc sequitur, quod si producat creaturas, id faciat ex mero & nudo arbitrio suo.

§. 7. VI. Nam in Bonitate & Essentia divina perfectissimè continentur omnia bona, quæ vel sunt, vel esse possunt: unde non opus est, ut aliud quid desideret.

§. 8. VII. Et tandem, Deus per se est Ens necessarium, ita ut etiam sublatis omnibus entibus, ipse tamen semper sit, juxta Ps. 102, 27. Talis autem non esset, si deficientibus causatis & ipse deficeret: si enim necessariò opus haberet operibus suis, & per naturam suam ipsa produceret, tunc, ipsis non existentibus, nec ipse existeret: adeoque non esset necessarium quid ex se, sed ex alio: & sic contingens; vel necessarium, quod non à se, sed ab alio; quod absurdum. Unde

 sequitur,

sequitur, quod Causa prima operetur ex arbitrio & mera voluntate.

Cap. VII.

Quomodo hæc concordent cum Cabbala R. Jizchak Lorjensis, & quid sit צמצום *vel restrictio Infiniti: ob quam nec ante hoc tempus, nec in locis infinitis produxerit entia infinita: sed finita, & tempore determinato, locisque determinatis.*

§. 1.

DEUS infinitus & immensus quàm perfectissimè intelligitur ab intellectu suo, qui ab Ipso non est diversus: adeoque in se & per se percipit omnes substantias & perfectiones, quæ in ipso eminenter continentur, & ab Ipso sine numero prodeunt, & in entia infinita temporibusque & locis infinitis se exserere possunt citra contradictionem.

§. 2. Hæc autem intellectio naturalis & necessaria, quâ intellectus divinus cognoscit potentiam suam in se infinitam, qua facere posset entia infinita locisque & temporibus infinitis, restringitur à voluntate & arbitrio Ejus, quo ea tantùm producere concludit, quæ admiranda & occulta suo consilio decernit, talia esse, quæ produci debeant, quæque non tantùm finita sunt quoad substantiam, potentiam, & numerum; sed & in spatio ipsis assignato, & determinato, & in hoc temporum ordine essent, ut antea non fuerint. Insimul autem intra se prætermisit quàm plurima, quæ producere nec voluit, nec unquam voliturus est.

§. 3. Ex his intelligitur, quod scripsit R. Jizchak Lorja, dum inquit: quod Numen illud infinitum quidem extendatur ad omnia loca imaginaria & possibilia, & ea impleat luce vultus sui: cum autem voluerit manifestari, & producere naturas, restrinxerit, & quasi contraxerit coarctaveritq; se à se ipso in

in se ipsum, & sic reliquerit locum quendam inter infinita illa spatia, quæ ante penitus explebat, quem implere posset, prout & implevit illis entibus, quæ intra illum produxit; ita tamen, ut & ipse illuc extenderetur & ibi manifestaretur, prout ante istorum productionem.

§. 4. Sensus breviter hic est: Quod DEUS, quamvis sit infinitus, non tamen produxerit vel creaverit Entia illa infinita, in tempore infinito, quæ in immensitate sua immotus continet; nec in spatiis locisque infinitis, intra quæ potentia & amplitudo ejus infinitæ extenduntur. Non enim operatur ex necessitate naturali, quæ infinita est; sed ex arbitrio suo & voluntate, quæ contingens est; juxta quam produxit, & creavit Entia finita, temporibus finitis, & locis determinatis, & ad illa & in illa extenditur: ita ut non tantùm eminentiâ quâdam infinita illis sit superior; sed etiam per potentiam infinitam, si vellet, posset producere Entia alia præstantiora & majora, in locis & spatiis aliis aptioribus, latioribusve & longioribus, quæ intra immensitatem & amplitudinem suam quam perfectissimè continet.

Cap. VIII. & IX.

Quomodo à Causa prima dependeant reliqua.

§. 1.

QUamvis Avicenna, aliique Philosophi dicant, quod Intellectus primus creatus creaverit secundum, & hic tertium, & sic porrò, usque ad ultimum: quod alii etiam ad corporea extendunt, incipientes à primo mobili, per cœlos, ad elementa, usque ad Vivens: His tamen repugnat non tantùm Scriptura Gen. 1, 1. & Ps. 33, 6. &c. Sed & Magistri Talmudici; & R. Schimeon Jochaides in Raja mehimna, Ps. 2. Libri Sohar. f. 18. col. 3. 4. f. 19. col. 1. 2. Item in princ. Libri Tikkunim; ubi introducitur Elias.

§. 2. Quæ

§. 2. Quæ loca ut meliùs intelligantur, sciendum est; Numen infinitum seu Causam primam immediatè produxisse אדם קדמון i. e. id, quod in ipso dicitur Homo primus, qui est intellectus occultus & cogitatio divina: & ab isto subsequenter Lumina superna prodiisse, quæ sese exserunt in quinque decades Sephirothicas; ita quidem, ut ad productionem mundorum inferiorum, quæ dicuntur Creationis, seu Thronus gloriæ; Formationis seu Angelorum; & Factionis seu iste materialis, extendatur ipsa illa essentia, quæ & in Mundum Emanationis extenditur; eosque non tantùm produxerit, sed & conservet & gubernet.

§. 3. In specie tamen Binâ cum duabus supremis mediante, Malchuth Aziluthica virtute mariti & superiorum in se comprehensarum, crearit Mundum Briah, singulis illius Sephiris concurrentibus ad singulas istius: nempe Coronâ ad Coronam, &c. quæ non discordant ab opinione Platonicorum, quòd nempe Nephesch seu Psyche cœlorum ista produxerit.

§. 4. Deinde gradu Tiphereth Briathico cum quinque Sephiris in se comprehensis mediante, Malchuth Briathica formarit mundum Jezirah.

§. 5. Tandem autem Malchuth Jezirathica fabricarit mundum Asiah materialem.

§. 6. Et sic cum dicitur, quod Neschamah proveniat à Throno gloriæ; spiritus à Metatrone: & Nephesch à Sandalphone; sensus tantùm hic est, quod proveniant à Luce interna Schechinæ, quæ ista Systemata vivificat & illustrat, ibique habitat, & per illa, ceu instrumenta operatur. Et ad hanc lucem etiam redeunt Animæ post mortem, ibique perficiuntur; non verò per ipsa Systemata, Briah, Jezirah, Asiah; quamvis illuc eleventur, & illuc pertineant, ut pars ad Totum.

§. 7. Hinc concluditur: quamvis non statuamus, Ens unum

unum esse causam alterius; tamen Sephiras, virtute Emanatoris sui infiniti, qui illis utitur, tanquam opifex instrumentis, & cum istis, & per istas operatur, creasse omne creatum, formatum & fabricatum, per certa quædam media. Ipsæ autem, Sephiroth, Personæ & Lumina, per se non sunt creaturæ; sed notiones & radii Infiniti, qui per gradus varios à summo fonte ita descendunt, ut tamen ab eo non separentur; sed ipse per has extendatur ad creationem & gubernationem omnium entium, sitque causa universalis omnium unica & perfecta; quamvis determinata ad hanc vel illam operationem, per hanc vel illam Sephiram vel modum.

Cap. X. XI. & XII.

In his capitibus, per modum Digressionis, proponit commentationes quasdam Cabbalisticas in Historiam Creationis: quas, cùm non propriè pertineant ad Scopum nostrum, hoc loco omisimus.

DISSERTATIO QUARTA.

Cap. I.

Quomodo Creator per Causatum primum emanationem instituerit; & quare potiùs mediantibus aliis, quàm immediatè omnia producere voluerit, cum responsione ad objectionem Secundam Dissertationis Secundæ Cap. III.

§. 1.

Ad objectionem primam in Dissert. 2. c. 3. propositam jam responsum est; quod nempe Causata Causæ primæ sint finita, & inter illa unum detur summum, idque vel per naturam causatorum, vel quia sic voluit Creator, qui

ita restrinxit & determinavit potentiam suam infinitam, ut produceret Causata determinata, locis & temporibus certis & limitatis; adeoque non prout potuisset, sed prout & quando voluit, nempe finita numero, & terminata duratione, & potentia, & proprietatibus: Et inter hæc unum summum.

§. 2. Jam sic formavimus objectionem alteram: Causatum illud supremum, vel necessitate naturæ tale est ab Infinito; vel ex proæresi & arbitrio ejus: si hoc, quid opus fuit Sephiris, & luminibus Adami hujus primi, & personis Systematis Æn-sophici & cœterorum; quia potuit nuda voluntate sua restringere & determinare potentiam suam, ut producerentur causata hæc, vel alia, hoc vel alio modo, tempore & loco? Adeoque suppositis in Æn-Soph intellectu & voluntate, videtur, non posse supponi media illa dicta: unde frustranea esset tota Kabbalah. Si verò negatur in Deo intellectus & voluntas; cætera omnia exponi videntur casui fortuito; excepto hoc Causato primo, quod ex necessitate naturæ tale esset: nulla enim dari posset ratio varietatis illorum; sed hæc per accidens contigisse dicenda essent.

§. 3. Si ad hæc respondere volumus secundum alteram primæ objectionis refutationem, dicimus: Deum omnia produxisse per intellectum & voluntatem suam, & ex libero arbitrio, & quamvis immediatè res producere potuisset, voluisse tamen illas producere mediantibus Sephiris & personis suis: quæ, quamvis sint principiata, non tamen sunt creaturæ ejus; sed radii ejus, per quos quam perfectissimè manifestari queat, eoque meliùs, si ipsas quoque causas produceret & causarum causas, & non tantùm effecta ipsa viliora.

§. 4. Quia autem modus dictæ responsionis primus nititur veritate Doctorum Cabbalisticorum, juxta illum sic respondemus: DEUM in Principiato primo produxisse omnia causata reliqua. Nam quia ipse simplicissimè unus est; ab uno autem simplici immediate non nisi unum quid provenire

nire potest; hinc sequitur, ab Uno primo supremo infinito profluxisse simul *omnia & unum*. *Unum* nempe, quatenus profluxit ab Unitate simplicissima, illique simile est: sed quod etiam sit *omnia*, quatenus discedit à simplicitate illa incommensurabili cum aliis; adeoque quodammodo fit multum; quamvis absolutum & perfectum.

§. 5. Nam supposito, quod sit numerus, quia causaliter productum est ab Uno, & sub isto est: rectiùs dicitur ipsum esse numerum in genere potiùs, quam in individuo hunc vel illum, sub hac vel illa specie. Quicquid enim est primum in aliquo genere, illud est perfectum in illo genere; adeoq; in se continet omnia individua illius generis, & per consequens, omnes ejus perfectiones naturales.

§. 6. Principiatum ergò hoc primum & perfectum, in unitate essentiæ suæ, citra distinctionem loci, vel temporis, continet omnia reliqua causata. Quod etiam asserit Ficinus in Plotinum, dum inquit; Sicut à natura, quæ nec oculos habet, nec pedes, nisi eminenter fiunt oculi & pedes; ita ab uno simplici, quod in se nec formam habet, nec substantiam vitamve & intellectum determinata, nisi eminenter, ista omnia fieri.

§. 7. Quod autem à natura simplici immediatè proveniat multum & varium, id ita se habet: quod causatum istud, quia profluit ab unitate, habet quidem entitatem; sed non eandem illam unitatem: & ex hoc ipso est multum. Cum enim unum quidem sit, sed minori unitate quàm causa ejus, hinc necessariò multum est, & de natura numeri. Et quia compositum est ex conceptu, qui aliquid habet de causa ejus, & ex conceptu, quo dissimile est causæ suæ; hinc apparet, quod non sit simplex, ut illa, sed compositum ex unitate cujusvis partis suæ & ex natura cujusvis universali & ex omnibus simul sumptis, atque toto.

§. 8. Interim multum hoc immediatè proveniens ab unitate

nitate prima, est multum in abstractissima generalitate, quod in se continet omnes formas: & perfectio ejus quidem consistit in multitudine, sed quæ unitatem habet in essentia ejus: Ita ut in qualibet formarum vel partium ejus contineantur quodammodo omnes formæ & partes ejus. Nam quia bonum perfectum superius est omni ente, nec ullum admittit respectum vel analogiam, nec cum uno ex illis, nec cum omnibus simul sumptis: hinc sequitur, illud causatum ipsi proximum ab illo non accipere aliquid speciale vel determinatum; sed in uniformi æqualitate, omnium respectu, formam unam perfectam; quæ in se contineat formas divinas omnium entium, essentialiter tamen distinctas.

§. 9. Et hoc ipsum est, quod docet Rabbi Jizchak Lorjensis, dum inquit: quod in Adam Kadmon, qui est principiatum hoc primum, DEUS expresserit omnia nomina sancta, præsertim quatuor illa, quæ radix sunt & vita quatuor mundorum sequentium: Imò omnes literas, quæ nihil aliud sunt quàm numeri & principia formarum vel causarum omnium entium, &c.

§. 10. At verò non tantùm produxit Deus omnia entia, & quicquid in iis continetur, in causato hoc primo; sed & modo quàm perfectissimo produxit, nimirum emanando, & non creando, per modum causatorum, & non formatorum, & uno verbo; eminenter formalia & intellectualia.

§. 11. Præterea, sicut Philosophi dicunt cum Aristotele, quod inter moventia semper id, quod inferius est, non movet, nisi moveatur à superiore, & hoc iterum ab alio, donec deveniatur ad primum, quod non moveatur ab alio, sed ipsum moveat omnia: sic inter causas efficientes, ubi semper inferior producta à superiore, etiam per hujus influxum operatur, & sic consequenter, usque ad primam & summam, quæ causam non habet supra se; & propterea causa est omnium causarum reliquarum, & operationum earum: ita, ut illa non tantùm

tantùm sit causa operationum causarum secundarum, & quidem potior, quam ipsæ; sed in specie etiam causa singularis & vera ipsarum causarum, & quæ ab iis causata sunt: ita, ut illæ omnes considerentur, tanquam media quædam & instrumenta, per quæ ipsa influat, in primatque potentiam & proprietatem suam Divinam.

§. 12. Atque sic causæ secundæ instrumenta sunt Causæ primæ, quæ ab ipsa non tantùm emanant, sed & moventur, ut producant alia, & moveant. Nam causa causæ potiùs causa est causati, quàm ipsa causa, quia influit priùs & majori vi & perfectione in intimum istius: & omnia causata potiùs causam respiciunt primam, quàm secundas; quia, sicut à prima accipiunt essentiam & potentiam; sic etiam semper accipiunt permanentiam, & durationem atque operationem. Nam quicquid est, semper dependet ab ente necessario; quod, sicut ceu infinitum in omnibus est, ita in omnibus causa est essendi & operandi.

§. 13. Unde patet, quòd Causa prima non tantùm dederit essentiam & potentiam operandi Adamo primo, sed illum etiam conservet & gubernet, tanquam instrumentum operandi, in quo luceat & extendatur gloria ejus; sicut, qui lapidem projicit in aquas, non tantùm est causa circuli primi, sed & omnium à primo productorum.

§. 14. Et sic causa prima non tantùm produxit mundum hunc Divinum & intelligibilem, qui est Adam Kadmon; sed & omnes ipsum insequentes: & lumina hujus quasi animæ sunt Sephirarum & personarum; hæ verò quasi instrumenta & corpora, quamvis spiritualia & incorporea: præter quæ tres adhuc dantur, qui quidem singuli immediatè dependent ab iis, qui supra eos, ut Causatum primum ab infinito: omnes tamen etiam dependent ab isto; quia in omnibus est immediatè, & causa illorum essentiæ & potentiæ & operationis.

Cap. II.

Formantur objectiones quædam contra ea, quæ dicta sunt, cum subnexis responsionibus: adduntur que rationes quare Deus potiùs mediatè produxerit ea, quæ potuisset producere immediatè.

§. 1.

Hic objici potest primò: frustraneum esse, quod Deus dicatur operatus fuisse per media plura, quod facere potuit per unum. Si enim Deus sufficiens fuit ad omnes per se operationes; quid opus fuit causis secundis? vel, si istæ sufficientes sunt, quid opus est primâ?

§. 2. Deinde absurdum videtur, à duabus causis perfectis effectum & causatum tantummodò unum provenire. Nam causa prima operationem illam vel absolvit totam, vel saltem aliquam ejus partem: si totam; nihil superest, quod agat causa secunda: si partem; sequitur, partem alteram non dependere à causa generalissima, quod est absurdum: nec etiam causa hæc prima erit perfecta & absoluta, sed particularis, unde nec bonum absolutum, quia non extenderetur ad totum & omne causatum.

§. 3. Ad hæc respondemus: in omni Causa efficiente duo esse consideranda; Primò ipsam essentiam operantis, qualis e. g. est ignis: Secundò ejusdem potentiam, cujus virtute operatur: qualis v. g. est calor: jam verò potentia efficientis inferioris provenit à superiore, qui illam talem effecit & conservat, quamdiu est, eamque dirigit, tanquam causa fundamentalis instrumentum operis sui, ad producendum effectum: ita, ut operatio non tantùm proveniat à potentia operantis, sed & à superioribus. Hinc sequitur, tam propinquam esse virtutem & potentiam agentis superioris huic vel illi operationi, quàm propinquum est ipsum agens inferius. Nam virtus

virtus inferioris causatum non producit per se solam, sed virtute proximè superioris; & hoc iterum à superiore; adeoque omnia à supremo, quod à seipso, & non ab alio est potens: Unde causæ immediatè non per se producunt causata, sed virtute agentis primi. Sicut ergò non est absurdum, quòd essentia effecti dicatur provenire tam ab agente ipso, quàm à potentia & proprietate ejus; Sic etiam absurdum non est, effectum produci tam à Causa secunda, quàm à prima; & ab utraque immediatè. Non enim dicitur, unam partem calefactionis provenire ab igne, & alteram à calore: Vel, unam partem scripturæ produci à manu, & alteram à calamo: sed tota calefactio provenit ab igne, & tota à calore; sicut tota Scriptio à calamo fit, & tota à manu; quamvis non uno modo: quia unum se habet ut instrumentum, & alterum ut causa principalis.

§. 4. Unde non frustra se exserit, & concurrit Causa prima; quia secunda non agit, nisi virtute primæ. Unde non est defectus, agere per media, quod fieri posset sine illis: nec impotens dicenda est potentia Divina: quippe quæ, cum infinita sit, omnia potest, quæ sunt possibilia: sed hæc est natura bonitatis ejus, ut operibus suis in summo gradu benefaciat, & ita se exserat non tantùm per essentiam; sed & per potentiam & operationem; ut hac ratione ipsi fiant similes, non tantùm quoad essentiam, sed & quoad operationem.

§. 5. Et sic etiam multò dignior est Divina providentia, dum ipsis etiam provisoribus prospicit, quàm si solummodò prospiceret curatis: sicut etiam potentior est rex, qui ipsis etiam regibus imperat, quàm qui tantùm populo.

§. 6. Et quia proprium est providentiæ, influxum præbere; hinc apparet, providentiam summam influxum præbere ipsis etiam influentibus, simul cum implendis: unde dignior & perfectior censetur influxus, qui per media magnifica & perfecta

fecta distribuitur; quia dispositio mediorum & instrumentorum insigniter adjuvat rerum ordinem, quibus prospicitur.

§.7. Adde, quod major sit potentia superioris, quàm inferioris: Unde, quicquid potest inferior causa, id multò eminentiùs potest superior: Unde, si inferiores producunt operationes quasdam, multò magis eas producere poterunt, & producunt Superiores, quæ incorporeæ sunt & perfectæ. Nam quod magis est actu, magis etiam agit; quia quodlibet agit secundùm potentiam suam: jam verò Divina semper sunt actu, & eminentiùs; quare etiam majori excellentia operabuntur; cum etiam sint proximiora causæ primæ.

§.8. Accedit, quod inter agens primum, quod nihil accipit ab alio, & tantùm præbet; & inter effectum ultimum, quod nihil præbet, & tantum accipit; sint media, quæ simul accipiunt & præbent: cum hac tamen distinctione: ut, quod proximum est primo, tantùm ab hoc accipiat, sed omnibus sub se locatis præbeat: & quod proximum est ultimo, accipiat ab omnibus, quæ supra se, & præbeat tantùm ultimo. Unde apparet, quod, quæ propinquiora sunt primo, potentiùs agant, & in omnia, quæ sub eis, extendantur & influant.

§.9. Deinde, qui dat principale, etiam dat accessorium, quod inde sequitur, E.g. qui dat terræ gravitatem, etiam dat tendentiam deorsum. Et sic causa prima, si omnibus dat essentiam, omnibus etiam præbet operationem, quæ essentiam consequitur.

§.10. Porrò: perfectio causati demonstrat perfectionem causæ, sicut dicitur, ab excellentia servi innotescere excellentiam Domini, & contra; Unde à Causa prima perfectissima etiam proveniet causatum perfectissimum. Si ergo causatum nihil posset producere, imperfectum esset; quoniam, quò quid perfectius est, eò magis extra se semet exserit, sicut docent exempla caloris & lucis. Si verò causatum est imperfectum; imperfecta etiam erit causa, quod absurdum.

§.11.

§.11. Et concludimus: Sicut essentiale est bono agere bene; ita essentiale est bono perfectissimo agere optimè. Jam verò melius est exseri ad plura, quàm sibi tantùm relinqui. Imò nisi bonum illud influeret extra se, ad plura à se separata, particulare esset, & non universale & summum. Et exemplum habemus in Sole, qui extendendo radios suos non tantùm illuminat stellas, sed etiam potentiam illis præbet lucendi ulteriùs, cum hac tamen differentia, quòd, quæ propiores ipsi sunt, & similiores, majorem ab ipso accipiant lucem, illuminentque & alias, ut ulteriùs luceant. Unde patet, quòd causa prima ita communicaverit bonitatem suam causatis suis, ut etiam possint influere in alia: mundusque perfectior & causæ suæ similior est, si constat ex partibus influxum præbentibus, quàm si actitatæ saltim essent & non agentes, adeoque defectuosæ & naturæ tantùm fœmininæ, quà tantum acciperent.

§.12. In specie autem, quod operatio causæ secundæ potiùs tribuenda sit causæ primæ, quam Causæ suæ propriæ, exinde patet, quòd Causa prima, ratione secundæ, non tantùm sit causa essendi, & potentiæ ejus operandi, & conservationis utriusque; sed & adjuvet operationem ejus, & influat in ipsam & in operationem ejus: ita, ut sicut in manu ejus est omnia destruere, si ipsis adimeret essentiam à se dependentem; ita ipsis adimere posset operationem, occultando faciem suam ab iis: quoniam & ad hanc immediatè concurrit, & hæc per ipsam est, quod est.

§.13. Unde sequitur: quia causa prima non tantùm omnia operatur, quasi non adessent causæ secundæ; sed etiam fecit causas secundas, ipsisque dedit potentiam operandi; ipsam plus agere hoc modo, quàm si ageret absque mediis.

CAP. III.

In hoc ex R. Moscheh Korduero confirmatur, quòd Sephiræ omnia agant vi Causæ primæ, sintque instrumenta ab ipsa producta, non tantùm quoad essentiam & potentiam, sed & quoad operationem.

§. 1.

EA, quæ hic adducuntur ex R. Moscheh Corduero, ejusque libro Pardes Rimmonim Tractat. 4. de Essentia & Instrumentis, c. 4. fol. 23. col. 3. 4. fol. 24. col. 1. huc exscribere supervacuum duximus: cum illustrent tantùm quod jam dictum est, & ibi videri queant.

§. 2. Notandum tamen est, cùm dicit: Causam primam esse quasi animam, quæ vivificet & illuminet Sephiras emanantes, & per illas operetur in inferioribus: non intelligi Nephesch, vel formam, unitam cum materia; ubi ex ambobus his constituitur compositum aliquod tertium perfectius, quàm singula sola, inque quo ambo illa operantur simul: nam causa prima actu eminenti exserit potentiam & proprietatem suam, mediantibus causis secundis & instrumentis; ita, ut sit causa perfectissima tam mediorum istorum, quàm eorum, quæ ab iis producta sunt.

§. 3. Et Unitas illa infiniti etiam non immediatè adest Sephiris illis aziluthicis, sed iis, quæ sunt in Adam Kadmon, qui est principiatum illud primum & summum, & cogitatio vel idea suprema, conceptusque Systematis Æn-Sophici, & radix atque Scaturigo luminum supernorum, quæ ad instar Neschamæ vitam dant mundo emanationis. Quamvis nec cum decem Sephiris ipsius Adam Kadmon proximè uniatur Æn-Soph, seu Causa omnium causarum, sed per restrictionem illam sæpè dictam, quâ retraxit gloriam & excellentiam suam; & per canalem illum Suppositum à R. Jizchak Lorjensi.

CAP.

CAP. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

§. 1.

CApite Quarto Causa prima aliena esse dicitur ab omni natura intelligibili & sensibili; & à septem gradibus entium reliquorum, in quibus perfectio reperitur diminutior: allegato Platone & Dionysio Areopagita.

§. 2. Capite Quinto deducitur: quod Causa prima nullatenus sit composita cum alio quodam; unde de ipsa negentur omnia: quæ tamen negatio non inferat defectum, sed excellentiam: unde Infinitum illud, quamvis nihil sit ex omnibus rebus, supra illas tamen, & causa illarum esse dicenda sit: juxta Platonicos.

§. 3. Capite Sexto: quamvis Causa prima non dicatur esse ullum ex omni genere entium, omnia tamen in ipsa reperiri: & quamvis nullum habeat nomen, omnia tamen in illa dari: ita, ut in illa multa quoque contraria sint, absque contrarietate, idque deducitur prolixè.

§. 4. Capite Septimo omnes naturæ juxta Platonicos & Mirandulanum distinguuntur in tres classes; quarum una est causalis, vel eminenter talis; altera formalis & substantialis; tertia æquivocè, vel analogicè & remotè talis. Ut, v. g. ignis datur primò quoad naturam causalem & eminentem in cœlis, ubi est potentialiter, non verò formaliter: Ab hinc autem extenditur natura ejus formalis & substantialis, quæ datur in igne ipso; sicut natura ejus analogica reperitur in lignis ardentibus, & similibus. Inter has prima adscribitur causæ primæ; ita, ut v. g. intellectus in illa sit causaliter & eminenter; sicut in Adam Kadmon est formaliter, & in anima mundi analogicè. Ad quod illustrandum ex Plotino adducitur: quod in homine reperiantur tres hominis species: Formalis vel Divina; loquens;

 & cor-

& corporea: quæ dicuntur ab Hebræis vocari Neschamah, Ruach, & Nephesch. Et sic omnes omnium rerum perfectiones in causa prima dicuntur esse eminenter: sed formaliter tales, i. e. illæ, quas voluit extra se protendi, attribuuntur luminibus immediatè ab illo emanantibus, quæ Platonicis dicuntur Mundus intellectualis: Et analogicè tales attribuuntur intelligentiis & animabus, quæ in cœlis & elementis, & in animatis, & vegetabilibus, & animantibus irrationalibus, & animante rationali: quæ referuntur ad tres mundos: Creationis, formationis, & fabricæ. Ubi simul prolixè agitur de secundo istius distinctionis modo, qui ortum habet à primo, & ab ipso distinguitur, quod sit unitas determinata; cùm primus sit unitas interminata, & per se subsistens. Allegaturque ex Proculo & Platonicis; quod à principio primo immediatè emanaverit multum unum, à quo deinde sint multa reliqua. Item, quod intellectus primus immediatè extendatur ad reliquas intelligentias separatas; & deinde ad potentias animarum intellectualium. Et concluditur, quod entitas causalis extendatur ad entitatem analogicam, mediante entitate formali, quæ applicatur ad emanationem Sephirarum supernarum; quæ, cùm contineant formaliter omnes illas perfectiones, quæ sunt in Causa prima, illas, jubente & volente Numine infinito, derivant ad omnia creata.

§. 5. Capite octavo supra dicta ulteriùs confirmantur, loco quodam adducto è scriptis magni illius Cabbalistæ R. Asariel. Cum quo consentire dicuntur & alii Cabbalistæ, quales sunt R. Meir Gabæus; R. Jehudah Chajat; R. Moscheh Corduero; & præ cæteris R. Schimeon Jochaides, qui dicit, quod Numen infinitum eminentiùs omni ente & cognitione, per Sephiras immediatè à se emanantes, produxerit, & gubernet omnes mundos, perque eas innotescat, & extendatur ad omnia. Ex quo satis intelligi possit, quis sit Sephirarum usus, & quid prosint atque operentur.

§. 6. Ca-

§. 6. Capite Nono ulteriùs dilucidatur: quod naturæ formales à Platonicis non referantur ad bonum summum & unum simplex: sed ad intellectum generalem, sive ad mundum intelligibilem, principiatum nempe primum, qui sit forma una & formæ omnes; vel rectiùs, unum illud, quod illi appellant ideas Divinas, tam specierum, quales sunt: hominis, leonis, equi &c. quàm generum Divinorum, ut sunt: bonitatis, veritatis, unitatis essentialis. Quod sic explicatur: dum videmus res multas convenire in uno quodam, meritò concludi: supra illud, quod in multis est, dari perfectionem aliquam unam, ab istis abstractam, per se subsistentem, & ad ea, quæ suæ naturæ sunt, sese extendentem. Non enim dici posse, quod unum illud generale, v. g. pulchritudo, quæ reperitur in multis pulchris, dependeat à multis, quatenus sunt multa & diversa; quia hæc, quà talia, non possint constituere unum aliquod omnibus adæquatum: prout nec unum aliquod individuum tale quid possit constituere, ob causas inibi recitatas: nec tertiò, unum hoc generale possit esse à se ipso: nec quartò, id queat esse unum illud simplex & perfectum, quod ita compositum esset è multis; unde concludendum; quod dependeat ab alio, nempe ab uno causali, quod per se subsistit, docente Proculo. Et hoc applicatur ad Sephiras supernas, de quibus hoc tantùm innotescat; quod, cùm proximè proveniant à Causa prima, in se contineant perfectiones divinas formaliter, easque derivent in omnia entia reliqua.

§. 7. Capite Decimo autem porrò explicatur natura & proprietas summarum harum mensurarum: & ostenditur, potissimùm exemplo pulchritudinis, quod, quamvis extendantur ad inferiora, non tamen ad illa referenda sint, nisi per modum efficientis & effecti: adeò, ut quamvis ipsis communicent proprietatem, & potentiam suam; non tamen communicent ipsas naturas suas. In specie verò de dicta pulchritudine,

dine, per quam in uno conveniant multa pulchra, dicitur, quod sit natura quædam generalis, emanans ab uno, quod per se subsistit: (quod etiam applicatur ad species & monades Divinas,) quodque ista non sit ipsæ res pulchræ, sed natura quædam peculiaris, una simplex, & prima in suo genere, invariabilis, indivisibilis, incomposita, incorporea, non temporalis, sed omnibus corporibus, animabus & intelligentiis superior, nempe formalis, vel idealis & perfecta: quæque in causa prima sit eminenter, in Sephiris autem emanantibus formaliter, & realiter, & causa formalis, & efficiens omnium pulchrorum inferiorum. Eodem planè modo, sicut supra omnia multa datur unitas, per quam illa sunt una: & supra omnia corpora universale quoddam, quod illa continet, & movet: & supra omnes naturas natura quædam generalis, quæ illas unit: & supra omnes animas singulares, anima universalis Divina, quæ ipsarum caput est, & princeps, illasque unit, & ordinat: & super omnes intelligentias una generalis & formalis, quæ omnes illuminat: & super omnes monades & omnia bona, unum simplex & bonum perfectum, nempe Æn-Soph. His præmissis, subjicitur: omnes entitates analogicè & impropriè tales respicere, velut unitatem & mensuram suam, & principium primum formale, seu ideale, Coronam summam, quæ in se contineat omnia entia reliqua: Sed per nomen Ehjeh characterem habeat dictæ entitatis. Et omnes vitas, & omnia manifestata converti, velut ad unitatem & principium suum reale, ad vitam formalem & primam, & lucem intelligibilem, quæ est Chochmah. Deinde, omnes intelligentias converti ad intellectum, primum & intellectualem, qui est Binah, tanquam ad unitatem, & principium suum generale, formamque omnis cognitionis intellectualis, & rationalis, & vitalis. Et omnia gratiosa, ad Chesed, seu gratiam perfectam & formalem. Et omnia distribuentia prœmium & pœnam, ad Gebhuram. Et omnia pulchra, ad pulchritudinem formalem & perfectam.

Et omnia per se subsistentia, ad Nezach, quæ denotat permanentiam: Et omnia conversa ad laudem superiorum, ad Hod. Et omnia conversa ad influxum inferiorum, ad Jesod. Et omnia, quæ à superioribus accipiunt, & ad inferiora demittunt, & inferiora superioribus assimilare conantur, ad Malchuth, & Regnum formale. Porrò subnectitur: Sapientiam de ea, quæ est in Aziluth, & quæ est in Intelligentiis abstractis, item in animabus intelligentibus, non prædicari univocè, sed analogicè; allegatis Aristotele & Thoma Aquinate: unde concluditur; illas converti ad unum quoddam. Et sicut ea, quæ in secunda specie prædicantur univocè, referuntur ad unum per se primum; ita etiam, quæ analogicè, debere habere primum analogicum, quod sit per se, & primum in hac analogia, & ad quod reliqua convertantur: ut ulteriùs explicatur ex Marsilio Ficino, quod nempe v. g. intellectus tribuatur Deo & animæ, nomine generali, non æquivocè, nec per accidens, nec impropriè, nec univocè, ut ea, quæ sub uno genere, vel specie: sed ita, ut intellectus animæ consideretur ut posterius quid emanans, & conservatum ab intellectu Divino, qui sit exemplar ejus. Quod ipsum est prædicatio illa dicta analogica, ut ulteriùs explicatur exemplo prolocutionis cum voce, & locutionis internæ in mente, & locutionis intellectualis. Et tandem concluditur, quod species & monades divinæ, sive generales, vel intermediæ, quales sunt Sephiræ emanationis, sive speciales, quales sunt exemplaria, & causæ efficientes specierum inferiorum in Sephiris contentarum; quæque propriè vocantur ideæ & formæ divinæ, influentes ad omnia ipsis analogica, abstractæ sint per naturam, à quantitate, loco, & tempore; adeoque indivisibiles, immobiles & perennes, semperque concurrentes ad inferiora: ut e. g. à Sapientia suprema, lucente in principiato primo, gradatim descendat vis & perfectio Sapientiæ, ad omnia reliqua causata mundi Æn-Sophici, & Aziluthici; qui dicitur בליטה: & sic etiam in mundo

mundo Briathico ad intelligentias, item ad animas rationales, in Jeziram seu mundum Angelorum; nec non ad mundum hunc corporeum, quamvis secundùm magis & minus, ita tamen, ut singulis imprimat notam aliquam divinam istius generis. Et ita Gebhurah.

§. 8. Capite Undecimo plura traduntur de monadibus determinatis, & perfectionibus formatis ab uno primo infinito; & ostenditur, in quo conveniant ista, & in quo discrepent; & quomodo ad hoc omnia referantur, tanquam radii eradiantes ab ipso, tanquam à Centro; unde cum ipso sint una singularissimè: Et in specie dilucidatur, quod monades illæ seu lumina & Sephiræ, & modi Divini quodammodo sint causa prima, & quodammodo non: quodque ab illa quidem emanârint, sed ut à scaturigine sua non separentur, & ita per se subsistant & extendantur ad omnia entia inferiora separata, & divisa ab iis: quæ propterea non tantùm non sunt perfecta, & formalia, sicut dicta omnium rerum exemplaria, & ideæ; sed & magis vel minùs impropriè talia; nec unita, nisi mediantibus his monadibus cum causa prima, quæ per istas quoque manifestatur & cognoscitur; prout per eas etiam manifestantur res cœteræ, quæ ab illis dependent, & ad illas convertuntur, tanquam ad numeros, pondera, mensuras, & leges suas: quod latiùs ibi explicatur.

§. 9. Capite Duodecimo ulteriùs explicatur, quod per monades & formas divinas innotescant, & manifestentur inferiora dependentia ab iis, tanquam à mensuris & formis suis: prout etiam, his mediantibus, aliquantulum manifestetur de causa prima incomprehensibili.

§. 10. Capite Decimo tertio declaratur, quòd Sephiræ sint Divinitas determinata, & se habeant ad omnia entia reliqua, tanquam centrum ad circumferentiam, & radii, vel lineæ à centro ad circumferentiam, vel contrà, ductæ. Item, quomodo differant monades istæ à monade prima, nempe ut secundum à primo, & ut instrumenta ab opifice: quodque cum uno primo unum sint, ut radii Solis cum luce ejus interna; & radii circuli cum centro; atque sic unum etiam inter se, citra confusionem, quamvis etiam distinctæ, citra divisionem, tam inter se, quàm à causa sua.

§. 11. Caput 14. De Mundo intellectuali Specialia plura tradit: & in specie, quod, cùm emanarit ab uno simplici, non sit simpliciter unum quid, sed quodammodo multum & numerale, sed cum hac distinctione: quod alia sit ejus notio, quatenus reperitur in uno simplici, & ab illo accipit essentiam: & alia, quatenus ab illo prodit, descenditque ad motum proprium: & sic per se subsistentiam habet formaliter, quam in scaturigine habet causaliter. Et ex hoc principio alteritatis in eo deducuntur principia, & genera generalissima omnium rerum: unde Plato in Parmenide, & post ipsum Ammonius, Plotinus, Porphyrius, & reliqui Platonici in hoc mundo intellectuali collocant formaliter, quicquid negatur de uno simplici; quamvis aliquatenus dissentiant Jamblichus Syrianus, & Proculus, quibus durum videtur, quod dicantur contraria in eodem reperiri, qualia dicunt esse hoc ipsum, & esse aliud; esse in motu, & esse permanens, &c. quod priores tamen non applicant ad notionem hujus Systematis primam, qua respectum habet ad Causam suam; sed ad secundam, qua ad vitas ulteriores se exserit, easque intra se discernit, & cognoscit, & extra se producit: quæ ibi latiùs diducuntur. Nempe: cùm quid occultum est quoad essentiam, illud magis manifestari per vitam, & adhuc magis per intellectum. Hæc autem sic applicantur ad Sephiras, & monades, & mensuras personasque, & Lumina Divina. Nempe; quod in principiato primo sine dubio contineantur omnes personæ & Sephiræ, non tantùm duorum mundorum Divisorum, sed & trium reliquorum: ita, ut perfectiones illæ, quæ in causa prima tantùm cognoscuntur negativè, in illud effluant specia-

specialiùs, sintque ibi formaliter, tanquam monades determinatæ, pro omnibus numeris & entibus stabilibus: adeoque in Adam Kadmon gradu primo, & in luminibus vel Sephiris Mundi Æn-Sophici, ab Adam Kadmon emanantibus, vitarum instar, gradu Secundo; in Sephiris autem Mundi Aziluthici, velut in intellectu, gradu tertio. Et hæc dicitur causa, quare inter Numen infinitum & opera ejus tot sint intermedia, & quomodo per Sephiras aliquantulum intelligi queat ipsum infinitum, & similia plura.

§. 12. Capite Decimo quinto ulteriùs exponitur; quomodo, mediantibus Sephiris, aliquantulum nobis innotescat de Infinito, & quod ipsis mediantibus coram illo sistatur cultus noster: quodque tandem hæc omnia per illas nobis pleniùs manifestanda sint, ad nostram felicitatem.

DISSERTATIO QUINTA.

CAP. I.

Respondetur ad objectionem tertiam Dissertationis Secundæ Cap. tertio propositam; quod nempe Causa prima, quamvis nec sit intellectus, nec objectum intellectus, sed utroque superior, nihil tamen ipsam lateat.

§. 1.

OBjectio tertia, Capite tertio Dissertat. secundæ proposita, hæc est: Si causa prima est unum simplex, omni intellectu & voluntate superior, de ea dici non potest, quod vel intelligat, vel intelligatur; vel velit, vel desideretur: unde sequeretur, Entia tantùm casu circumferri, non observante Causa generali & prima.

§. 2. Sed respondemus: Negationes in Causa prima non inferre

inferre privationem vel defectum; sed excellentiam; unde hâc via consequitur, Illam omni substantiâ determinatâ, omni intelligibili, vitaque & intellectu infinitis modis esse superiorem; illarumque causam esse. Cum enim sit supra omnia, & nihil de omnibus, omnia æqualiter produxit. Et sicut defectus quidam est, si opifex dicatur carere manibus; hoc tamen in ipsa natura potiùs est excellentia. Et sic in principio primo talis non datur intellectus, qui per concursum vitæ & substantiæ contempletur intelligibile; sed illud est bonum tale, quod per se quidem non est intellectus, sed tamen etiam non privatum istis perfectionibus. Et sicut naturas rationales non vocamus cœcas, quamvis non utantur oculis corporeis: nec intelligentias separatas irrationales, quia non ita ratiocinantur, ut rem unam intelligere quærant ex alia; vel à posteriori: ita nec Æn-Soph dici potest carere intellectu, vel scientiâ.

§. 3. Idem quoque dici potest de voluntate, & aliis attributis: testante etiam Plotino.

§. 4. Ubi notandum: Nomina illa, quæ prædicantur de Causa prima, esse triplicia: nempe, vel affirmativa, ut cum dicitur Sapiens; vel negativa, ut cùm non dicitur esse Sapiens, nempe ita, ut sunt producta ejus; vel eminentiæ, ut cum dicitur, ipsum esse superiorem omni intelligente: quæ omnia eò tendunt, ut hæc attributa non ita negentur esse in causa prima, quasi illis sit privata; sed quod infinitis modis ipsis sit eminentior, omniumque causa, in summo gradu bona.

CAP. II.

In hoc respondetur ad objectionem quartam Cap. 3. Dissertat. 2. propositam.

§. 1.

OBjectio ultima sæpe dicti capitis hæc est: quod videatur impossibile, quod Adam Kadmon è nihilo produxerit lumina superna, & personas, vel dispositionem decem Sephirarum: & una Sephirah aliam, & ultima, nempe Schechinah, tres mundos inferiores. Hæc enim superna, cùm sint immaterialia, non aliter esse posse quàm ex nihilo: Producere autem ex nihilo, non competere nisi Infinito. Et si dicimus: summa illa, cum sint instrumenta Infiniti, virtute istius producere producta sua, mox regeritur: Infinitum in causis mediis finitis etiam terminari ad operationes finitas: ut, per consequens, causa talis media non possit producere aliquid ex nihilo, sed hoc non nisi infinito ipsi competat. Unde porrò sequitur: non posse dari nisi principiatum tantùm unum, quod sit immateriale. Si autem sint plura; sequeretur: omnia immediatè emanasse ex ipso infinito: quod est contra omnes Cabbalistas.

§. 2. Respondetur autem, concedendo: quod impossibile sit, ab ullo principiato sibi relicto, citra auxilium Infiniti, aliquid produci posse ex nihilo. Nam sicut producta à Causa prima dependent, quoad Essentiam, & quoad Conservationem; ita etiam quoad operationem: Unde omnis actus, & essentia, & potentia cujuslibet causæ secundæ, nunquam non dependet ab Essentia, & actu Infiniti. Jam verò absurdum atque impossibile non est, dari potentiam emanatam, vel causam secundam, quæ operari queat virtute primæ, & istius auxilio. Ad hoc enim non requiritur Essentia infinita, vel potentia talis: quia id, quod producitur, etiam non est infinitum,

nitum, nec modus operandi infinitus; quia fit virtute, & speciali concursu causæ primæ, sine qua secunda nec est, nec operari potest, nec operatur quicquam. Cætera, quæ prolixiùs de hac quæstione hic disputantur, hoc tempore à præsenti scopo aliena duximus.

CAP. III.

De Aziluth, seu Emanatione, & quomodo conveniat cum Æn-Soph, seu Infinitio; & ab eo differat.

§. 1.

RECeptum est ab omnibus Cabbalistis, quod Lumina monadica & mensuræ supernæ, quæ vocantur Adam Kadmon, Lumina nempe mundi Æn-Sophici, Sephiræque & personæ illius, & mundi Aziluthici, emanarint ab Æn-Soph; non per modum simplicis creationis, ut ea, quæ in Briah, nec per formationem, ut angeli; nec per factionem, ut corpora; sed per Emanationem, quam hic explicabo.

§. 2. Nota nimirum quidem est magna illa differentia, quæ est inter bonum perfectissimum infinitum, & materiam primam: item, quantum differat essentia compositi, vi formæ cujusdam, à potentia materiæ: quod simile nunc applicabimus ad Sephiras & Lumina divina, per modum emanationis protensas è substantia: vel, ut ita dicam, naturam Infiniti. Jam notum est, quod אצילות sit eductio rei ex re, & emanatio ejus; non per modum creationis, vel alium quendam facta.

§. 3. Jam ergo, quod ad substantiam attinet: sicut è materia prodit forma, & in illa quiescit, & sustentatur; & hæc est fulcrum essentiæ & existentiæ, & operationis ejus, tanquam substantia illam continens: ita ex Infinito catenatim se exseruit & emanavit Aziluth, seu Emanatio, quæ in substantia

ejus erat ante omnia; & illud ipsum eandem etiam post emanationem suam sustentat & conservat.

§. 4. Sciendum autem: Infinitum non ita continuisse in se Emanationem, sicut potentia materiæ passivæ continet formam, vel actum, quo est privata: sed sicut Causa Efficiens continet causatum sibi analogum; quæ comprehensio non est privativa, imperfecta, & tenebrosa; sed eminenter talis, perfecta & luminosa. Nec etiam Infinitum consideratur ut vas, vel spatium, subjectumve, & sustentaculum: sed tanquam Efficiens, constituens, & perficiens: quoniam hanc ipsam Entitatem, quam ab initio produxit, illam etiam semper innovat, & in esse conservat. Et sicut Forma unita est cum Materia: ita Aziluth unita est cum Infinito, non, ut in illud agat, vel illud perficiat; sed quia ipsa est passiva, & perficibilis, non ut det, sed ut accipiat, non ut constituat aliquid compositum; sed ad instar mulieris impræg̃natæ virtute infinita Dei, ad progeneranda omnia entia reliqua.

§. 5. Et sicut ex materia & forma fit unum compositum, à quo una consit operatio communis: sic ex unitate Æn-Soph cum Sephiris una prodit operatio communis, quæ emanat ex Infinito, & extenditur in Sephiras, & per illas ad omnia causata infra ipsas locata, ita, ut Infinitum & Sephiræ ad unam operationem & causatum idem conspirent, prout decet causam primam cum secunda: Ita, ut agens primum, per instrumentum à se factum, & motum, via sua propria, operationem suam perficiat: adeoque potentia & actus quasi unum sint.

§. 6. Differentia autem utriusque talis est, qualis inter formatum & formans, perfectum & perficiens: ita tamen, ut Æn-Soph tam qui intra sese, quam qui foràs in emanationem se exserit, sit unum, & substantia una, cum hac tamen distinctione: quod Sephiræ in Æn-Soph sint per modum unius & singularis, causantis & eminentis, atque independentis & Infiniti:

Infiniti: Sed in Aziluth modo quodam formali, plurali, & determinato.

Cap. IV.

Quod Aziluth suprema in se contineat omnes perfectiones Creationis & generationis, sine omni privatione & defectu eorum.

§. 1.

Creatio est imperfectum quid ex parte creati, quod ex nihilo prodit in esse: sed generatio viventis è contra perfectum quid, ex parte generati, quippe quod non ex nihilo, sed ex natura constituentis accipit entitatem suam.

§. 2. Ex hac autem imperfectione creati, nempe quod ex non esse constituitur in esse, apparet perfectio Creatoris, qui sine motu, nec requisita substantia, vel dispositione ulla, illud ex nihilo produxit: sicut ex perfectione generati, in generante deprehenditur defectus aliquis, quod nempe ex materia quadam determinata & prædisposita, cum immutatione & diminutione etiam sui, aliquid generarit, aliquando à se separatum.

§. 3. Quæ ambo si applicentur ad *Emanationem*, dicimus: quod utraque dicta perfectio in illa contineatur, negatis etiam in illa utriusque imperfectionibus. Certum enim est, quod emanaverit citra mutationem, & variationem, vel defectum causæ suæ infinitæ, sicut & in creatione reperimus. Unde apparet: quod emanata, in relatione ad Emanatorem suum, quam maximè sint perfecta.

§. 4. Sicut talia etiam sunt in se ipsa considerata, & quatenus emanantia. Quamvis enim non dicantur esse ex nihilo, sicut Creata, sed ex ipsa substantia Emanatoris sui infiniti, qui causa ipsorum est immediata, & ex substantia ejus, ut ita dicam, externa; hæc tamen sicut lumen unita & an-

& annexa est luci internæ insensili, & ab omni emanato occulta: & post emanationem suam similia sunt Emanatori suo, sicut ignis luci à qua prodiit. Nec aliter differunt ab illo, nisi quod ille sit à seipso, & hæc ab alio: ille sine principio sit primus, & causa horum; hæc autem causata à primo. Unde concludimus: quod in *Aziluth* contineantur perfectiones creationis ex nihilo, & generationes viventis.

Cap. V. & VI.

§. 1.

CApite Quinto ulteriùs declaratur: quod *Aziluth* similis sit splendori, qui prodit à luce, & extenditur ad specula, & colores, & oculos fulgidos: & quomodo similis sit naturæ specierum sensibilium, prodeuntium è corporibus coloratis, sine constituente, & motu externo.

§. 2. Et Capite Sexto proponitur simile, quod occurrit in libro Jezirah: nempe Sephiras invicem junctas & unitas esse sicut flamma annexa est prunæ.

Cap. VII.

Hic absolvitur explicatio naturæ Aziluthicæ; *& Sermo est de* Briah, *seu* Creatione; Jezirah, *seu* Formatione; *&* Asiah, *seu* Factione: *quomodo nempe differant, & conveniant cum* Aziluth.

§. 1.

QUicquid est, vel est ex aliquo, & materia quadam: qualia sunt corpora naturalia; vel ex nihilo: id est, non præexistente substantia & materia, vel ejus parte. Jamque *Aziluth* & *Briah* à Causa prima sunt sine præcedente aliquo subjecto; sed ex potentia & operatione causæ primæ: cum hac tamen differentia, quod Mundus creationis, qui est Thronus

Thronus gloriæ, & intelligentiarum separatarum, in hoc tantùm gradu sit, ut nullam habeat præcedentem materiam; unde accepit nomen בריאה seu Creationis: Emanatione autem, vel mundis Emanatorum quia sublimior est, & perfectior, præter perfectionem illam priorem Characteristicam, Creationi supperadditum sit nomen אצילות: non tantùm, quod sublimior sit omnibus cæteris; sed etiam unita & connexa cum principio suo, à quo emanando dependet cum omnibus attributis suis.

§. 2. Et hæc Emanatio similis est lumini, procedenti è luce vel corpore luminoso: vel emanationi proprietatum, potentiarum & passionum, sine motu egredientium è substantia: Item speciebus colorum visibilibus: & animæ sensitivæ & vegetativæ, procedentibus ab anima rationali & intelligente: quæ omnia Emanatione quadam imperceptibili dependent à causis suis: ita, ut si respiciatur causa, Aziluth sit actus sublimior, purior & perfectior, & magis alienus à motu, quàm creatio; quia emanat immanendo cum unione, & sine separatione: & si respiciatur causatum, Aziluth etiam majorem similitudinem cum causa sua præ se ferat: dum ipsa istud est formaliter, quod causa ejus est causaliter & eminenter; vel sic, ut loquuntur Cabbalistæ, ut nulla sit differentia inter *emanatum & Emanatorem*, nisi quæ est inter Causam & Causatum: Usque adeò, ut quasi unum sint, quamvis analogicè *Aziluth* habeat naturam multi & finiti.

§. 3. Hæc omnia autem non dantur in Creatione, sed de hac tantùm dicitur, quòd sit creata sine præcedente materia & substantia.

§. 4. Jezirah autem, quæ est Mundus Angelorum, etiam quidem creata est ex nihilo, & sine præcedente subjecto & substantia: sed tamen creata est in Substantia & subjecto. Nam Angeli quidem sunt substantiæ intelligentes & incorporeæ, sed locatæ super & in corpora firmamenti summi, & supra,

 & in

& in corpora cœlestia, ignea atque aërea, ut illa vivificent & moveant: Vel, ut loquuntur Cabbalistæ, spiritus utentes corporibus, quæ vocant Lampades ignis, quibus investiantur: Vel, ut etiam dicunt, animalia ignea loquentia, i.e. intelligentia cum ratiocinatione, & colligendo unum ex alio. Ita, ut, sicut animæ rationales & humanæ juxta Philosophos incorporeæ, & per se subsistentes, creatæ sunt ex nihilo, & sine præcedente substantia; sed tanquam formæ & perfectiones ad corpora naturalia destinatæ; ita Jezirah creata sit in substantia, nempe corporibus æthereis, igneis & aëreis. Unde apparet, quare creatio angelorum vocetur יצירה: quod, ut mihi videtur, est impressio formæ per se subsistentis in substantiam corpoream, quæ ab illa non planè est aliena, sed per ejus influxum producta: (qualis est forma in materia, non tamen materialis:) ita, ut cum illa habeat unionem; & tamen cum differentia essentiarum: quia, quamvis forma illa corpori suo det essentiam, & influxu suo in illud immittat quasdam operationes, & potentias suas; non tamen omnes eidem includit, etiam principales & sublimes, quæ à materia manent separatæ, à vasis alienæ, & incorporeæ, ad instar creatoris & causæ suæ. Quibus adjungo, quod oretenus accepi à magistro meo R. Jisraël Serug: quod naturæ Jezirathicæ constent è Spiritibus Briathicis, & corporibus Asiathicis.

§. 5. Hæc autem omnino dependent à materia in esse, subsistere, posse & operari; Suntque compositæ; & formæ eorum sunt partes Universi, quæ per se esse non possunt, sed immersæ sunt materiæ, extensæ quantitativè; adeoque divisibiles & subjectæ motui perpetuo: item multiplices, & subjectæ ortui & interitui, argumentationi & diminutioni, passioni, alterationi, & similibus; nec subsistentes per se, & à se, (sicut formæ Briaticæ, quæ cum majori perfectione subsistunt per se: & formæ Jezirathicæ, quæ etiam quidem subsistunt per se,

se, sed ita, ut etiam extendantur ad aliud;) nec etiam habent existentiam per se, nec sunt substantiæ, imò ne entia quidem; sed tantùm generantur cum compositis, in quibus sunt: nam illis prior est materia, è cujus potentia, motu naturali, educuntur unà, cum qua illæ sunt partes compositi. Et hoc vocatur Asiah. Unde satis patet, quid sit Aziluth, & quomodo cum reliquis mundis conveniat, vel ab iis differat.

Cap. VIII.

Breviter repetuntur suprà dicta, & uberiùs discuritur de restrictione Infiniti, de Emanatione Adam Kadmon, Nomine Tetragrammato, & quatuor ejus plenitudinibus: item de Revolutionibus Alphabeti, & similibus.

§. 1.

HActenus dictum est de Causa sine causa, à qua omnia, quod nempe sit Ens necessarium, bonum perfectum, unum simplex, sublimius omnibus entibus, quæ ab ipsa producta sunt, quamvis ipsis non haberet opus, & solummodò ex eo, quod sit bona & benefaciens: & quomodo extendatur ad omnia. Item, quòd immediatè non nisi unum causatum produxerit, cui nomen Adam Kadmon: hoc autem mediante, lumina, & Sephiras & Personas mundi Æn-Sophici & Mundi Aziluthici, & tres sequentes.

§. 2. Nam juxta hypothesin R. Jizchak Lorjensis, tam magna fuit Lux proveniens ab Infinito, & tanta ejus vis, ut causata illud non potuissent sufferre, nisi mediante principio hoc primo, ejusque portis & fenestris; per quas nihil aliud intelligitur, nisi illi conceptus, per quos dicta lux augetur, & ad inferiora commensuratur, & diversimodè disponitur: adeò, ut quasi sint ideæ quædam Divinæ, & monades Summæ, & mensuræ perfectissimæ: & tamen pro diversi-

tate analogiæ suæ magis vel minùs lucidæ: utque id hoc loco sit formaliter, quod in Causa infinita est causaliter, & eminenter.

§. 3. Media autem illa, per quæ lux hæc ad omnia extenditur, metaphoricè vocantur cranium, cerebrum, oculus, auris, nasus, os; & fenestræ aliæ, per quas lux & influentia descendit.

§. 4. Atque sic responsum est ad quatuor objectiones sæpe dictas, atque demonstratum, quod non ex defectu potentiæ & infirmitate, sed ex nimia bonitate & insigni gratia sua Deus mediatè produxerit ea, quæ potuisset producere immediatè: ut appareret major perfectio tam in ipso, quàm in causatis suis; quia per illa operatur, effecitque, ut sint causæ, quæ & ipsæ operentur, & non tantùm causata: præsertim, cùm quicquid operantur illæ, ipse efficiat Deus, & quidem cum majori perfectione.

§. 5. Diximus etiam, quis sit Usus istorum mediorum: & quod ab entitate causali & eminente non descendatur ad analogicè talem, & sensu improprio & remoto, nisi mediante entitate formali & perfecta; qualis sunt illæ monades determinatæ, mensuræque & formæ, quæ non tantùm sunt causa naturarum inferiorum, sed eas etiam cognoscere faciunt causam suam occultam & infinitam, atque se ipsas, & similia plura.

§. 6. Nunc restat, ut subjiciamus, quod R. Jizchak Lorja edocuit discipulos suos, quales in specie sunt: R. Chajim Vital, & R. Jisrael Serug, Præceptor meus: nempe, quod Æn-Soph produxerit emanando hominem primum principiatum suum immediatum: quodque determinando gloriam & potentiam suam infinitam, produxerit causatum finitum, quod dictus Doctor appellat צמצום seu restrictionem: quasi nempe contraxerit Lucem suam infinitam, & intra se reliquerit spatium quoddam vacuum; non tamen sine vestigio, formâ, vel

vel impressione, factâ à luce priore: quodque intra hoc spatium sese immiserit de novo, sed non totum, nec ex omni parte; sed uno tantùm loco singulari, tanquam per canalem & transitum quendam. Inque illud immiserit Tetragrammaton: & ex illo literam Jod reddiderit plenam, hoc modo: יוד: idemque extenderit in nomen יוֹד. Item, quod He primum extenderit in nomen הֵא: & literam Vav reddiderit plenam per Aleph, hoc modo וא, illamque extenderit in nomen וָו: & tandem He ultimum reddiderit plenum cum He, illudque extenderit in nomen הֵא: quodque in nomen primum & generale, & in quodlibet è quatuor illis introduxerit decem Sephiroth. Porrò, quod in singulas decem Sephirarum, & alia, duas posuerit proprietates vel naturas, unam circularem, & alteram rectilineam: item duas species lucis, ambientis nempe, & internæ. Et tandem, quod in Adam Kadmon concipiendum sit unum Alphabetum viginti duarum literarũ cum 231. Revolutionibus; de quibus in libro Jezirah. Ut jam non dicam de vasis, eorumque parte interna & externa, item luminibus, ambiente & interna: nec de Nephesch ejus atque Ruach, aliisque specialibus. De quibus nunc ulteriùs dicendum est.

CAP. IX.

Quod Causa prima omnibus causatis suis manifestaverit essentiam & naturam suam, sea non ipsam, quatenus talem, sed ita, ut se ipsum restrinxerit & quasi multiplicaverit, atque illa produxerit finita & multiplicata.

§. 1.

ÆN-Soph in se continet omnia quæcunque sunt, & esse possunt; quia, juxta Aristotelem, perfectum & universum sunt unum; quoniam nihil ipsi deest: ni enim summum perfe-

perfectum in se haberet omnes perfectiones, determinatum esset ad unam, vel plures.

§. 2. Jam quæritur: dum produxit omnia, an omnibus dederit & immiserit essentiam & naturam suam; vel, an dederit aliquid, quod ipse non est, nec intra naturam ejus est? Si respondetur, quod dederit id, quod est, & quod erat in natura ejus, regeritur: quicquid ipse est, esse infinitum & simplicissimum; quod autem dedit, finitum est, & quodammodo compositum. Item: id quod ipse est, non tantùm non est productum, sed nec produci potest, quia nemo illud producere posset, nec etiam produci potest id, quod jam est. Quod autem producitur & emanat, constituitur de non esse in esse. Unde constat: quod non dederit aliis id, quod ipse continet in natura sua.

§. 3. Si autem dicitur: ipsum dedisse tale quid, quod ipse non est, & quod non est in ipso: videtur, datum iri aliquid, quod non detur in infinitè perfecto, quod absurdum.

§. 4. Ut hæc concilientur, dicimus: quod Æn-Soph res produxerit, partim tales, qualis ipse est, & id, quod in eo invenitur; partim tales, qualis ipse non est, & qualia in ipso non dantur. Nimirum, dedit & fecit, quod ipse est, & quod in ipso datur; sed non prout in ipso est, verùm dependens ab independente, finitum ab Infinito; multiplex & compositum ab uno & simplici perfecto; potentiale ab eo, qui est vis & actus infinitus; mobile ab eo, qui permanet perenniter; adeoque modo quodam imperfectiore & diminutiore, quàm est perfectio ejus infinita. Unde concluditur: quod, sicut causa prima est omnia, modo independente & infinito; ita entia ab illa dependentia sint causa prima, sed modo dependente & finito. Et hoc est, quod Doctor noster vocat צמצום vel restrictionem illam, quâ mediante Æn-Soph res emanare fecerit extra se, sed ita, ut non separaverit ab iis, quod ipse est,

est, & quod in natura ejus datur: quamvis non tales fecerit, qualis ipse est.

§. 5. Et sic clarè satis explicatur, quid intelligat Doctor noster, dum dicit: Deum, ut sese posset extendere, oportuisse semet contrahere. Et sic etiam intelligitur, quid sint contractiones illæ, quæ statuuntur in Adam Kadmon: & quid sit illud, quod lumina summa duplicata fuerint per triades Sephirarum: & per hanc contractionem produxerint causata sua inferiora, inque illa immiserint essentiam & naturam suam; sed non eo modo, quo sunt ipsa, & quem intra essentiam suam continent, sed modo quodam arctiore, magisque deciduo & diminutiore.

Cap. X.

Quomodo in unitate Causæ primæ potuerit esse simile quid naturæ multiplici & finitæ: item Varietatis.

§. 1.

INfinitum est perfectio, & actus purus, &, ut Cabbalistæ illud appellant, מדת חסד *metrum benignitatis*. Sed, quia in Causatis produxit naturam terminorum & limitum, vocatur מדת הדין *metrum judicii*.

§. 2. Jam verò videtur, non potuisse Deum terminum limitemque statuere extra se, nisi tale quid priùs habuisset in se. Omne enim agens agit secundum id, quod est in se. Unde infertur, quod quodammodo limitatus, & contractus fuerit, in se ipso priùs, quàm extenderetur ad causata sua, illisque daret terminum & judicium in se contentum.

§. 3. Quia autem Æn-Soph verè infinitus est; hinc, si aliquis in ipso statuendus est terminus, inveniendus est modus, quo intra se ipsum quodammodo distinguatur à seipso; (liceat ita loqui propter exiguitatem intellectus nostri.) Quasi

Quasi nempe quodammodo moveretur à se ipso, ad aliud; (quamvis omnia in ipso, & in ipsa essentia sua:) adeoque ab Infinito ad finitum.

§. 4. Hæc autem expressio infiniti ex se ipso, ad aliud, quod est finitum, est illud, quod vocatur ששעש delectatio, quasi esset motus quidam. Et hæc est illa distinctio, quam formamus in intellectu nostro, quasi sit directio sui, & inclinatio quædam ad aliud, ad quod nempe se disponat, & determinet; Infinitum videlicet ad finitum; & independens ad dependens: Id volo, quod intellectu suo, qui est ipsa ejus perennitas & essentia, Deus sese applicuerit ad Causata sua futura: non secundùm essentiam suam, quæ incomprehensibilis est, sed secundùm illum conceptum determinatum & definitum, quem de immensitate & amplitudine ejus ista possint supportare, quique secundùm exiguitatem intellectus nostri ab ipso admodum diversus & distinctus est. Quoniam hæc applicatio ad aliud non fit secundùm immensitatem ejus, quæ incomprehensibilis est omni alteri; sed secundùm æstimationem illam definitam, juxta quam entia hæc illam possint sufferre, & unum quidem magis quàm alterum.

§. 5. Et hinc sequitur motus ille analogicus, juxta quem infinitum concipitur definiri, & Deus, egrediendo à se ipso ad aliud quid, producere de immensitate sua causata finita. Ubi quidem semper radix quasi aliqua Causatorum finitorum, multiplicium, mobiliumque remanet in simplicitate infiniti; causaque eorum immobilis manet, quamvis conjungatur cum dicta natura multiplici & mutabili.

§. 6. Et hæc est illa contractio, & æstimatio, & mensura, quam Doctor noster etiam vocat delectationem, vel motum, in Æn-Soph, prout traditum est ipsi, ut nempe dare queat rationem, quomodo causata finita ex ipsa emanaverint.

§. 7. Subjicit autem immediatè hypothesin de מלבוש seu *veste:* quæ, prout mihi videtur, nihil aliud est, quàm idea

idea illa, & exemplar, quo quasi vestitus est Æn-Soph à Causatis suis. Dicit autem Doctor noster, illam esse legem plenam literis. Quia, sicut istæ sunt causa & principium Nominum Sanctorum, quæ sunt Sephiræ: ita sunt principium omnium entium Formæ illæ causatæ, characterisantes omnia causata.

Cap. XI. & XII.

§. 1.

CApite Undecimo ulteriùs demonstratur, quomodo à simplicitate absolutissima provenire queant causata multa, & finita: & plura de contractione vel restrictione Infiniti: ut nempe exactiùs intelligi queat, quid sit illa delectatio seu exhilaratio Infiniti, quam Doctor noster adscribit Infinito: quasi nempe commotus fuisset, ut ita dicam, intra sese, ut egrederetur quodammodo à se ipso, ad alia: Cùm intellectu suo in se perspiceret, quod multitudo naturarum finitarum, & quodammodo imperfectarum tam varia, quidem esset ipsa bonitas infinita, benignitasque & amor; sed modificata à jure & rigore imperfectionis. Ex quo deinde idem vim illam, qua ipso actu produxit, & in esse proprio constituit dicta entia, vocavit restrictionem, qua se ipsum determinavit, ad productionem rerum diversarum. Et hæc ipsa est lucerna præcepti, in qua Lux Legis primæ, quæ est idea prima & eminentissima omnium entium. Estque radix & fundamentum illius בוצינא דקדינותא seu *Coruscationis vehementissimæ*; quæ, cum sit דין seu *Jus*, descripsit atque formavit terminos, limitesque ac mensuras omnibus rebus. Hic est locus ille generalis omnium entium, qui mysticè vocatur Vacuum Infiniti: in quo continetur Lux, ab hoc ibidem relicta, destinata & præparata pro omnibus causatis futuris: quæ postea crassior facta dicitur, sed virtute lucis novæ, quam illuc immisit principium

cipium primum; adeoque produxit Adamum primum & lumina Æn-Sophica: & per consequens, quatuor Systemata אבי"ע.

§. 2. Capite Duodecimo ulteriùs agitur de contractione Infiniti, qua locum fecisse dicitur causatis suis producendis, & vestigium aliquod reliquisse in spatio illo, quod sit subjectum, & quasi vas omnis lucis illuc infusæ: ex qua productus sit Adam Kadmon, & ipso mediante, reliqua entia. In specie autem declaratur, quid sit אויר קדמון *Spatium primum:* nempe substantia, omnium primò emanando, producta, & perfectissima, quæ, quia quasi mensura est omnium cœterorum entium, illa contineat, ad instar loci cujusdam generalissimi, quod contineret omnia corpora. In hunc autem deinde Æn-Soph ita contractus, dicitur infudisse lucem suam & potentiam suam, illumque formasse, & perfecisse: ita, ut Adam Kadmon, causatum ejus primum perfectissimè & actu secundo compositus dicendus sit, è spatio, facto per contractionem, ceu essentia; & è luce in illud immissa, ceu existentia vel actu secundo. Et huc etiam tendit omnis retractio vel duplicatio trium Sephirarum Triadis ultimæ, subter tres Triadis mediæ vel secundæ: ut nempe ex retractione & spatio hoc producatur aliqua substantia, tanquam vas quoddam, in quod quicquid deinde immittitur vel infunditur, Lux vocatur, quæ est existentia ejus, & perfectio ultima, actusque secundus. Uno verbo: essentia singularis & interminata multiplicatur & terminatur ad entia multa & diversa, per Substantias multas & finitas, in quibus, tanquam in vasis recipitur: Unde hæc vocantur vasa, spatium, vacuum, non aliter, ac cum lux Solis unica & generalis, per diversa specula diversos fulgores producit. Non enim putandum est, vasa illa & subjecta recipientia esse materialia, ut hæc recipiunt formas; sed spiritualia, & naturas determinatas, quæ existentiam actu suscipiunt, quæ quodammodo ab ipsis erat separata.

§. 3. Spe-

§. 3 Specialissimè verò c. 13. supra dicta omnia contrahuntur in decem conclusiones sequentes. 1. quod Æn-Soph restrinxerit, & determinaverit, atque limitaverit potentiam suam operandi, atque vim suam ad dispositionem potentiæ producti, naturamque dependentis. 2. quod, quamvis sit Infinitus, in specie tamen determinaverit intellectum & voluntatem suam ad Causata finita. 3. quòd, quatenus ipsis infudit essentiam finitam, hoc ipso quodammodo permanserint defectuosa, & infinitate illa carentia, quam ipse in se habet. 4. quod diminutior hic gradus causati ex eo proveniat, quod causa ejus non absolutè in illud extendatur. 5. quòd, quia benedictus ille non est de numero causatorum suorum, sed omnibus eminentior, respectu istius eminentiæ omnia produxerit æqualiter. 6. quod ens necessarium per se subsistens & unum, ut propterea in multa distendi nequeat, tamen quasi multiplex fiat in causatis, intuitu naturæ eorum, vel substantiarum, vasorum & foraminum illis tributorum: per quæ determinatur essentia unica & infinita ad naturas definitas & diversas: & hæc sit causa multitudinis rerum. 7. Quia impossibile est, ut causatum omnino simile vel omnino dissimile sit Causæ primæ; quod Deus propterea eidem aliquid dederit de eo, quod ipse est: & aliquid non dederit, nempe infinitatem, quam per sæpe dictam contractionem intra se cohibuit, & illi negavit. 8. Quod, quia fieri non potest, ut ullum causatum planè simile sit causæ suæ, id necessariò compositum sit ex unitate, & multiplicitate. Ex unitate, quatenus est analogum causæ suæ; ex multiplicitate autem, quatenus illa inferiùs est per contractionem & separationem; adeoque ab illius similitudine abscedit. 9. Quod infinitudinem Dei, quæ terminum habere non potest, sequatur finitudo, quæ privata quidem est termino, (sed eum tamen habere potest:) nempe potentia indefinita, vel substantia informis, & formata, quæ nempe per applicationem causæ suæ, accipit

 confor-

conformationem, ut sunt contractio, quæ efficit spatium; & influxus, qui illud implet. 10. Quòd Deus, cùm omnibus causatis sit eminentior, ita retraxerit sese in se, ut cum nullo illorum conveniat; & per hanc retractionem ab omnibus videatur separatus. Sed quia etiam applicatur ad omnia, tanquam causa quoad essentiam, potentiam, & operationem eorum, simul tamen etiam sit omnia in omnibus: ut, quia ut dicimus, ipse est lux, quæ illa implet, ipsis planè sit intimus.

DISSERTATIO SEXTA.

CAP. I. II. III. IV. V. VI.

§. 1.

CApite Primo, post absolutam doctrinam de Zimzum, seu contractione, & immissione lucis Æn-Sophicæ, per quam producta sint emanata suprema, jam agere incipit de his emanatis, & primo de Adam Kadmon. Quod autem reliqui Cabbalistæ supra decem Sephiras non collocaverint lumina alia, causam hanc esse: quod doctrinam istam vel ignoraverint, vel occultare voluerint: excepto R. Jizchak Łorjensi. Probatur ergò, supra decadem Sephirothicam alia dari lumina superiora, primò ex libro Jezirah, Mischnâ 4. (5.) Ubi per ארון יחיד Dominum unicum intelligit Causam primam, & per מכון קדשו *habitaculum Sanctitatis ejus*, lumina hæc summa: item ex Mischna 5. (6.) ubi per מאמרו *verbum ejus*, intelligit dominium Causæ primæ: & per thronum ejus, sublimia hæc lumina, Infinito proxima. Porrò allegat ex Tikkunim Tikk. 1. Ubi supra Coronam summam decadis Sephirothicæ locatur Tetragrammaton alephatum: per

per quod intelligit Causam Sephirarum formalem, & efficientem, Causatum nempe superius; & per Dominum Mundorum, Æn-Soph.

§. 2. Capite Secundo, porrò idem probat ex Tikkun 19. in fine fol. 41. b. ubi expressè nominatur אדם קדמון לכל קדמון *Adam omni primo prior*. Item ex Tikkun 69. ubi loquitur de peccato Adami: ubi per אור קדמון, אור צח, ואור מצוחצח intelligit mundum Aziluthicum, supra quem adhuc locantur superiora. Porrò ex libro Sohar Sect. Breschith, (fol. 26. c.) ubi superiora hæc lumina satis clarè describuntur.

§. 3. Capite Tertio idem ulteriùs probat ex alio loco, supplementi vel Tikkun 69. de Adam Kadmon. Ubi per illum hominem, qui factus dicitur ad imaginem Dei, intelligit decem Sephiras Aziluthicas: per illum autem hominem, qui dicitur similitudine carere, Adam Kadmon: de quo plura hic tractantur, & quomodo conveniat cum causa prima.

§. 4. Capite quarto latiùs deducit, quare Adam Kadmon vocetur Adam, vel homo: nempe, quia 1. sicut homo est microcosmus, sic Adam Kadmon macrocosmus, continens omnia Causæ primæ causata. 2. sicut homo materialis summum locum habet inter inferiora, sic Adam Kadmon inter superiora. 3. sicut in homine materiali totius creationis finis est; ita in divino initium. Prov. 8, 22. 4. sicut Adam inferior accipit omnia ab omnibus, ita superior omnia dat omnibus. 5. Sicut hic est principium lucis reflexæ, ita ille principium directæ. 6. Hic terminus lucis descendentis; ille ascendentis. 7. Hoc movente per modum aquarum fœmininarum, omnes mundi moventur: illo efficiente, per modum aquarum masculinarum sunt, manent, & perficiuntur omnia entia. 8. Sicut inferior ascendit à materia infima usque ad Causam primam: ita superior descendit ab actu simplici & infinito, usque ad potentiam ultimam, & diminutissimam. 9. Sicut inferior est finis creationis, & quodammodo etiam quoad intentionem creato-

creatoris, ita superior est finis verus, quamvis externus, in intentione Infiniti. 10. sicut homo inferior est habitaculum Schechinæ, regnique Sancti, quo gubernantur atque implentur tres mundi בי"ע; sic Superior est habitaculum Infiniti, lucisque ejus summæ, & proximè accedens ad similitudinem & Imaginem ejus veram; adeoque gazophylacium omnium perfectionum, quæ influunt, & influxuræ sunt in omnia causata, omnique tempore & loco: causa nempe secunda, & instrumentum opificis primi ad creationem, conservationem & perfectionem omnium entium. 11. Porrò etiam vox אדם refert numerum 45. qui est numerus Tetragrammati alephati, quo docetur: quòd Adam Kadmon sit nomen primum, & causatum primum, (sicut אלף est litera prima, & per metathesin פלא) quod modo mirabili continet decem Sephiras, per decem ejus literas designatas. Plura alia hic omisimus, hoc tantum addendo; illud ipsum, quod in libro Jezirah dicitur; decem esse Sephiras בלי מה, sic hic exponi, præter illum, qui est מה, id est, אדם, nempe Kadmon, numerum 45. exprimens.

§. 5. Capite Quinto Objectiones quædam formantur contra id, quod lumina quædam dentur supra decadem Sephirothicam: nempe è Libro Tikkunim, & Raja Mehimna, nempe, quod causa causarum, id est Æn-Soph immediatè sit in Corona, & hæc primum ejus sanctuarium. Ad quæ respondet: quod per causam causarum non semper intelligatur Æn-Soph, sed etiam Adam Kadmon: ita, ut hoc respectu Æn-Soph dicatur causa omnium causarum. Vel, quod per Coronam tunc intelligatur ea, quæ est in Adam Kadmon. Additque: quod juxta mentem R. Jizchak Lorjensis & discipulorum ejus, R. Chajim Vital, & R. Jisraël Serug, etiam Æn-Soph dicatur, quæcunque Causa superior est decade aliqua Sephirothicâ: v. g. Malchuth mundi Æn-Sophici respectu

ctu Aziluth, quam immediatè produxit: Malchuth in Aziluth, respectu Briah, &c.

§. 6. Capite Sexto ulteriùs objicitur, quod in toto libro Sohar, & Tikkunim, & Raja Mehimna non nisi quatuor mundorum fiat mentio, nempe אצי"ע: nullibi autem dicatur de mundo Æn-Sophico, in quo Adam Kadmon, & quinque ejus lumina. Et respondetur: quinti hujus mentionem non fieri ex eo, quod nimiùm sit occultus, nec ab ullo intellectu apprehendi queat: & tantùm lateat in apice literæ Jod. Item, quod mundus quintus concipiendus sit tanquam anima quarti, & non tanquam aliquid ab hoc separatum.

Cap. VII.

Quid sit in Adam Kadmon spatium ejus; Canalis ejus tenuis; circuli; rectilineæ; Tetragrammaton primum; & quatuor inde dependentia; Alphabetum; cum 231. portis, & quicquid in ipso continetur.

§. 1.

FActa contractione Infiniti, exortum est אויר קדמון Spatium primum. Vacuum nempe, & Locus omnium mundorum producendorum. Hoc, quantum mihi videtur, est substantia Hominis primi, qua nempe determinationem accepit in esse suo, & formationem vitæ & intellectus ejus, aliarumque perfectionum; quas per influxum luminis sui ipsi dedit causa prima.

§. 2. Et huic tribuitur nomen hominis, non parvi & imperfecti; sed macrocosmici, perfecti & primi; quia secundùm excellentiam, intentionem causæ, & naturam, prior est omnibus reliquis entibus.

§. 3. Per Canalem illum autem tenuem, per quem à causa sua accepisse dicitur, non tantùm essentiam & bonitatem essentiæ, in qua subsistit; sed & potentiam, per quam omnia

omnia produceret; denotatur ipsa ejus unitas,quâ quodammodo unum quid est, cum uno absolutissimo & simplici, eumque ipso unita & ab ipso accipit,tam id, quod ipsum est, quam id,quod inferioribus communicat & infundit. Vel: elevatio & ascensio illa, quâ, mediante unitate suâ,unitur cum Uno primo.

§. 4. Per Spatium autem, quod semper remanet inter Æn-Soph, & inter Adam Kadmon, denotatur essentia ista, propter quam diversus est,& remotus à perfectione causæ suæ; è contra verò accedit & assimilatur spatio, sive nihilo,ex quo productus est, & existentiam accepit. Sciendum enim,omne ens quasi componi è contrariis & negatione; vel ex eo, quod accepit,& ex eo,quod non accepit.

§. 5. Circuli designant vitam ejus: quoniam, ut arguit Plotinus, vitalitas movetur per motum circularem à seipso, in seipsum.

§. 6. Dividitur autem in partes suas, quæ sunt decem Sephiroth,in nomine essentiali contentæ: quod ipsum est causa numeri primi, qui consistit in entitate prima; & propterea ipse est principium omnium reliquorum entium.

§. 7. Rectilineum designat intellectum Adami primi: axis nempe circuli, quo vita denotatur: unde hic est causa motus ejus, per quem uniuntur & connectuntur intellectualia & vitalia inter se, & cum ipso: actuque recto & perpetuo, confestim & perfectissimè assequitur scopum & finem suum. Dicitur autem rectus; quia sine deflexione vel aberratione à via causatorum suorum ascendit ad seipsum, & ad causam suam: & sic descendit ab ipsa per intellectum & voluntatem, non materialem vel localem ad se ipsum,& ad causata sua.

§. 8. Et propterea quatuor illa nomina in ipso contenta, derivantur à primo, quod ipsis est radicale: adeoque etiam ipsa radices sunt quatuor mundorum אבי"ע, quæ ab Adam Kadmon proveniunt,virtute & concursu Infiniti.

§.9.Vel

§. 9. Vel aliter nomen עֹב est unitas ejus,respiciens inferiora.

§.10.Nomen סֹג Essentia ejus extensa ad reliquas Essentias & materias: & propterea in ipso contigit mors & lapsus: ad instar numeri binarii, qui descendit & delabitur ab unitate; estque principium multi,& divisionis,& defectus.

§. 11. Nomen מֹה denotat vitam ejus extensam ad omne genus vitarum: & propterea est conversio & motus à se ipso, in se ipsum, & à se,ad causam suam, à qua omne bonum provenit. Hic est numerus ternarius, qui dualitatem reducit ad unitatem, & redintegrat dissensiones ejus, eumque perficit, efficitque indivisum. Et propterea nomen מֹה, ad instar vitalitatis, conformat, & restituit nomen סֹג in statum & naturam ordinatissimæ Bilancis (tripartitæ,) illudque reducit ad causam suam.

§. 12. Nomen בֹן designat intellectum,qui radix est omnium cœterorum intellectuum. Et Nomen סֹג ipsum,non tantùm per nomen מֹה reformatur; sed & per vitam illam & intellectum hunc reducitur ad se ipsum,& ad causam suam, & ab his perficitur.

§.13. Parum autem diximus de nomine עֹב, quia denotat unitatem Hominis primi,sublimiorem omni entitate,& occultam; cum quâ, ut etiam simile fiat unitati simplici & infinitæ atque primæ, unitur nomen סֹג, designans essentiam; unde etiam ad ipsum refertur Nomen אהיה, quod producitur ab Unitate, quæ est Nomen עֹב, cujus uxor est Binarius; qui,cum sit imperfectus, divisus est & in potentia: non potentia actuabilis, ut materia; sed directa ad actum, vel actus primus,non quiescens in se ipso, sed tendens ad alterum, & subsistens in altero; & cum sit imperfecta, per illud in perfectionem deducta. Unde die secunda, non dicitur, כי טוב; *quod bonum*: quia duale, quatenus est primum,

mum, ab unitate amotum, est principium multitudinis divisæ, & separatæ; adeoque imperfectum, & non bonum.

§. 14. Sed Nomen מוֹח designat vitam: & huc pertinet arbor vitæ, Tiphereth, Lex Scripta, mundus Jezirah, qui vivificat, & movet mundum corporeum, tam cœlestem quàm elementarem.

§. 15. Nomen בֵּן denotat intellectum, qui est actus conversus à vita & ad vitam, essentiamque & unitatem; ad perfectionem deductus & in actum ab objecto, quod est nomen מוֹח, quod movet intellectum, eumque perficit.

§. 16. Notandum autem, quod Objectum intellectuale & intellectus, dum adhuc sunt in potentia, inter se sint distincta & separata: sed cum simul in actum deducuntur, i. e. cùm objectum actu consideratur, & intellectus illud ipso actu intelligit, non tantum sunt connexa & unita, sed unum & idem. Unde intelligi potest, quid sit copula Seir Anpin cum uxore sua, de quibus mysticè loquitur Salomo in Cantico; quæque sunt nomina מוֹח & בֵּן, Lex Scripta, & Lex oralis.

§. 17. Concludimus ergo: quod quatuor hæc nomina omnia in Adam Kadmon denotent conceptum illum, quo applicatur ad Inferiora, adeoq; compositus est ex unitate, essentia, vita, & intellectu suo.

§. 18. Sed spatium & canalis tenuis, sub notione circulari & rectilinea, pertinet ad conceptum illum, quatenus consideratur in se ipso; ubi reperitur potentialitas aliqua, formata deinde per unitatem, essentiam, vitam & intellectum ejus.

§. 19. Et quia Adam Kadmon medium quid est inter Æn-Soph, & mundum Aziluthicum: omne autem medium in se habet analogum quid extremorum suorum: hinc sine dubio ab Æn-Soph accipit nomen עֵב: & unitur cum Aziluth per nomen בֵּן: quoniam per id, quod summum est in ipso,

ipso, unitur cum eo, quod supra se, & per id, quod imum est in ipso, cum eo, quod infra se. Ne autem extrema cohæreant sine medio, hoc etiam accedit: quod, quia non potest esse simplex & unum, sed multiplex & duplum; hinc quod magis ad Summitatem accedit, est nomen סַג; & quod magis ad inferius, est nomen מוֹח. Relictis ergo extremis, quorum summum planè sursum vergit, & imum plane deorsum labitur; de mediis saltem dicemus, quorum, quod analogum est superiori, ab inferiore plane abscedit, istique nullatenus prodest; quod forsitan est mysterium confractionis, & mortis nominis סַג. Quod autem analogum est inferiori, huic lapso opitulatur, damnumque resarcit, cujus causa fuerat, ex eo, quod nimium descendisset ad inferius, ipsique dedisset id omne, per quod præcedens elevatum erat supra. Breviter: inter duo extrema עֵב & בֵּן duo sunt media סַג & מוֹח: quorum prius elatum per lucem reflexam, quæ semper est Juris nota, cohibuit influxum suum ab inferiore, *posuitque caliginem fasciam ejus*, (Ijob 38, 9.) quod est mors ejus: secundum autem, nempe מוֹח descendendo ad imum, nempe בֵּן, per lucem directam, quæ est benignitatis nota, illuminabat has tenebras, & perficiebat imperfectum, & luce privatum. Et ut paucis dicam: lux prioris, ob nimiam excellentiam suam, occæcabat oculos visus: alterum autem contrahebatur & restringebatur, ut videri posset, & manifestaretur, &c. Et hoc est mysterium Regum Edomiticorum, quorum septem priores regna esse quidem dicuntur, sed & mortui esse, id est, incepisse quidem medii naturam exercere, sed deinde ad alterum extremum conversos esse, adeoque mortuos; dum quasi separarentur à servis suis, qui ipsis opus habebant. Alterum autem, nempe מוֹח à priore, nim. סַג, separatum, contrarium fecit: unde de Rege octavo non dicitur, quod sit mortuus; sed uxor ipsi tribuitur; quod de prioribus non dicitur: ut apparet

reat, ipsum ab inferiore non fuisse separatum, sed cum ipso potiùs unitum, eique influxum, lumenque & vitam dedisse.

CAP. VIII.

Pergit agere de quatuor Nominibus Tetragrammaticis, quæ in Adam Kadmon: deque ipsius Nephesch & Spiritu, aliisque ad essentiam ejus pertinentibus.

§. 1.

JAm dictum est, quod nomen עָב denotet unitatem; & nomen סַג dualitatem, & essentiam primam, & quasi materiam potentialem, aliunde perficiendam: sed nomen מוֹ, Trinitatem, quæ sit reductio dualitatis ad unitatem: primò quidem ad illam, quam in se habet; deinde quoque ad primam & generalem, atque simplicem, &c.

§. 2. His addimus: quod ternarius sit principium numeri; quia, quantum binarius delabitur ab unitate, iste restituit, dum illum reducit ad unitatem. Estque primus impar, qui in se continet primum parem, & unitatem, quæ sunt pater & mater omnium numerorum: haberque, ut dicit Aristoteles, in se, principium, medium & finem.

§. 3. Jam Adam Kadmon emanavit ab uno simplici, adeoque est unitas: sed & descendit, & delapsus est in ipsam naturam suam, adeoque est duo. Iterumque reducitur ad unum, quod in se habet, & ad summum; adeoque est tria & quatuor.

§. 4. Et hæc est causa, quod nomen essentiale habeat quatuor literas, tres diversas, & unam bis sumptam: quoniam He primum est uxor יוד Jod; & alterum, uxor וו Vav. Primum emanavit à Jod, viâ directa, & alterum à Vav, viâ conversâ & reflexâ.

§. 5. Et quatenus compositio Tetragrammati è tribus literis diversis constat, in Aziluth, omnibusque entibus reliquis; tria

tria veniunt consideranda; Benignitas; jus strictum; & misericordia: terminus; termino carens; & compositum: Vel; Forma & actus; materia & potentia; & quod ex his provenit: item, Benedictio; Sanctitas; unio: summum; medium; imum: & in singulis tria; nempe חֶסֶד; גְּבוּרָה; נְהִי: & tres mundi, בּוּץ:

§. 6. Et quatenus Tetragrammaton habet quatuor literas; in Aziluth reperiuntur, Benignitas; jus strictum; misericordia; & quod exinde provenit: In Briah, quatuor pedes Throni: in Jezirah, quatuor facies; Leonis; Aquilæ; Bovis; & hominis: vel Michaël; Gabriel; Uriel, & Raphaël: & in Asiah 4. elementa; cum Patribus Abraham, Jizchak, Jacob & David: & inter Jisraëlitas, Sacerdos; Levita; Jisraëlita & Proselyti &c.

§. 7. Sed ut ad quatuor Nomina redeamus: עָב est velut punctum; סַג velut linea; מוֹ ut superficies; גֵּן ut corpus: unde in his duobus facta est bilancis forma, & similitudo maris & fœminæ; quibus tribuuntur 3. dimensiones quantitativæ, longitudo, latitudo & profunditas. In 4. istis autem, puncto, linea, &c. reperiuntur, 3. 2. & 1. quæ simul sumta efficiunt 10; numerus absolutus & perfectus, continens & efficiens omnes numeros reliquos; atque essentialis decem Sephiris, à quibus, & ad quas omnia.

§. 8. Vel etiam dici posset cum Proculo & Patritio: quod ab uno simplici, quod est Æn-Soph, primò emanarit *unitas Entis*, in qua omnes monades omnium entium, quod est Adam Kadmon, & lumina ejus: quam sequitur *Entitas prima* & perfectior; quæ est Attika Kedischa, Senex Sanctus: *Vitalitas prima*, quæ est Arich Anpin: *Intellectus primus*, Pater & Chochmah: *Voluntas prima*; Mater & Binah & Providentia: *Actus primus*, Seir Anpin: *& operatio* proveniens ex omnibus, Uxor ejus & Malchuth: & hæc omnia, quatenus

Adam Kadmon ea continet in se, adeoque ad inferiora applicatur.

§. 9. Vel: Ab Æn-Soph, i. e. Uno generalissimo, productum esse Universum, qui est Adam Kadmon, qui est unum & multum, & ex quo, & in quo omnia: & 4. nomina esse radices 4. mundorum אבי״ע, quos produxit. Differentias autem generum notari per circulos homocentricos, sicut Ens, substantiam; hæc corpus; hoc, vivens; istud, sensitivum; & hæc, rationale continet. Sed Differentias specificas designari per rectilineum; prout ab una specie ascenditur ad alteram, usque ad summam Causæ primæ proximam, quæ cæteras continet, ut numerus major minorem. Differentias autem numericas referri ad dispositionem bilanciformem; ubi facies faciei obvertitur, & duo vel plura ejusdem perfectionis, & speciei, tantùm distinguuntur, ut mas & fœmina. Quæ differentiæ numericæ etiam denotantur per id, quod dicitur anterius, & posterius; quorum illud quasi actus, & hoc quasi potentia. Et hoc modo in Adam Kadmon repræsentantur omnium rerum ordines, tam genera, quàm species, & individua.

§. 10. Hæc ipsa quoque denotantur per literas, quæ sunt numeri primi, quos ens primum intra se continet. Nam sicut unum simplex, ente primo superius est: sic iste numerus, qui in ente primo continetur, omni numerabili superior est: qui numerus generalissimus denotatur per conversiones Alphabeti, perque eum constituta sunt omnia entia, sicut è literis nomina & orationes; qualia nomina & orationes sunt Sephiræ. Unde patet ratio, quare literæ intra Adam Kadmon locentur; nempe, quia sunt principia Sephirarum.

§. 11. Sed istæ Sephiroth in Adam Kadmon primò describuntur ut circuli; & deinde, ut lineæ rectæ. Audivi autem à Magistro meo R. Jisraël Serug, quod circulus concipiendus sit ut punctum, quod propter sublimitatem suam incomprehensibile est, & principio & fine caret. Et hac ratione circulus

circulus etiam prior est lineâ, juxta hypothesin Lorjensem, in qua circuli vocantur Nephesch, & rectilineum Ruach; ubi per Nephesch vita, & per Ruach intellectus denotatur: quoniam, sicut è puncto extenditur linea, ita è vita intellectus prodit, & ad illam redit. Et tale punctum est Jod, nota denarii: unde circuli decem.

Cap. IX. & X.

§. 1.

Hoc Capite Nono, præter Nephesch & Ruach, in Adam Kadmon etiam locat tres gradus animæ reliquos: ita ut Neschamah referatur ad Canalem tenuem: Chaijah ad filum influxus Æn-Sophici: & Jechidah ad ipsum Æn-Soph, quatenus circumdat hunc hominem primum. Item, quòd linea ab infinito per Adam Kadmon ducta, terram attingat in Terra Sancta, & Hierosolymis, locoque Sanctuarii; perque illam Schechinah descendat in terram, ascendantque sacrificia, preces, animæ, & Angeli. Item, quòd in puncto poli Septentrionalis, ubi maria absorbentur intra terram, sit foramen abyssi magnæ, quod ad Septentrionem refertur: ex quo prodeant, & diebus Sabbatis atque festis redeant cortices, & spiritus immundi, qui tentant & terrent homines: allegato Joel c. 2, 20. & Ps. 148, 7. ubi etiam cortices intelligit.

§. 2. Capite Decimo ulteriùs exponit quatuor literas Tetragrammaticas, nempe, quod Jod, & nomen יקוק designent in Adam Kadmon objectum ejus intellectuale: He primum & הוי, intellectum ejus: Vav & ויו, actum intelligendi: & He ultimum & הי, vocem elocutionis ejus intellectualis, prodeuntem ab intellectione. Quod etiam applicat ad Chochmah; ad quam Jod; ad Binah, ad quam He; ad Daath, quæ est Neschamah interna gradus Tiphereth, ad quam Vav; & ad Malchuth, ad quam He ultimum pertinet: quæ omnia ulteriùs

ulteriùs explicat per nomina Patris & Matris, Filiique & Uxoris ejus.

CAP. XI.

Ulteriùs proponitur hypothesis Lorjana de luminibus Adam Kadmon.

§. 1.

JUxta hypothesin R. Jizchak Lorjensis, Adam Kadmon in medio corporis sui intentionalis statuit diaphragma quoddam, contraxitque lucem suam in partem corporis sui supernam, quæ præ copia foras promicuit per quasdam aperturas, inibi inventas, nempe capitis, oculorum, aurium, nasi & oris: adeo, ut erumperet in quinque lumina, vel gradus animæ, quarum singula habent decem Sephiras internas, & totidem externas, vel ambientes.

§. 2. De luce autem è capite vel cranio exeunte, nihil dixit, eò quod nimis occulta sit. Lux oculorum autem juxta naturam suam internam & supremam, secundùm quam interdum vocatur lux cerebri; ipsi est Chaijah, seu animæ anima hominis Aziluthici. Lux aurium, Neschamah, dicti mundi Aziluthici. Narium, ejusdem Ruach: & oris, Nephesch ejusdem.

§. 3. Et ab hac incipere dicit existentiam vasorum: quibus subjungitur doctrina de decem Sephiris, quæ vocantur נקודים Akudim, & postea decem Sephiroth נקודים Nekudim, quæ prodierunt ex oculis Adam Kadmon, ex quibus facta est restitutio, in modum maris & fœminæ; unde quinque personæ Aziluthicæ, Attika & Arich, quæ referuntur ad unum, Pater & Mater; Seir & Uxor ejus: quæ statuuntur loco corporum luminum superiorum, quæ sint istorum animæ.

§. 4. Cum tamen hæ Aziluthicæ sint Chaijoth & Neschamoth omnium mundorum: Et primò quidem Mundi Briathici; sed hoc modo: ut Malchuth Aziluthica sit ejus Nephesch: Seir, Ruach: Mater, Neschamah: Pater, Chaijah: & Arich vel Attik, Jechidah.

§. 5. Et sicut personæ Briathicæ sunt corpora Aziluthicarum; ita eædem sunt animæ Jezirathicarum, quæ eodem modo se habent ad Asiah. In quo, qui Dei populus sunt, suam Nephesch accipiunt à Malchuth & Asiah: Spiritum, à Seir & Jezirah: Neschamah, à Matre & Briah: Animæ animam, à patre & Aziluth; & Jechidah, ab Attika vel Arich, & mundo Æn-Sophico: adeoque ascendunt ad Adam Kadmon & causam primam.

CAP. XII.

De partibus animæ humanæ, Nephesch, Ruach, Neschamah, Chaijah & Jechidah.

§. 1.

DEfinitio animæ humanæ Cabbalistarum convenit cum definitione Platonicorum: quod nempe sit substantia incorporea, rationalis, quæ, cùm sit producta ab Intellectu divino, istius etiam naturam in se habet. Et quia applicatur ad corpus, inclinante natura & voluntate ejus, in illud infundit vitam, secundùm similitudinem & imaginem suam: ita, ut ex se, & ex corpore, congruis qualitatibus disposito, membrisque & vasis debitis præparato, constituat vivens & compositum unum, quod vocatur vivum rationale: & hoc tanquam instrumento essentiali, naturalique sibi adhærente, hæc anima rationalis utitur, prædita intellectu, cujus, per influxum & operationem suam propriam, ipsa est causa.

§. 2. Atque ita in homine statuitur vitalitas vel Nephesch, appropriata corpori naturali & instrumentali, in quo vita tantùm est in potentia, quæ tamen propter illud, & per illud, subsistit, & operatur: vocaturque vegetativa & sensitiva. Deinde

inde anima ipsa in corpus extensa per se subsistens, quam Aristoteles vocat Potentiam, quæ assequitur sapientiam idearum & sensibilium: Plato autem, & sectatores ejus, rationalitatem intellectus ejus ita describunt; quod intelligat rem ex re, & de tempore in tempus. Porrò in homine etiam reperitur intellectus specialis, communicatus ab intellectu generali & divino, qui uno momento intelligit omnia simul & semper. Præterea in homine etiam datur unio intellectus istius communicati cum generali & Divino, à quo ille formatus est, perque hanc intelligit, sicut & ipse, perfectissimè omnia intelligibilia, summa & ima. Tandem etiam gradu quinto & ultimo in se habet unitatem illam, quâ similis est causæ suæ primæ, quæ est unum simplicissimum, cum qua unita est, sicut punctum lineæ vel radii cum centro circuli, nempe cum principio & fine generalissimo, omnibus entibus intimo.

§. 3. Id ergo, quod in homine vocatur Nephesch, est vita corporis, dependens ab anima rationali; quæ per se subsistit, & extenditur in corpus, eoque utitur tanquam instrumento, vocaturque Ruach, Spiritus. Sed Neschamah est intellectus animæ essentialis, infusus in illam, ab intellectu superno, Divino & generali. Unio autem & adhæsio particularis cum intellectu formali & generali, talis nempe, ut sub hoc & sub operatione ejus subsistat & operetur, vocatur Chaijah: Et tandem Jechidah, juxta meam opinionem, est unio animæ, quâ similis fit causæ suæ primæ, & cum illa cohæret, & connectitur, ita, ut hæc illius quasi caput, cor, vel centrum sit, à quo dependeat, & ad quod reducat, quicquid ipsa est, & quicquid continet, atque operatur.

§. 4. Ex dictis intelligitur, quod quinque illa lumina, quæ emanant ex Adam Kadmon, sint quasi Nephesch, Ruach, Neschamah, Chaijah & Jechidah Mundi Aziluthici: qui quasi gradus sunt scalares, per quos descendit ab intellectu formali, generali & divino, sive cogitatione, qui est Adam Kadmon, in

in mundum vasorum, qui quasi corporeus est, respectu superioris, nempe mundus Aziluth, & decem Sephiroth emanativæ: quæ mysticè dividuntur in cranium, cerebrum, cor vel linguam, duo brachia, corpus, duo crura, fœdus effusionis, & corollam: & à quinque illis gradibus animæ, excepto uno, formatæ sunt. Nempe, locum Nephesch habet lux Oris, & Sephiræ Akudicæ: quatuor autem ab extra consistunt, tanquam pars rationalis & intellectus inferior, item intellectus divinus, & unio emanationis, cum vasis emanatis.

§. 5. Vel dici potest: quod sub intellectu generali tres sint gradus intellectuum analogicorum; nempe: superior, medius, & inferior, quorum unus se habeat ut anima rationalis; alter ut plastica; & tertius ut adhærens supernis; per quos ille, tanquam per media congrua, descendat in mundum Aziluth, eumque emanare faciat, & vivificet, & faciat intellectualem & divinum.

§. 6. Sed quia in libro כנפי יונה & libro סדר האצילות hypothesis hæc Lorjana paulò aliter proponitur; de iis etiam aliqua apponam. Et dico: quod אויר קדמון *Spatium primum*, quod continet quatuor Nomina Sancta, & 22. literas, sit Adam Kadmon, nondum formatus: qui, postquam formatus est, vocetur אויר *Aura*: operationes autem & perfectiones ejus sint *nomina*, quæ continent omnes mundos, & *literæ*, quæ denotant istorum principia, numerosque & formas omnium rerum. Sequiturq; זהרורו עילאה: splendor supernus, cum 248. luminibus suis, productis è quatuor nominibus עב סג מה בן, est Systema Sephirarum, Cranii, oculorum, aurium, & Nasi רש Adam Kadmon, quæ fiunt Jechidah, Chaijah, Neschamah & Ruach Mundi Aziluth. Deinde Kether, cum decem Sephiris circularibus, sunt Sephiræ Acudicæ: quamvis enim sint decem, non tamen habent nisi vas unum, prodeuntque ab ore רש Adam Kadmon; & sunt Nephesch Mundi Aziluth. Sed Nekudicæ sunt decem Sephiræ, quæ vocantur כלים vasa, quæ

provc-

proveniunt à vase Sephirarum Akudicarum. Fractio autem & mors contigit in decem Sephiris inferioribus, ex Necudicis. Et restitutio facta est per Sephiras מֹח, quæ prodierunt è fronte Adam Kadmon, & junctæ sunt cum Sephiris סֹד vel כֹּח. Et ex mixtione & conversione unarum ad alias, juxta ritum maris & feminæ, productæ sunt sex personæ, quarum duæ sunt una, & sunt quinque corpora, vel vasa spiritualia, illuminata à quinque animis Divinis, prodeuntibus ab Adam Kadmon, qui est cogitatio suprema, & intellectus summus.

§. 7. Scias autem, quod inter corpora mundi infimi materialis firmamentum summum, quod dicitur עֲרָבוֹת, correspondeat personæ Attika: sed Arich Anpin cum duobus capitibus, quæ sunt רישא דאין Caput Non existentis, & רישא דאריך Caput longi, (quia Caput דלא יתידע Attika vocatur quod non cognoscitur,) correspondet primo mobili, cœloque stellato, & planetarum: Deinde pater, qui est Intellectus gradus Chesed, correspondet elemento aquæ: mater, à qua Rigores excitantur, igni: Seir Anpin, aëri; & Uxor ejus, terræ.

Cap. XIII.

Ex dictis datur ratio, quare præter tres mundos creatos etiam producti sint tres mundi emanativi: de quorum dependentia, & numero, & unde sit initium motus, quæ est Causa Varietatis omnium rerum.

§. 1.

Æn-Soph creavit tres mundos, creativum, seu intelligentiarum separatarum; formativum, seu intelligentiarum ad regenda corpora constitutarum; & factivum hunc: omnes autem creavit per emanativum, qui est locus decem Sephirarum, quæ versantur in ore omnium Cabbalistarum. Hæc

Hæc quidem distribuuntur in diversas personas, tamen illustrantur à quinque gradibus lucis & animæ supernæ, cujus typus & imago est homo corporeus: quæ sunt Jechidah, Chaijah, Neschamah, Ruach & Nephesch: quæ à Doctore nostro vocantur lumina cranii, oculorum, aurium, nasi & oris Adami primi: quorum luminum hic est finis, ut per illa perficiatur mundus emanativus, & his mediantibus, cum causa prima uniatur.

§. 2. Præter hunc Adamum primum, & lumina mundi Æn-Sophici & emanativi adhuc tres sunt gradus superni, videlicet intellectus divinus, anima divina, & corpus divinum; quæ sunt exemplaria, & causæ trium mundorum בִּרְיָע creatorum.

§. 3. Mundus creativus se habet tanquam intellectus; quantumvis creatus sit; similisque est Adamo primo: quæ mihi videtur esse causa, quare in Sohar & Tikkunim aliquoties vocetur אדם דבריאה, Adam creativus. Mundus formativus se habet ut anima, & similis est luminibus supernis, quæ illuminant Mundum Aziluth. Mundus factivus est quasi corpus & receptaculum superiorum, & quodammodo similis est mundo emanativo, in se considerato, tanquam vas luminum supernorum. Adeoque dantur Mundi Divini, qui sunt principia & exemplaria trium mundorum dictorum; qui se habent instar vasorum intellectualium, per quæ Æn-Soph omnia produxit, gubernat, & perficit.

§. 4. His addimus, quod Adam primus & lumina ejus sint principia & exemplaria sex personarum emanativarum, hoc modo: Adam Kadmon est principium Senis Sancti, qui etiam vocatur Senex Senum occultus, sicut lux cranii & cerebri refertur ad Arich Anpin, qui est Corona Aziluthica, & sapientia prima, & occulta. Lux oculorum, conceptu suo interno, est principium & exemplar Patris. Lux aurium, matris. Lux nasi, Seir Anpin. Et lux oris, uxoris ejus. Ex quibus [illegible]ndè patet,

patet, quare præter Aziluth, de qua priores; statuantur lumina mundi Æn-Sophici & Adami primi; de quibus in hypothesi Lorjensi.

§. 5. Et quia causata descendunt ab uno simplicissimo, per restrictionem extensionis & influxus ejus; hinc necessariò sunt finita, multiplicia, & quodammodo composita, minusque perfecta & varia: sed secundùm magis & minus, prout nimirum magis vel minus absunt à Causa prima; unde sequitur: quoniam descendendum fuit ad imperfectionem hanc consummatam, & compositionem & multitudinem quasi infinitam, quam videmus in mundo hoc corporeo & sensibili; quod opus fuerit tot intermediis, quæ continuatis gradibus procedant, determinentque & multiplicent vim Infiniti, donec commensurari posset cum inferioribus, & proportione quadam intellectuali illa producat, conservet & gubernet.

§. 6. Quoniam autem à principiis absolutissimè stabilibus & immotis, quamvis sint multa & diversa; non possent in natura provenire operationes diversæ & temporales; quia semper agerent secundùm naturam & essentiam suam: hinc statuenda sunt principia variabilia & temporalia, ut possint esse causa variationis inferiorum. E. g. si sol & luna cum reliquis planetis & fixis non moverentur, quamvis sint corpora multa; tamen operationes & effectus tam varios non producerent eodem in loco, tempore & subjecto, quales semper fieri videmus: nec etiam esset ordo temporum, noctis atque diei, æstatis atque hyemis, multò minùs caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis, cum diversitatibus mixtorum hinc provenientium: prout nec generatio & corruptio, elementorum, inanimatorum, viventium & sentientium, quæ à motu, & diversâ à sole, reliquisque corporibus cœlestibus, distantiâ, oriuntur. Quamvis enim unum, quatenus tale, non generet nisi unum; quatenus tamen variatur & mutatur, producere potest operationes varias & diversas, unam hodie, alteram cras;

cras; unam juxta minorem, & alteram juxta majorem distantiam; unam intuendo, alteram occultando se, &c. Unde concludimus, quod ad producendam diversitatem operationum, præter multitudinem luminum & principiorum, necessaria sit & alia istorum natura, juxta quam interdum communicationem habeant, interdum illa careant: sive in totum, sive ex parte, ex attributo vel hoc, vel alio, vel pluribus; ad operationem hanc vel aliam, vel plures, vel omnes; tempore, loco, parte, modoque, vel hoc, vel alio. Quamvis enim uno modo fierent res multæ; in istis tamen nulla esset variatio & motus: quoniam ex una eademque re, quamvis sit multiplex, non fit nisi unum & idem: ita, ut procedi posset in infinitum, nisi perveniretur ad rem aliquam mobilem, vel gradum talem, qui, quamvis certo respectu manet id, quod est; tamen respectu mutabilitatis & variabilitatis dispositionis suæ est causa operationum diversarum, & inprimis omnium mutationum, & motus. Et hic gradus, ut mihi videtur, in mundo Spirituali & Divino est ille, qui vocatur Lux Oris Adami primi, & Sephiræ Akudicæ, per quas Lux originaria superna immittitur in os, & per os interdum intrat, interdum exit; nunc magis, nunc minus; interdum è, vel in gradu primo, secundo, tertio, &c. nunc toto, nunc ejus parte, cum diversitatibus pluribus aliis, de quibus R. Jizchak Lorja Tract. מטי ולא מטי Et hæc est causa variationis & motus, qui tribuitur personis emanativis; quæ propterea non tantum interdum gratiæ & benignitatis; interdum juris stricti & rigoris; interdum misericordiæ; interdum omnium horum simul, vel aliquorum ex his, influxum præbent; unitis Sephiris nunc tribus, nunc quatuor, quinque, sex, septem, nunc omnibus; ita, ut pro vario modo unionis earum, variæ etiam emergant operationes in inferioribus: sed etiam admittunt conceptus mysticos, statuum embryonis, nativitatis, Infan-

Infantiæ, suctionis, adolescentiæ, usus cerebrorum & copulæ.

§. 7. Non enim sufficit, quod lumina superna dicantur multa; quia propterea in natura non producerentur effectus temporales & varii: sed inter summa & ima requiruntur lumina quædam variantia, quæ vocantur vasa: eò, quod à supernis distinguantur, tanquam illorum receptaculum, & cisterna aquarum, quas è supernis accipiunt, & extra se ulteriùs emittunt; nunc omnibus, nunc multis, nunc aliquibus, nunc hoc, nunc illo modo, &c. ita, ut mutentur, prout mutatur motus in supernis, quem sic applicant inferioribus, motui absolutè subjectis. Nam è causis novis & variatis, oriuntur operationes novæ & variæ.

§. 8. Sic ergo ab unitate prima & simplici, immediatè emanat in hominem primum, numerus omnium rerum generalissimus: adeoque universitas omnium rerum, quarum ipse virtute Infiniti Causa est. Cujus rei exemplum sit numerus quinarius, qui in se continet primum parem, nempe 2. & primum imparem, nempe 3. adeoque perfectissimus est inter numeros compositos, tanquam omnium naturam continens, quorum omnes vel pares sunt, vel impares. Et hic quinarius etiam datur in Adam Kadmon, quoniam Tetragrammaton, quod in ipso est, in se est unum, & componitur è quatuor literis, quæ sunt quinque: quò pertinent quinque mundi; quinque lumina; quinque personæ; & distributio decem Sephirarum, quæ in se continent universitatem omnium rerum: nempe apex literæ Jod inter mundos, designat Æn-Sophicum; inter lumina, lucem cranii; inter personas, Senem Sanctum. Jod ipsum inter mundos, Aziluthicum; inter lumina, lucem oculorum, vel cerebri; & inter personas patrem. He primum, inter Mundos, Briathicum; inter lumina, lucem aurium; inter personas, matrem. Vav, inter mundos, Jezirathicum; inter lumina, lucem Nasi; inter

inter personas, Seir. He ultimum inter mundos, asiathicum; inter lumina, lucem oris; & inter personas, Uxorem vel Seir.

§. 9. Quod autem Adam Kadmon in se continet per modum quinarii, id gradus sequens continet per modum denarii; quatenus nempe quilibet è quinque illis gradibus dividitur in duos: quæ sunt lux ambiens, & lux interna implens. Et sic gradus tertius idem continet per vicenarium, si nempe decadi priori luminum addatur decas alia vasorum. Et sic gradus quartus per quadragenarium, quatenus nempe accedunt conceptus descensus à causa sua, & regressus ad illam. Et sic porrò. Et hoc modo influxus Infiniti immutabilis non tantùm multiplicatur, sed etiam quodammodo variatur & movetur in illis gradibus mutabilibus, & mobilibus intermediis; & sic producuntur inferiora, quæ sunt mutabilia & varia.

Cap. XIV.

Quomodo ex quinque vel sex mundis dictis componatur unum quid sub forma hominis, compositum è membris suis, potentiisque animæ & intellectus.

§. 1.

Mundus Æn-Sophicus, i.e. causatum primum & perfectum Causæ primæ infinitæ, est mens, vel intellectus omnium Mundorum: quod Platonici vocant mundum intellectualem, & intellectum primum, qui est locus Monadum & Idearum divinarum, quæ sunt exemplaria & causæ omnium rerum. In hoc homine primo unitas ejus summa, & intellectus ejus immobilis, videtur designari per lucem, prodeuntem è cranio; & ex hac unitate ortum habent omnes unitates omnium entium. Lux cerebri vel oculorum est essentia ejus, quæ continet, & progenerat omnes reliquas essentias.

Lux aurium est vita ejus, cum omni vitarum genere. Lux nasi est intellectus ejus, cum omnibus reliquis. Et lux oris est voluntas ejus, quatenus in se continet, & producit, atque movet omnes reliquas voluntates.

§. 2. Deinde, quinque personæ Aziluthicæ sunt quinque gradus animæ, h. m. Senex Sanctus & Longus, (qui in Sohar habentur pro uno, exceptâ coronâ unicâ.) sunt Jechidah hominis illius magni & unius, i. e. totius rerum universitatis. Pater est istius Chaijah, vel Neschamah Neschamæ. Mater, Neschamah. Seir Anpin, Spiritus ejus. Et uxor ejus, istius Nephesch, gradusque ultimus Animæ Adami primi. Atque sic tres mundi בִּיעִ sunt corpus istius hominis universalissimi. Et Briah quidem loco capitis est: hoc enim, quia continet sensus, tam internos, quàm externos, est pars corporis humani suprema & excellentissima, vas & habitaculum animæ rationalis, & hâc mediante intellectus; regitque & gubernat membra reliqua, eademque per media congrua ad finem, ultimamque perfectionem suam dirigit. Sed corpus reliquum, nempe pectus & venter, manus & pedes, correspondent Jeziræ, quæ composita est ex angelis, à quibus provenit motus, & vita omnium inferiorum: sed mundus Asiah correspondet fœderis membro & cruribus; nempe crus dextrum, firmamento; sinistrum, elementis; & membrum fœderis, homini.

§. 3. Breviter: Unum simplex produxit hominem magnum generalissimum, qui intra se continet quinque mundos, ceu partes suas. Et ex his mundus Æn-Sophicus est intellectus ejus, qui componitur 1. ex Adam Kadmon, cujus similitudo est Senex Sanctus: 2. ex luce Cranii, ceu Arich Anpin: 3. ex luce cerebri & oculorum, ceu patre: 4. ex luce aurium, ceu matre: 5. ex luce Nasi, ceu Seir Anpin: & 6. ex luce Oris, ceu uxoris. Deinde Homo hic universalis componitur ex anima, & apice literæ Jod, quæ est Kether, ejusque Jechidah

Jechidah: Secundò ex ipso corpore literæ Jod, quod est Chochmah & ejus Chaijah: Tertiò ex He primo & Binah, quæ est ejus Neschamah: Quartò ex Vav & Tiphereth, cum annexis, qui est Spiritus ejus. Quintò ex He ultimo, nempe Malchuth, quæ ipsi est Nephesch. Corpus autem referunt, capitis loco Briah; ubi quinque sensus externi correspondent quinque personis dictis, relatis ad Nephesch: & quatuor sensus interni correspondent quatuor literis Tetragrammati, & quatuor nominibus עֹב סֹג מֹח בֹן, item quatuor Mundis, & quatuor pedibus Throni gloriæ; item quatuor Turmis angelicis, cum quatuor animalibus, & quatuor rotis. Sed frons, duo oculi, duæ aures, duæ nares, cum duobus labiis & lingua correspondent decem Sephiris Briathicis: & sicut inter Sephiras dantur quinque benignitates, & quinque rigores; ita in capite duæ partes faciei, & in qualibet quinque partes: quia frons & lingua componi censentur ex utraque extremitate. Corpus autem & Brachia comparantur cum Jezirah, ita, ut duo brachia, duo Ubera & venter correspondeant quinque personis ejus, & quinque gradibus animæ: sed decem digiti manuum referant decem Sephiroth, & quinque Benignitates, & quinq; Rigores cum decem turmis Angelorum, (contentis in duobus Cherubinis, qui sunt instar duarum manuum, nempe Metatron & Sandalphon.) quæ sunt 1. Chaijoth. 2; Ophanim. 3. Arelim. 4. Chaschmalim. 5. Seraphim. 6. Malachim. 7. Elohim. 8. Bne-Elohim. 9. Cherubin. 10. Ischim. Et hac ratione, ventris loco erit æther Arabhoth, quod mihi videtur esse illud firmamentum, supra quod Jecheskieli apparuerunt animalia: Ubera verò erunt fontes illi, per quos demittitur influxus. Et tandem mundus cœlestis & elementaris comparatur duobus cruribus, & membro fœderis, ita, ut quinque membra, nempe duo crura, duæ manus & fœdus; sint quasi quinque personæ, & quinque gradus animæ, & quinque corpora, quæ in mundo sensibili, nempe quatuor elemen-

ta,& quinta essentia ætherea, & decem digiti pedum, referuntur ad decem Sephiroth mundi Asiah; decem circulos; decem cortices; & decem composita elementaria, ut sunt; inanimatum perfectum,& imperfectum, vegetabilia, pisces, aves, animalia terrestria, homines, Spiritus aquatici, aërei, & ignei.

§. 4. Et concludemus cum Plotino, quod 1. Adam Kadmon sit quasi Intellectus: 2. quinque ejus lumina, rationalitas, quæ est locus quinque habituum, ut sunt: Intelligentia, Ars, Prudentia, Sapientia & Scientia. 3. Aziluth, vis ratiocinandi in specie. 4. Briah, sensus interni & externi. 5. Jezirah, vegetativa: & Asiah quasi corpus hominis istius magni & universalis.

Cap. XV.

Ulteriùs proponuntur sex conceptus in Adam Kadmon.

§. 1.

Necesse est, ut Adam Kadmon, (& sic omnia causata reliqua,) reperiatur in Infinito, quamvis istius cum causatis nulla sit comparatio: Si enim non quodammodo reperiretur in illo, non posset esse id, quod est in natura sua. Et hic est conceptus primus causati primi, continentis omnia causata reliqua, nimirum, ipsa illa immensitas, quæ eminenter continet in se omnia entia.

§. 2. Secundus est, quòd Causa prima intelligat & velit causatum suum primum, & cum ipso uniatur, illudque producat, & progeneret: & juxta hunc conceptum Adam Kadmon prodiit, ex immensitate inæstimabili, & determinationem accepit per unionem influentis. Hic conceptus vocatur applicatio Infiniti ad Causatum suum.

§. 3. Conceptus tertius est, quòd Causa prima primo huic

huic homini præbeat entitatem, quâ subsistat extra causam suam, in ipsa natura sua determinata.

§. 4. Quartus, est conversio, & dispositio Causati, quâ revertitur ad Causam suam, ut sibi communicet Bonitatem essendi & perfectionem, sicut primò ipsi communicaverat entitatem solam. Si enim Causa primo statim essendi momento ipsum produxisset omnibus numeris absolutum, non converteretur ad illam, sed in se acquiesceret sibi relictum. Necessum ergò est, ut redeat ad Causam suam.

§. 5. Et quia nemo hoc causatum elevare posset supra se, adeoque non acciperet id, quod est, & quo tum caret, nisi virtute superioris cujusdam attolleretur & disponeretur, ut aptum fiat, ad suscipiendum, quod erat; dubium non est, quin Æn-Soph post gradum hunc quartum elevet hoc causatum suum, ipsumque disponat, (qui est conceptus quintus:) ad istam perfectionem, quam in illud immittere vult; & immittit.

§. 6. Hanc autem Adam Kadmon, ita conversus ad causam suam, & dispositus ad illam recipiendam, tandem accipit, conceptu sexto; ita, ut in se sit perfectus, & felix, unitus cum fonte suo, & illius virtute & proprietate repletus: quæ deinde producit & gubernat omnia.

§. 7. Et à sex istis conceptibus omnia prodierunt, quæ à causa prima, ipso mediante, producta sunt. Et fortè ex conceptu primo, prodiit Adam Kadmon: ex secundo, lumina mundi Æn-Sophici; ex tertio, Aziluth; ex quarto, Briah; ex quinto, Jezirah; ex sexto, Asiah.

§. 8. Eodem modo etiam ratione luminum superiorum, juxta illum conceptum, quod infinitum sublimius sit omnibus entibus, produxit lucem cranii: Juxta secundum, quod contineat omnia, lucem cerebri: juxta tertium, quod illud producat extra se, lux oculorum: juxta quartum, quod convertatur, & disponatur, lux aurium: juxta quintum,

 quod

quod perficiat illud, lux nasi: juxta sextum, quod adjuvet operationes ejus, ad producendum inferiora, lux oris.

§. 9. Idem procedit in personis, ita, ut ad primum gradum Senex Sanctus; ad secundum, Arich; ad tertium pater; ad quartum mater; ad quintum, Seir Anpin; ad sextum, uxor ejus referatur.

Cap. XVI.

Quod ex quinque potentiis vel gradibus, quæ concipiuntur in Adam Kadmon, provenerint quinque Mundi.

§. 1.

ADam Kadmon, quatenus concipitur ut unitas omnium unorum, quæ sunt quasi Coronæ, & centra omnium substantiarum spiritualium, produxit mundum Æn-Sophicum, in quo lucent lumina superna: quatenus concipitur ut objectum intellectuale primum, quod continet ideas omnium entium, produxit mundum, qui continet decem Sephiras, ceu numeros, mensuras, & pondera intellectualia & perfecta: Sed quatenus concipitur ut intellectus, creavit mundum Briah, qui continet intelligentias abstractas, à materia separatas: porrò, quatenus concipitur ut vita, formavit mundum Jezirah, & Angelos; qui sunt motores & animæ corporum præstantissimorum: quatenus autem concipitur ut substantia, quæ est gradus ultimus & imperfectissimus, fecit mundum Asiah, qui respectu cœterorum plane imperfectus est, & à superioribus perficitur.

§. 2. Præterea considerandum, quod sequitur. Ab uno primo immediatè productum est causatum primum, Adam Kadmon, juxta illum conceptum, quo Causa ipsa consideratur in se, ut per se subsistens, & supra omnia: sed quatenus refertur ad causata sua, & ad illa extenditur, illisque manifestatur,

festatur, produxit nomen Tetragrammaton, mundosque ad istud relatos, hoc modo: apex literæ Jod, & Mundus Æn-Sophicus, cum Adam Kadmon, & quinque luminibus, respectum habent ad Causam primam, quatenus elevata est super omnia: Gradu secundo, vel tertio, (quia Adam & lumina interdum pro uno habentur, interdum pro duobus;) Jod & mundus Aziluth respectum habent ad causam primam, quatenus consideratur, tanquam contineat omnia; sicut numerus literæ jod denarius continet omnes numeros; Porrò, quatenus causa prima consideratur ab Adam Kadmon, ut causa efficiens rerum omnium, iste gradu tertio vel quarto produxit He primum, & mundum Briah. Et quatenus illam consideravit ut formam conservantem & gubernantem omnia, produxit Vav & Jezirah. Tandem, quatenus ipsam consideravit ut finem, qui ad se trahat, & in se perficiat omnia entia, produxit He ultimum, & Asiah. Quod etiam applicari potest ad lumina superna: item ad personas, quæ nunc sex, nunc quinque numerantur.

§. 3. Porrò, Deus infinitus, qui est elevatus supra omnia, continet omnia; producitque; gubernat & perficit omnia; cum tribus causis, efficiente, formali & finali: & operatur omnia per lenitatem, Rigorem, vel misericordiam: unde generantur à Causa hac, quinque vel sex, quæ reperiuntur in ipso eminenter, & in mundo, luminibus & personis similiter: quia, quatenus in se continent summum, medium & imum; convertuntur ad causam suam, tanquam ad principium, à quo prodierunt; & tanquam ad medium, quod ipsa dirigit, & ad se reducit; & tanquam ad finem, qui ipsa perficit. Et quia composita sunt ex essentia, potentia & operatione; per se subsistunt, adscendunt ad causam suam; & inclinant ad operationes suas.

§. 4. Præterea, Senarius est numerus rotundus; prout & quinarius: quia, dum multiplicantur per se, redeunt in se.

Et

Et in specie, Senarius compositus est ex partibus sex: nempe 3. 2. & 1. vel 3. $\frac{1}{2}$. Et quinarius ex masculo primo, 3. & fœmina prima, 2. Senarius etiam constituit sex terminos corporis, qui sunt, summum, imum, dextrum, sinistrum, anterius & posterius. Et quinarius quinque corpora naturalia, nempe elementa, & quintam essentiam ætheris. Et hæc est causa, quod in Tetragrammato reperiantur He & Vav, qui sunt quinarius & senarius.

Cap. XVII.

Exponitur Psalmus ultimus: & quia non directè ad scopum nostrum, hoc caput omisimus.

Cap. XVIII.

Caput ultimum est anacephalæosis totius hujus Dissertationis.

§. 1.

ANtequam finiamus hanc Dissertationem, breviter repetemus ea, quæ in illa dicta sunt. Nempe 1. quod causæ primæ duplex extet operatio: nempe mundorum separatorum בִּלְעַ, & mundorum superiorum. Vel sic: gradus operationum, vel sunt tres inferiores, vel superiores, qui sunt Adam Kadmon, cujus formam habet Briah: lumina mundi Æn-Sohici, quorum similitudo est in Jezirah: & mundus Aziluth, cujus imago est Asiah. Primus & conformitas ejus, est quasi intellectus abstractus, sive mens: Secundus & similitudo ejus, est quasi anima: & tertius & imago ejus, quasi corpus, subjectum, & vas. Nempe, inter emanantia Adam Kadmon est lux simplex, per se absoluta & subsistens, & sic Briah inter creata. Lumina Mundi Æn-Sophici inter emanantia

nantia & divina sunt lumina unita cum substantia, vel subjecto, vaseque & receptaculo; & sic Angeli inter creata, qui junguntur & uniuntur cum corporibus. Tandem Mundus Aziluth in ordine emanantium est quasi vas & receptaculum, in quod lumina superna imprimuntur; & eandem naturam habet Asiah, respectu animarum intellectualium, earumque originis, qui est Thronus, intellectus nempe abstractus, aliique non ita abstracti & simplices, sed compositi è potentiis aliis, consistentes super corpora, & moventes atque gubernantes eadem. Et sic inter Divina & emanantia datur intellectus simplex, qui est Adam Kadmon: deinde animæ subsistentes, & illustrantes vasa divina, quæ sunt lumina Æn-Sophica: Et denique substantiæ & vasa, quæ illa suscipiunt intra se, & per illa illuminantur, quæ sunt Sephiræ emanativæ. Eodem modo inter creata dantur intelligentiæ, animæ, & corpora, distincta in tres mundos בִּרִיאָה.

§. 2. Secundo explicationis modo Æn-Soph dicitur esse supra omnem intellectum, & objecta intellectualia: Adam Kadmon autem objectum intelligibile quidem, sed tanquam sol, per se nimis sublimis & absconditus oculis omnium intelligentium: sed lumina Æn-Sophica sunt intelligibilia determinata, quædam tamen magis, quædam minus; prout magis vel minus abscedunt à facie Adam Kadmon, vel appropinquant imum versus, in quo faciunt vas & receptaculum, quod est Aziluth, & Sephiræ ejus, quæ fiunt intelligentiæ in actu, per influxum & irradiationem luminum Divinorum, tanquam objectorum suorum determinatorum; quibus mediantibus aliquantum percipiunt de Adam Kadmon, qui solus immediatè est intelligibile summum, elatum super omnes intellectus; & mediante hoc Adam Kadmon isti ascendunt, ut aliquantulum apprehendant de occultissimis Infiniti.

§. 3. Tertius explicandi modus est hic: Omnes perfectiones

ctiones mundi formalis & divini considerantur esse causaliter & eminenter: In Adam Kadmon formaliter, & perfectè: in luminibus communicativè, & quidem perfectè: & in Aziluth communicativè quidem, sed imperfectiùs.

§. 4. Quartus modus. Æn-Soph est immensitas incommunicata & incommunicabilis: Adam Kadmon, Communicatio prima, & perfecta, adeoque æqualis & perpetua: Lumina, communicatio secunda; sed non usque adeo perfecta: etsi perpetua, tamen inæqualis. Et sic intelligitur, quomodo Bonum absolutum benefaciat semper, atque extendatur.

§. 5. Quintus. Æn-Soph est unitas infinita & simplicissima, elevata supra omnia, velut eorum causa. Adam Kadmon est unitas essentiæ vel substantiæ primæ, quæ, cùm determinata sit quodammodo ad omnia entia, certo respectu & applicatione eadem produxisse dicitur. Lumina sunt intelligentiæ, à dicta unitate prima emanantes. Et primò quidem lumina cranii, cerebri & oculorum, sunt tres gradus intelligentiarum; nimirum summarum; mediarum; & infimarum: quæ à Proculo dicuntur, intelligibile essentiale; intelligibile essentiale, & vitale; & intellectus; & intellectus essentialis, vitalis, & intellectualis. Vel aliter: formantes; formatæ & formantes; & intelligentiæ formatæ tantùm. Vel, illuminantes; illuminatæ & illuminantes simul; & illuminatæ tantùm. Vel denique intelligibiles; intelligibiles & intelligentes simul; & intelligentes tantùm. Deinde lux Nasi est anima rationalis, communicationem habens à mente vel intellectu, & propterea consistens super corpus divinum. Et lux oris est imago animæ primæ, vitaque ejus, & anima, adhærens corpori, estque forma ejus; & per illud, tanquam instrumentum naturale, operatur operationes suas. Sed Aziluth est ipsum corpus, cujus cranium est Kether: Cerebrum, Chochmah: Cor, vel Lingua, Binah: duo brachia, Chesed

Chesed & Gebhurah: Duo crura, Nezach & Hod: Corpus, & fœdus, & corolla: Tiphereth, Jesod & Malchuth.

§. 6. Sextus. Post Æn-Soph sequitur intellectus primus & generalis Mundi Divini, qui est Adam Kadmon. Post illum, intellectus communicati & particulares, distincti in tres classes divinas; summam, mediam & imam. Has sequitur anima vel intellectus, qui in tempore intelligit & operatur: & quia stationem habet super corpore, in illud immittit gradum quintum, nempe naturam, vel animam secundam, quæ repleta est speciebus vel seminibus, & causa efficiens est, & formalis totius existentiæ corporis, & totius potentiæ, & operationis ejus. Et hæc est Aziluth, in qua Arich Anpin, ætheri; Pater, aquæ; Mater, Igni; Seir Anpin, Aëri; & uxor ejus, Terræ correspondent. Vocaturque corpus; quia est vas & receptaculum graduum animæ & mentis, supernorum, qui ob Æn-Soph, mediante Adam Kadmon, in dictum mundum Aziluth immittuntur, illumque vivificant & intellectualem faciunt; ut dicunt Platonici. Dicitur autem corpus & vas, respectu superiorum: cùm in se sit spiritualis & divinus, magnoque gradu ab inferioribus distans. Inter quos mundus Briah etiam est intellectus simplex, & spiritualis: Sicut & Jezirah: qui saltem distinguitur à Briah, eò, quòd nexum habeat cum corpore, superque illo consistat, & illud gubernet.

§. 7. Et hoc Caput, hancque Dissertationem concludemus loco quodam illustri Doctoris nostri R. Jizchak Lorja, qui dicit: Æn-Soph se habet tanquam Sol, qui in se invisibilis est, & incomprehensibilis, nisi extra ipsum, & in distans. Secundus ipsum videndi modus est per fenestram. Tertius: Si tantùm è longinquo, vel fenestra videatur; vel mediante vitro, aut velo. Quod simile ad infinitum & gradus subsequentes sic applicari potest: Infinitum comprehendi non potest, nisi quàm remotissimè, & mediantibus gradibus

dibus multis, ab illo productis, & longissimè descendentibus à perfectione, & simplicitate infinita. Et hæc distantia & amotio mihi videntur esse Adam Kadmon, & lumina Æn-Sophica. Post illa Kether vel Attika assequitur Infinitum, sine ostio quidem, vel fenestra, sed admodum remotè. Chochmah autem tantum quasi per januam, vel fenestram Coronæ, & non per nudam distantiam (mundum sc. Æn-Sophicum manifestatum,) causam suam assequitur. Binah eandem apprehendit per duas fenestras, quæ sunt Kether & Chochmah; quarũ proxima minor est. Et sic usq; ad Malchuth, quæ cognoscit infinitum, mediantibꝰ novem fenestris, quarum ultima ipsiq; proxima; nempe Jesod, est minima. Sed Mundus Briah, non tantum non in distans, nec tantùm non per fenestras; sed etiam mediante velo quodam, illum videt: perque hunc lux ejus iterum per fenestras multas, magnas & parvas, de gradu nimirum ejus summo, usque ad imum descendit; & è minimo istius foramine illum accipit Jezirah, cui duplex velum obtenditur, nimirum unum proprium, & alterum Mundi Briah: adeoque hic mundus lucem supernam, nunc magis nunc minùs percipit; prout per plures, vel pauciores fenestras illabitur. Deinde mundus Asiah eandem lucem per triplex vitrum vel velum accipit; quæ sunt, Briah, Jezirah, & Asiah.

§. 8. Summa hæc est: Necessum esse, ut plura dentur media, per quæ recipiatur lux superna, si suscipi debet ab inferioribus: Et hæc omnia propter imbecillitatem recipientium.

DISSER-

DISSERTATIO SEPTIMA.

CAP. I.

De Speciali significatione Nominis Tetragrammati.

§. 1.

QUia in Adam Kadmon statuimus existere nomen Tetragrammaton, de illo nunc quædam dicenda sunt. Nempe, Jod, prima ejus litera, concipitur ut punctum, quod non tantum est indivisum, sed & indivisibile: designatque unitatem, quæ, cùm aliena sit ab alteritate, etiam non tantùm indivisa est, sed & indivisibilis.

§. 2. He designat ens, quod est compositum ex essentia, & existentia; sicut He compositum est ex ה & י, vel, ex tribus Vavin, quibus designatur essentia, existentia, & ens. Vel: essentia, potentia, & actus; forma perfecta, materia perfecta, & compositum ex istis: & prout Plato dicit: compositum constare è fine & termino: & in supernis talia sunt: essentia, vitæ, & intellectus: & in mundo; intelligentiæ, animæ, & corpora: & in istis, cœlestia, elementa, & elementata.

§. 3. Vav denotat vitam, quæ est emanatio & motus essentiæ, quæ in seipsa manifestatur: estque medium uniendi, & connexionis, inter essentiam & intellectum.

§. 4. He ultimum est imago & similitudo intellectus, vel mentis, & ad instar illius triplex est; composita nempe ex potentia intellectuali, actu intelligendi, & fine, ceu objecto intelligibili; prout etiam se habet essentia, quam designat He primum; quia intelligibile, quod est essentia, non est di-

 versum

versum quid ab intellectu, quatenus est in actu, sed cum ipso unum est.

§. 5. Quaternitas autem istius nominis etiam designat unitatem, essentiam, bonitatem & veritatem, quæ sunt attributa generalia omnium. Item quatuor causas, finalem, efficientem, formalem, & materialem, vel instrumentalem.

§. 6. In hoc nomine etiam continentur omnes literæ, tam consonantes, quàm vocales. Tres enim literæ, Jod, He, Vav, sunt 21. addito autem ipso nomine, fiunt 22. quot sunt literæ. Vel, si totum nomen numeres, habebis 26. & cum toto 27. qui est numerus literarum cum duplicibus. Et sic in eo etiam continentur quinque vocales, ad quas puncta omnia referuntur.

§. 7. Et hinc patet, quomodo Tetragrammaton, quia continet omnes literas, non tantùm sit causa omnium nominum, & verborum, quæ sunt symbola omnium rerum: sed per illud etiam cognosci queant omnia, tam intelligibilia, quam sensibilia: adeoque symbolum sit illius Entis, quod omnia produxit & conservat, & ad operationes omnium concurrit.

Cap. II.

Proponuntur & specialia quædam alia de Tetragrammato.

§. 1.

JOd, quia simplex; est unum & primum quid, & simile uni, quod numeris; & puncto, quod corporibus omnibus prius est. Punctum autem, secundùm longitudinem motum, producit lineam, nempe Vav: & hæc in latitudinem mota, producit superficiem, & sic ex ו fit ד. (motus enim à dextra tendit sinistram versus, & omnis communicatio est à summo ad

ad imum.) Et hæc est expressio hujus literæ plena, hoc modo: ד״ו. Vav autem & Daleth sunt decem, sicut Jod eorum principium. Porrò, si Daleth fiat crassum, ipsique addatur profunditas, inde fit corpus, in quo omnes tres dimensiones, h. m. ה: quæ est nota profunditatis.

§. 2. Notum autem, quod ך sit symbolum fœminæ, quia in se habet notam descensus primi ab uno, cum omnibus numeris; estque principium omnis separationis: sicut & juxta significationem nominis, Daleth fœmina pauper est, & perfectione caret; & sicut janua aperitur, ut accipiat influxum supernum, & masculum. Et tum generatur causatum inferius, nempe He, desuper apertum rima quadam tenui; quia in summitate receptionem habet subtilem admodum: inferius autem habet aperturam latiorem, quia progenerat causatum crassius & imperfectius, quod, ut prodeat, opus habet portâ latiore.

§. 3. Deinde, unum correspondet puncto; duo, lineæ; quia hæc est extensio inter duo puncta. Tria, superficiei; quia figura prima est Triangulum inter tria puncta. Quatuor puncta constituunt corpus primum, quale est cubus. In quaternario autem continetur denarius, hoc modo: 1. 2. 3. 4. Et hoc modo Tetragrammaton in se quidem est unum; sed continet duo, nempe duo He: tria, nempe tres literas Jod, He, Vav: quatuor, nempe quatuor literas: quinque, cujus nota est He: sex, cujus nota est ו: Septem, in modo scribendi, qui vocatur כֵּן 52. cujus numerus minor est 7. Octo, quia numerus nominis est 26. & numero minore 8. Novem, in scriptionibus, עֵב 72. סֵב 63. מֵה 45. (& כֵּן; si enim Nun finale denotet 700. & Beth 2. numerus minor erit 9.) Decem, quia in dictis plenitudinibus occurrunt decem literæ. Adeoque Tetragrammaton omnes continet numeros. Et sicut in denario omnes continentur numeri; ita in quaternario omnia corpora; suntque duæ notæ perfectionis generalis,

ralis, per quas omnia mensurantur & numerantur: quæ sunt similitudines decem Sephirarum Mundi Æn-Sophici, qui causa est quatuor mundorum.

§. 4. Sicut autem Jod plenè scriptum, iterum producit denarium; ita sciendum est, quòd inter internum & externum nulla sit differentia; sed sit res eadem. Et hoc modo etiam jod, tanquam punctum, & tanquam denarius, est primum & ultimum; simplex, & forma una, & tamen continens omnes formas, sive universale simplex & perfectum, & generale primum, i. e. causa tam efficiens, quàm finalis rerum omnium.

CAP. III.

Quis sit locus Nominis Tetragrammati, & alia quædam de denario.

§. 1.

A Libi dictum est, quod locus Tetragrammati sit in canali, seu finali Æn-Sophico, tanquam anima omnium animarum: quod nihil aliud est, quàm applicatio illa, qua Æn-Soph intelligit, & desiderat omnia causata sua, & cum illis unitur. Si enim numerus duarum primarum Tetragrammati, id est, 15. in se ducatur, & sic etiam duæ posteriores, i. e. 11. orietur 346. qui est numerus רצון, bona voluntas; & addito quaternario Tetragrammatico 850. qui est numerus שכל intellectus.

§. 2. Secundus locus Tetragrammati in Adam Kadmon est, cùm plenè scribitur, unde proveniunt quatuor nomina עב סג מה בן, quæ sunt origines luminum Mundi Æn-Sophici & אציל.

§. 3. Tertius Tetragrammaton locandi modus est hic: ut apex יד Jod sit in luce cranii: Jod, in luce cerebri & oculorum: He, aurium: Vav, Nasi: & He ultimum, Oris.

§. 4. Quar-

§. 4. Quartus Tetragrammati locus est in Aziluth, & quinque ejus personis: Attik enim, ob sublimitatem suam, ad nullam literam refertur. Modo quinto Tetragrammaton locatur in qualibet Sephira omnium personarum. Sexto, in Briah, & in unaquaq; è quinque personis ejus, & in qualibet Sephira cujuslibet personæ. Et sic in Jezirah & Asiah, & personis eorum, numerisque, intelligentiis, animabus, corporibus; adeoque in omnibus rebus.

§. 5. Ad hoc Nomen Tetragrammaton etiam applicantur sequentes quaterniones. Nomen אהיה, quod alii ad Binah & ad Daath, alii ad Kether referunt; propriè autem pertinet ad Kether gradus Binah. Et nomen אדני, quod pertinet ad Malchuth. Item, אליץ. Item, Lenitas, Rigor, Misericordia, &, quod ista continet. Et מלאה. Et quatuor lumina: directum, reflexum, vestigium & scintilla. Et quatuor pedes throni, ad quos referuntur patres. Et quatuor genera populi Sancti, Sacerdos, Levita, Israelita, & proselytus. Et quatuor animalia, Leo, bos, Aquila, homo, & uniuscujusq; quatuor facies. Et uniuscujusq; alæ. Et quatuor principes Angelorum, Michaël, Gabriel, Uriel vel Nuriel, & Raphael. Et post istos quatuor exercitus Angelici, ad dextram, sinistram, ante & retro locati. Et quatuor vigiliæ noctis. 4. turmæ corticum. Et 4. species ignium spiritualium: albus; ruber; flavus, & niger. Et 4. fluvii Eden. 4. Cardines mundi. 4. puncta Sphæræ cœlestis. 4. Elementa. 4. Venti. 4. Qualitates. Et 4. temperamenta. 4. anni quadrantes. Et 4. passiones; cupiditas, timor, gaudium & tristitia: vel, amor, odium, delectatio & dolor. 4. Virtutes; prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo, residentes in quatuor potentiis animæ, intellectu, voluntate, concupiscibili, & irrascibili. 4. Virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas, vel benignitas, timor humanus & divinus. 4. quibus constat homo; corpus, potentia vegetativa, potentia vitalis, & anima rationalis. 4. formæ generum in mundo intellectuali. Et 4. specierum, analogæ illis, e.g. justus, fortis, benignus, pulcher.

Et 4. principia entium supernorum, juxta Proculum & Syrianũ, unitas, æternitas, terminus, & quod ex tribus his componitur. Et sic entia summa etiam sunt 4: intelligibile primum; ens intelligibile; intellectu præditum; vita intellectus; & intellectus vitalis. 4. etiam sunt omnium rerum summa genera, unum simplex; intelligentiæ separatæ; animæ; & corpora. Vel, juxta Patritium, incorporea; corporea; incorporea incorporata; corporea incorporata, i. e. intelligentiæ; animæ; naturæ, & corpora. 4. species providentiæ: dare omnia omnibus; dare omnibus, sed non omnia; dare omnia, sed non omnibus; & dare quibusdam, sed non omnibus. 4. Species animarum: intellectuales; divinæ, semper sequentes Deum; sequentes aliquando, sed in puritate; & quæ his modis carent. Sic in cœlo quatuor: corpus, quod movetur; anima, quæ illud movet; intelligentia, propter quam illud movet; & motus vel actus, ab his omnibus procedens. Item quatuor causæ: finalis; efficiens; formalis; & materialis. Sic in omni ente, juxta Philosophos, reperiuntur 4: essentia; existentia; proprietas; & actus. Item: unum; bonum; verum; & essentia. Et in homine, secundùm Ijobum; cutis; caro; ossa; venæ. Item 4. quadraturæ lunæ. 4. fluxus & refluxus maris viginti quatuor horis. 4. gradus spirituum immundorum, quos vidit Elias & Jecheskiel. 4. supplicia synedrii. 4. Regna. 4. metalla: argentum; aurum; cuprum & ferrum. 4. paria sepulta in urbe quaternionis. 4. vexilla. 4. anni præputii. 4. vestes sacerdotis communis. 4. vestes aureæ sacerdotis magni. 4. species fasciculi scenopegitici. 4. annuli altaris: mensæ; arcæ. Et sic omnis Philosophia divina continetur doctrina de essentia; unitate; veritate; bonitate. Item, essentiâ; existentia; potentia; & actu. Et naturalis de materia; privatione; forma; & composito. Item, substantia; qualitate; quantitate; & motu. 4. species mutationum: generatio & corruptio, respectu substantiæ; alteratio, respectu qualitatis;

augmentatio & diminutio, respectu quantitatis; ascensus, descensus, & motus in circulum, ratione motus. Et sic quatuor Elementa, & quatuor elementata: inanimatum; vegetabile; brutum; & homo. Et in Geometria: punctum; superficies; linea; corpus. Et omnis perfectio intellectus consistit in potentia intelligendi; Scopo, vel objecto; actu intelligendi; & elocutione actuali rei intellectæ. Quaternarius enim est numerus perfectus, quia continet formam omnium numerorum, quod est unum; materiam omnium numerorum, quæ sunt duo; compositum ex utroque, quæ sunt tria; & operationem, quæ sunt quatuor. Item, quia continet primum parem, nempe 2. & primum imparem, 3. & totum denarium 1. 2. 3. 4. Estque numerus justitiæ, quia est quadratus, adeoque æqualis, & stabilis, semperque rectus & immutabilis, etiamsi moveatur, vel cadat: unde per illum jurârunt Pythagorei, tanquam per principium totius naturæ, &c.

Cap. IV.

De Sephiris in genere.

§. 1.

QUia fundamentum & objectum Doctrinæ Cabbalisticæ sunt Sephiræ; nunc dicendum est de istarum proprietatibus, & attributis. Nempe, media illa, de quibus diximus, quæ repræsentant causam primam, in se occultam planè, sunt Sephiræ; quæ ab illa immediatè emanarunt, & illius virtute produxerunt, & gubernant omnia reliqua.

§. 2. Istæ Sephiræ sunt productæ ab uno primo simplici, manifestantes bonitatem ejus infinitam: specula veritatis ejus, & analogia essentiæ ejus celsissimæ: Ideæ Sapientiæ ejus, & repræsentationes voluntatis ejus: receptaculum potentiæ ejus, instrumentum operationis ejus: gazophylacia

 felici-

felicitatis ejus, distributrices benignitatis ejus: Judices regni ejus, qui in lucem producunt jus ejus: & tandem denominationes, attributa, & nomina illius, qui summus est omnium, & omnium causa: decem nomina indelebilia: decem attributa augustissimæ Majestatis ejus: decem digiti manuum ejus, quinque dextri, & quinque sinistri: decem lumina, quibus ipsum eradiat; & decem vestes, quibus amicitur: decem visiones, quibus apparet: decem formæ, quibus omnia formavit: decem sanctuaria, in quibus glorificatur: decem gradus prophetiæ, quibus manifestatur: decem cathedræ, in quibus informat: decem throni, in quibus judicat populos: decem species Paradisi, vel thalami, pro iis, qui ipsis digni sunt: decem gradus, quibus descendit, & quibus ad istum ascenditur: decem campi, producentes omnem affluentiam & benedictionem: decem fines, desiderati ab omnibus; sed quos assequuntur tantùm justi: decem lumina, illuminantia intelligentias: decem species ignis, exurentes omnes concupiscentias: decem species gloriæ, beatificantes omnes animas intellectuales, & mentes abstractas: decem dicta, quibus creatus est mundus: decem spiritus, quibus iste movetur & vivificatur: decem verba, & decem numeri, mensuræ, & pondera, quibus omnia numerantur, ponderantur & mensurantur: decem lapides lydii, quibus probatur omnium rerum perfectio; prout nempe quid magis vel minùs ad illas accedit, vel ab illis abscedit: decem prædicamenta, quibus continentur omnia: genera generalissima, quæ in sinu suo comprehendunt omnia, & extra se edunt: providentiæ, extensæ ab uno extremo ad alterum, & curâ sua omnia dirigentes ad commodum & emolumentum suum: causæ secundæ, per quas prima omnia operatur, conservat & gubernat: radii divinitatis ejus, per quos omnia illustrantur & manifestantur: formæ & ideæ, & species, per quas omnia producuntur: animæ & potentiæ, per quas omnibus datur essentia,

tia, vita & motus: ordo temporum, quo omnia dimensurantur: loca incorporea, quæ intra se comprehendunt omnia: monades supernæ, ad quas reducuntur omnia multa, & per illas ad unum simplex: & denique perfectiones formales, quæ, cùm dependeant à perfectione una eminente, interminabili, causæ sunt omnium perfectionum dependentium: quæque illuminant intelligentias simplices, & à materia separatas, & animas intellectuales, & corpora cœlestia, elementaria, & elementata.

CAP. V. VI. VII.

§. 1.

CAP. V. agitur de Nomine Sephirah: nempe quod derivetur à rad. ספר numeravit, ut Gen. 41, 49. *cessavit numerari*: ubi de Numero agitur prolixè.

§. 2. Juxta Platonicos enim, sicut Infinitum est ante ens primum, quod necessariò est multiplex & compositum; ita Numerus, qui est in ente hoc primo, est ante omnia entia reliqua, quæ sunt ideæ divinæ, exemplaria, & causæ omnium entium. Et supra numerum hunc, qui consistit in entibus numeratis vel numerabilibus, necesse est, dari Numerum, qui per se subsistit absolutissimè, & qui causa est, quod ens primum distribuatur in entia, id est, species & ideas: ita, ut per numerum illum, qui est essentialis enti primo, eveniat, ut ens hoc non subsistat gradu quodam certo; sed ab illo uno descendant multa distributa in genera & species, distinctas qualitatibus, & numero.

§. 3. Revera enim hæc est natura entis primi, ut, cùm sit post unum simplex, necessariò sit numerabile & multum: quod si autem numerus esset entibus posterior, & non prior; differentia, quæ semper inter illa datur, esset accidentalis;

 non

non tantùm entibus, & ideis secundis, sed & primo: cum tamen ex multitudinibus ejus, & non per accidens, generetur numerus, & multitudo specifica reliquorum entium; tradente Ficino, qui videatur ipse.

§. 4. Cap. VI. agitur de nomine הדר Pulchritudo, & quod David Psalm. 104, 1. appellet Sephiras emanatas nomine הדר decus, pulchritudo; quodque, secundùm alios Sephirah derivetur à nomine ספיר, quod, quasi mutato ס in ש, juxta Ijob 26, 13. habet significationem pulchritudinis. Ubi de Pulchritudine in genere agit, secundùm Platonicos: deque Pulchro primo prolixè.

§. 5. Capite VII. agitur de nomine מדות mensuræ; ubi prolixè agitur de mensuris quantitatis continuæ, & discretæ, & proprietatum; ut auri, purioris vel impurioris; item colorum; quorum mensura, albedo, &c. Quodque sic Causa prima sit mensura omnium rerum. Et hanc naturam mensuræ proprietatis, & perfectionis, & graduum, attribuit Sephiris. Cùm enim, quod primum est in unoquoque genere, sit mensura reliquorum illius generis; & Sephiræ sint talia prima, prout e.g. Sapientia, in genere Sapientiarum, & sapientum: Intelligentia, in genere intelligentiarum, & intelligentium, &c. eædemque, juxta requisita mensuræ, sint stabiles, & invariatæ; nec non causæ efficientes & formales omnium rerum; hinc istas meritò earundem mensuras dici, concludit.

Cap. VIII.

Explicatio specialior, quare Sephiræ dicantur numeri, mensuræ, & pulchra.

§. 1.

SEphiræ ergo dicuntur numeri, respectu Infiniti. Sicut enim ab uno numerali proveniunt omnes numeri; ita illæ emanarunt ab uno primo infinito. Deinde etiam dicuntur numeri, respectu inferiorum; quia ab illis componuntur, determinantur, & ordinantur omnia, quæcunque creata sunt, mensurâ, pondere, & numero; & illæ omnia regunt, perficiunt, & beatificant. Porrò etiam numeri sunt respectu sui ipsius: sicut enim Unitas essentialis est infinito, ita multitudo & numerus est Sephiris & causis secundis. Hæ sunt numeri, quia priores sunt omnibus entibus; & ista disponunt, quoad naturam eorum interiorem: & dividunt, quoad naturam eorum externam. Numeri sunt: quia, cùm descendunt ab uno simplici, sunt tam in totum, quam ex parte multiplices, & numerabiles. Numeri: quia comprehendunt intra se multitudinem formarum, quæ, propter res multas & diversas, sunt multæ & diversæ. Numeri: quia in qualibet Sephira continentur omnes decem, & in singulis istius decadis, decas alia, & sic in infinitum. Numeri: quia quælibet Sephirah inseparabiliter unita est cum reliquis novem, & cum principio infinito. Numeri: quia continent essentiam & vas; lucem ambientem & externum vasis; lucemque internam & vasis internum. Numeri: quia continent quatuor Mundos אצילות, sub notione & conceptu Systematis Aziluthici. Numeri: quia Kether continet 620. columnas lucis; Chochmah 32. semitas; Binah 50. portas; Chesed 72. pontes; &c. Et tandem numeri: quia sunt compositæ ex essentia & subsistentia; naturâ & supposito; Substantia & accidente; ex essentia, potentia & actu; intellectu & voluntate; speciebus diversis, & operationibus variis: Suntque intelligibiles & intelligentes; dependentes à causis suis, subsistentes per se, & extensæ ad inferiora: & istorum causa aliquando ascendunt ad superiora, & accipiunt omnes lucem & potentiam novam, quam derivent in inferiora. Jamque nihil dicam de personis, quæ compositæ sunt ex mare & fœmina, influente & recipiente; ex quibus Sephiræ חכמה & בינה sunt compositæ

positæ. Nec dicam de proprietatibus Chesed & Din, Lenitatis & Rigoris, per quas variè distinguuntur: de diversis ipsarum copulis; Conjunctionibus; Separationibus; Divisionibus: nec de mysterio extremitatum, quæ illis tribuuntur: ut sunt, summum, imum; anterius; posterius, dextrum & sinistrum: nec de mysterio generationis ipsarum, & adolescentiæ earum, deque diversitatibus aliis. Prout etiam non tangam Sephiras Mundi Æn-Sophici, cum Mundis innumeris contentis in nominibus, literis, Alphabeto, cum 231. portis, vel combinationibns ejus: nec foramina capitis, cerebri, oculorum, aurium, Nasi, & oris; quibus adscribitur mysterium lapsus & redintegrationis: item, quòd una superinvestiat alteram; & omnes, hominem primum, unâ parte manente nuda, & superna. Sufficit enim, quòd sciamus, istam Aziluth, tam multiplicem & numerosam, esse imaginem & similitudinem Infiniti; non æqualem ipsi, sed ut numerum ab uno divisam: quòd tamen illi se communicat toti, & omnibus ejus partibus; ita, ut numerus ille causam suam primam quasi enarret, & demonstret creaturis, quod in illa occultum est. Prout etiam in ipso exsculpta & conscripta est, tanquam in libro, voluntas divina; quæ est causa, quod in libro Jezirah fiat mentio istius similitudinis; quam etiam Cabbalistarum princeps, in loco Ps. 19, 1. exprimi vult, ita ut Chochmah sit liber patris; Binah, liber matris; & adhuc tertius, liber Daath; qui sint tres illi libri, per quos conditus sit Mundus; mundusque judicetur initio anni.

§. 2. Eodem modo Sephiræ dicuntur pulchritudines; quia nimirum illæ sunt eradiatio ad extra, sed una, & extensa certo ordine numerorum, personarum, proprietatum & formarum: quæ est pulchritudo admirabilis, venerabilis, & desiderabilis; promanans ex immensitate interna & occulta, unius simplicis & boni perfecti, quod splendore suo magno, intelligibili tamen, manifestat mentibus: & ita benignitate sua

sua insigni corda ad se trahit, ut se mediante, convertantur ad scaturiginem suam incomprehensibilem. Non enim tantùm media sunt Sephiræ, per quæ causa prima omnibus rebus applicatur, & manifestatur; sed & gradus scalares, per quos omnia ascendunt, & illam assequuntur. Imò Sephiræ sunt quasi vestis, quò vestitur Deus benedictus, juxta Ps. 104, 1. & in illa apparet creaturis suis.

§. 3. Tandem etiam mensuræ dicuntur Sephiræ, respectu Infiniti: quia potentiam ejus super omnia elevatam, & ad omnia extensam, determinant, & quasi dimetiuntur, atque limitant, & dirigunt ad operationem hanc vel illam; tanquam instrumenta, quæ inserviunt agenti primo; & causæ secundæ, subordinatæ causæ primæ. Deinde etiam dicuntur mensuræ, respectu inferiorum: quia determinatione sua limitant, & formatione sua dimetiuntur, privationem materiæ potentialem, inque illam infundunt formas, determinatas ad hanc vel illam operationem, genus, speciem vel subjectum: ut nihil dicam de locis determinatis, & temporibus destinatis, item proprietatibus, attributis, potentiis, quantitatibus, qualitatibus, mixturis & ideis specialibus. Idemque præstant erga potentialitatem & informitatem animarum intellectualium: item, intelligentiarum abstractarum, quas efformant ex idea in actum primum, & perficiunt actu secundo, & ad esse, & operari proprium deducunt.

Cap. IX. X. XI.

§. 1.

CApite Nono prolixè exponitur, quare Sephiræ dicantur vestimenta Infiniti; quia, sicut vestis proximè adjacet corpori; ita Sephiræ sunt Infinito, ejusque lucem proximius recipiunt, & eminentiùs, quàm cætera causata: &, sicut vestes

ſunt extra corpus, & naturæ alterius, ita Sephiroth non ſunt ipſum Infinitum, ſed principiata ejus, quamvis ab ipſo inſeparabilia. Item, ſicut veſtes ſunt accidentia corporis, ita Sephiræ non ſunt cauſata neceſſaria, ſed arbitraria; ita, ut non ſit impoſſibile, Infinitum exiſtere poſſe ſine Sephiris, & ſimilia plura.

§. 2. Capite Decimo exponitur, quâ ratione appellatio lucis tribuatur Sephiris; nimirum, eminenter, quoad omnia lucis naturalis attributa & propria.

§. 3. Capite Undecimo: quare Sephiræ vocentur Spiritus, voces, & verba Infiniti; nimirum allegoricè; quia, cùm Deus infinitus manifeſtare voluit aliquid ſui, produxit Arich Anpin, vel Coronam ſummam, quæ vocatur רצון, bona voluntas. Cumque applicaretur intellectus ejus ad intelligibile, produxit patrem, vel ſapientiam: ſed deinde prodiit quaſi Spiritus & halitus internus, & produxit matrem, quæ vocatur Spiritus: cujus impulſu naſcitur vox, Symbolum Seir Anpin: ex quo deinde fit nomen vel verbum, i. e. Uxor ejus.

Cap. XII.

Decem proponuntur modi, quibus per Sephiras manifeſtetur Numen infinitum.

§. 1.

MUndus Aziluth, in quo lucent decem Sephiroth, quando conſideratur cum reſpectu ad Æn-Soph, nomen habet Coronæ; quia hæc ab illo accipit omnem eſſentiam, potentiam, & operationem. Quatenus autem deinde intelligit & concludit, vocatur Sapientia; ſed quatenus reſpectum habet ad inferiora, & ad iſta ſe exporrigit, vocatur Intelligentia: quæ illis ſeſe applicat per excellentiam proprietatis & naturæ ſuæ; & hæc eſt gratia & benignitas. Sed quando juxta diſpoſitionem recipientium determinatur & limitatur; qui

qui eſt quidam deſcendendi modus, eſt Gebhurah, jus ſtrictum. Porrò, quatenus conjungitur activum cum paſſivo, Cheſed cum Gebhurah, vel actus cum potentia, vocatur Tiphereth. Et quatenus benignitas omnibus influxum largitur, (quia eſſentiale eſt benignitati affluere omnibus, tam juſtis, quàm injuſtis; quamvis non largiri omnia, ſed ſuam tantùm proprietatem, nempe gratiam;) vocatur Nezach, ſuperatio. Quando autem quibusdam dat aliquam partem debitam; videlicet præmium & pœnam inferioribus, quæ ſunt compoſita è duobus contrariis, ut quæ habent liberum arbitrium, vocatur Hod, gloria. Sed Jeſod appellatur, quatenus dat omnia omnibus. Et tandem Regnum eſt compages omnium perfectionum emanantium, & in qua omnes concurrunt, & conſiſtunt.

§. 2. Secundò. Kether eſt ſymbolum cauſæ finalis Æn-Soph: Chochmah, formalis: Binah, efficientis. Et quia Cauſalitas Infiniti nihil eſt aliud, quàm emanatio Influxus bonitatis, veritatis, & juſtitiæ ejus; iſte autem per bonitatem ejus, extenditur & exporrigitur; per veritatem manifeſtatur, & publicatur; per juſtitiam autem, nempe diſtributivam, datur & conſervatur omnibus & ſingulis portio ipſorum debita & ſtatuta. Hinc Cheſed denotat emiſſionem & applicationem maximæ bonitatis ejus: Gebhurah, juſtitiam & judicium: Tiphereth, manifeſtationem veritatis; & propterea vocatur Lex ſcripta. Hæc omnia autem influunt triplici gradu, nimirum in ſumma, media, & ima: gradus influendi in Summa denotatur per Nezach, quæ ſic dicitur, quòd ſuperet, & quod vincat omnem privationem & defectum; & quòd cum ipſa uniatur perennitas & ſempiternitas: Hod autem denotat gradus infimorum, quæ ſeſe convertunt erga ſuperiora, & repræſentant privationem & egeſtatem ſuam; ſimulque perfectionem, excellentiam & potentiam Superiorum. Nam inferiora ſunt quaſi fœminæ defectuoſæ, & deſiderant

siderant superiora; &,quod dicit Aristoteles,à forma pulchra redduntur. Sed Jesod denotat naturam mediorum; quia jungit & unit superna, perfecta & agentia, cum inferioribus egentibus & passivis; estque præponderator inter Nezach & Hod, utriusque communicationem habens, & illa uniens. Deinde autem Malchuth est collectio & receptaculum omniũ perfectionum dictarum, recipitque à Jesod & à supernis, largiturque essentiam & perfectionem omnibus creatis, quorum regimen habet.

§. 3. Tertiò. Dei Voluntas,quòd velit manifestari & innotescere, est Kether; Consultatio de modo, quomodo id in actum deducat, & decretum ejus intellectuale, est Chochmah; ipsa deductio in actum, est Binah; nempe Elohim, qui in principio creavit cœlum & terram,in hunc finem, ut possit communicare bonitatem suam, quod est Chesed: id quod fieri debet,debitâ dispositione mediorum, certa quadam serie inter ipsum, & inter universum ordinatorum, ad principium & finem generalem, quæ est ipsa causa prima, est Gebhura: per quam manifestat veritatem & pulchritudinem suam insignem; quod est Tiphereth. Quod autem actu creavit Mundum Briah,designat gradum Nezach: & mundum inferiorem Asiah; gradum Hod: & mundum intermedium Jezirah,est Jesod. Malchuth autem continet omnia.

§. 4. Quartò. Sephiræ repræsentant Infinitum, tanquam causam omnium entium, eorumque essentiæ, potentiæ & operationis; hoc est Kether: Vita & veritas ab ipso intellecta; est Chochmah: Intellectus,est Binah: gratia & benignitas,est Gedulah; potentia, est Gebhurah: Pulchritudo & Misericordia, est Tiphereth: Superatio victoriosa, est Nezach: Gloria, est Hod; Justitia, est Jesod: Regnum, est Malchuth. Ita, ut quamvis ille Infinitus elevatus sit super omnes perfectiones istas,eminentia quadam infinitâ omnes tamen contineat modo perfecto, absoluto, simplici & occulto, ita,ut ipse

ipse sit vita, intellectus, veritas, benignitas, rigor & victoria &c. earum unica; & omnia attributa & perfectiones ejus,quæ sunt Sephiræ istæ; sint inseparabiles ab ipsa ejus essentia, & à se invicem, ita,ut omnes sint in una, & una in omnibus: idque sine omni mutatione,multiplicatione, & compositione; quoniam in ipso causaliter & eminenter sunt hæ perfectiones omnes, ipse easdem produxit in esse proprium, uniturque cum illis, & per illas, cum omnibus creatis &c. perque illas manifestatur intelligentiis creatis, humanis & angelicis.

§. 5. Quintò. Kether est similitudo DEI Infiniti, quatenus sublimior est omni ente,& cum nullo aliquid commune habet. Chochmah designat ipsam Sapientiam, quatenus nempe Infinitus in se continet, tanquam objectum intelligibile, omnia entia. Sed quatenus sese exserit ad inferiora, & ipso actu causaliter producit omnia creata, repræsentatur in Binah. Et quia Causa in divinis triplex est; hinc finalis est in Chesed, tanquam Bonum ab omnibus desideratum: efficiens in Gebhurah, qui est gradus Elohim,à quo omnia ordinantur & distribuuntur, numero,mensurâ & pondere: formalis & ultima est in Tiphereth, quæ est Lex Scripta. Quæ autem per tria hæc attributa producit Deus, designantur per quatuor Sephiras sequentes; nimirum Aziluth, per Nezach, quæ spectat ad misericordiam: Briah, per Hod, quæ est ad sinistram, respectu Aziluth: In specie autem, quia in illa sedem figit Binah; à qua juris origo. Et sicut Nezach & Hod sunt duo fratres,uno loco commorantes: sic Mundus Briah non separatur ab Aziluth; sed hæc sedem suam habet super ista,& per eam protenditur ad omnia inferiora: & in ea sunt naturæ incorporeæ, & intellectuales,quæ per celebrationem & laudem convertuntur ad Aziluth. Deinde per Jesod,Jezirah; quia in ista residet Tiphereth: & per Jezirah, Briah unitur cum Asiah; sicut Tiphereth & Malchuth, per Jesod; &

 sicut

sicut anima rationalis conjungit unitque intellectum abstractum & simplicem, cum corpore materiali. Adde, quod Jezirah sit fundamentum Mundi Asiah, quoniam istum conficit, vivificat, & immediatè movet. Malchuth autem est Mundus Asiah, in quo ipsa quoque sedem figit; & ambæ sunt ultimæ & passivæ.

§. 6. Mediantibus Sephiris intelligitur, quod Causa prima sit à se ipsa, (h. e. Kether,) vivens in secula seculorum; (Chochmah,) perfectissimè intelligens omnia; (Binah,) quodque illa ex mera bonitate, non indigens ullo alio, nec assumpto auxilio ullo, (Chesed,) & per excellentiam potentiæ suæ infinitæ (Gebhurah,) statuerit, sese exserere modo isto, & ad entia hæc; (Tiphereth,) dando actum & formam (Nezach,) potentialitati & materiæ etiam ab ipsa provenienti (Hod,) in hunc finem, ut inde fiat compositum, vel ens perfectum (Jesod,) & ex illo opus (Malchuth,) per quod convertatur ad principium suum, qui etiam est finis ejus; in quo invenire potest beatitudinem suam.

§. 7. Septimò. Sephiræ testantur, quod Æn-Soph, causa eorum, sit ens: vivum: intelligens: volens: potens: decernens: dans essentiam: insistens operationi: conservans & continuans: & perficiens omnia entia.

§. 8. Octavò. Ostendunt, quòd Deus infinitus sit ens: intelligens: providens: benignitate: judicio: & misericordia: continuans: nemine interrumpente: universitatem omnium rerum: super quas habet plenum dominium.

§. 9. Nonò. Sephiræ testantur, quod Æn-Soph sit elevatus super omnia: contineat omnia: producat omnia: bonitate: potentiâ: & scientiâ: conservetque omnia, quæ creavit: ipsisque det potentiam operandi: concurrat ad operationem eorum: & his mediis perficiat omnia.

§. 10. Decimò. Mediantibus Sephiris manifestatur, 1. quod Æn-Soph 2. sit infinitus, celsitudine & perfectione: 3. æternus, principio & fine carens: 4. immensus, & existens in omnibus locis, omnibusque operibus, tam possibilibus, quam realibus: 5. elevatus super omnia extra se posita, quæ vel sunt, vel esse possunt: 6. continens omnia, & illa producens: 7. conservans & augmentans illa: 8. & illa perficiens: 9. & hæc omnia in hunc finem, ut exserat bonitatem suam insignem, & benefaciat omnibus causatis suis: 10. ut in illis manifestetur, & omnium ore laudetur, condecoretur & exaltetur.

DISSERTATIO OCTAVA.

CAP. I. II. III. IV. V.

§. 1.

CApite Primo exponitur: unumquodque de quinque luminibus mundi Æn-Sophici componi è decem Sephiris duplicibus; nempe, partim ambientibus & externis, partim circundatis & internis: & quomodo ex luce ultima, nempe oris, fiant vasa.

§. 2. Capite Secundo dicitur; ex eo, quòd non fracta sint vasa summa, factum esse, ut lux Coronæ remaneret foràs, quasi separata: in vas Coronæ autem ingressa sit Sapientia; & Binah in vas Sapientiæ: atque sic porrò, usque ad lucem Malchuth, quæ ingressa sit in vas gradus Jesod; unde vas illius remanserit sine luce.

§. 3. Capite Tertio: quomodo ex oculis Adam Kadmon facta sint vasa superna.

§. 4. Capite Quarto: quomodo differant Sephiræ Nekudim, cum vasis, à Sephiris Akudim: & quæ sint utrarumque proprietates.

§. 5. Capite Quintò: quomodo influxerint lumina in decem Sephiras Nekudicas; & quomodo Septem inferiores non

non potuerint recipere eadem, faciemque suam averterint ab iis, in quo consistat mysterium lapsus & mortis.

CAP. VI.

Quinque proponuntur rationes, quare Emanationis autor admiserit confractionem & lapsum; & quid inde emolumenti.

§. 1.

NE putes autem, hanc confractionem & lapsum factum esse per accidens: quia deliberato animo, sapientique consilio illam instituit Deus, in majorem manifestationem gloriæ & majestatis suæ; prout evincitur quinque rationibus. Primò enim per lapsum hunc jacta sunt fundamenta mundorum producendorum: ut nempe causæ ipsorum proximæ acciperent facultatem illos producendi, ordine & modo debito, qui primò requirit privationem. Nam sicut ab infinito, ob nimiam sublimitatem ejus, non poterat provenire mundus Æn-Sophicus & Aziluthicus; nisi mediante restrictione illa, quæ quasi retraxit se ipsum, seque disposuit, & quasi commensuravit iisdem: sic à Sephiris emanatione productis, quæ ob nimiam sublimitatem suam à creatis planè sunt separatæ, non potuerunt produci mundi בִּרְיָה; Intelligentiæ Separatæ, animæ rationales & corpora, nisi mediante hoc lapsu & descensu per quem Septem Sephiræ structuræ dispositæ sunt, ad progenerationem trium mundorum sequentium. Hæc dispositio autem non facta est, nisi auxilio superiore: Cùm enim ab isto semper dependeant, tam quoad essentiam, quàm quoad potentiam & operationem; de novo etiam acceperunt, per certam quandam dispositionem præparativam, potentiam & lucem debitam, ad perfectionem mundorum dictorum. Quamvis enim lapsus ille esset principium ipsorum essendi, in potentia; actum tamen existendi & perfectionem non accepe-

ceperunt, nisi ex dicta restitutione, & constitutione causarum suarum proximarum.

§. 2. Secunda ratio est: quia lapsus iste erat causa, ut in mundo infimo existerent Spiritus maligni, corticesque, & Spiritus impuritatis; per quos Deus tentare volebat homines, sui sectatores, in majorem istorum puritatem & justitiam: & punire peccatores.

§. 3. Ratio tertia: quia per lapsum hunc, in locum mundorum producendorum, ab illis dispergebantur per istum scintillæ quædam; quod erat principium dispositionis eorum: ut possent recipere causata futura: quas scintillas, ita delapsas à luce superna, justi operibus suis bonis restituunt, seligunt & expurgant ab obfuscatione hac infima, in quam delapsæ sunt, desertæ à vasis suis supernis; ut illas reducant, & rursus elevent, debitâ quadam dispositione; quæ vocatur aquarum fœmininarum nomine, ad Schechinam, regnumque Sanctum, quæ his ipsis exornatur, & deinde unitur cum marito suo, & ambo cum patre & matre; & isti cum superioribus, usque ad Adam Kadmon, & Æn-Soph; adeoque extrahunt lucem novam, quæ ingreditur omnia dicta media, lucetque & perficit omnia ad imum usque. Quod fuit mysterium Sacrificiorum.

§. 4. Quartò: quia quamvis Malchuth etiam esset in mysterio עקד Akudim, unita cum corona summa; tamen etiam fuit in gradu decem Sephirarum Nekudicarum, illoq; in loco, ubi nunc est Senex Sanctus: & quia ibi jam fuit, quamvis jam delapsa sit in locum, ubi nunc est, nunc tamen facultatem habet illuc iterum ascendendi, auxiliantibus operibus justorum; qui legis præceptorumque studio illam restituunt, & elevant ad locum coronæ summæ & Senis Sancti, ubi prius fuerat, ut ibi sit corona mariti sui.

§. 5. Quintò: quia per lapsum hunc placuit Infinito ostendere nobis, quod in manu ejus sit plus dare, quàm causata

 ejus

ejus possint supportare; quodque propter istorum imbecillitatem non immanare fecerit in ipsa plus luminis magisque perfectum: quo ipso per confractionem illam conspicitur magnitudo eminentiæ ejus, potentiæque & proprietatis longè majoris, quàm causata & naturæ possint recipere.

§. 6. Summa hæc est: quod Septem Sephiræ inferiores propter imbecillitatem suam non potuerint sufferre lucem summam, & intelligibile illud, quod ipsis affluxit è supernis; adeoque nec assequi vel intelligere per illud diviniora & sublimiora; sicut intellectus inferior non potest assequi objecta sublimia: unde quasi averterunt faciem, eam occultando, ne aspicerent lucem illam, qua obducerentur caligine, & excæcarentur. Unde prolapsæ sunt in lucem propriam sibi: quâ, cùm non esset tam subtilis & vibrans, sed ipsis magis congrua, intellexerunt intra se ipsas, se ipsas: & deinde per se ipsas, tanquam causæ, mundum creativum; quem etiam præparaverunt per istam contemplationem, ut esset locus, principiumque & fundamentum illius essentiæ vel substantiæ, quam deinceps illuc immiserunt. Non tantùm autem delapsæ sunt à contemplatione supernorum tam sublimi, & relictæ sunt quasi mortuæ: sed etiam descenderunt ad contemplationem mundorum inferiorum Jezirah & Asiah, minus perfectorum; eoque ipso præparaverunt illis locum & modum, quo deinceps habere deberent essentiam illam, quam ipsis infusuræ essent, quæ non in perfectione; sed ita ut non darent illis, nisi esse in potentia, sine forma & imagine; sed ut vacuum quid, & inane, utque tenebræ essent super faciem abyssi, i. e. potentialitatis formandæ, quæ deinceps deducta est in actum, vi & proprietate Spiritus Dei, qui ferebatur super faciem aquarum; i. e. mediante luce, & restitutione, quam assecutæ sunt Septem Sephiræ, lapsæ; ita, ut quasi de novo producerentur, augerentur, illustrarentur, formarentur, & perficerentur per lumina superna, quæ in illas de novo

novo influxerunt, & illas distinxerunt, & conformarunt in personas Sephirothicas, adæquatas, & facie ad faciem coordinatas, ad instar maris & fœminæ influentis & recipientis.

§. 7. Et hæc omnia illustrari possunt ex Platonismo: Verum enim est, quod illis traditum fuit; quòd anima nostra rationalis amiserit alas suas, & delabendo è supernis descenderit ad ima; ab objecto intelligibili summo, & intellectu generalissimo, ad proprium & essentialem sibi; & ab illo, ad rationalitatem; & ab hac, ad plasticam; & tandem ad sensus corporeos, & potentiam vegetativam, quo ipso immergitur in vallem umbræ mortis, nempe corpus hoc corruptibile.

Cap. VII. VIII.

§. 1.

Capite Septimo explicatur: quomodo Sephiræ delapsæ redintegratæ sint, per modum bilancis tripartitæ, facie conversa ad faciem, ad instar maris & fœminæ: & quomodo facta sit persona Senis Sancti.

§. 2. Capite Octavo: quomodo factæ sint personæ Arich Anpin; patris; matris; Seir Anpin; & Uxoris ejus: è quibus & Sene Sancto, componitur Systema Aziluthicum.

Cap. IX.

Quid sit natura vasis; radii; & lucis ambientis; & interna: & quomodo facta sint vasa, supra dicta.

§. 1.

Ut rectiùs intelligatur, quod dictum est de luminibus, vasis lapsis, & restitutione; hic præmittimus, quod in Divinitate

tate nihil sit materiale, nec quicquam corporeum: & quicquid inibi dicitur modo loquendi materiali & corporeo, allegoricum sit, & figuratum, nec aliter, quam per extrinsecam denominationem: prout & in scriptura multa reperiuntur Dei attributa, quæ non nisi corporibus competunt; ut sunt, oculi, aures, os, manus, pedes, gaudium, Dolor, &c. Et quia in rebus intellectualibus superius nihil assequimur, quàm quod ibi sit intellectus, & objectum intelligibile; hinc Deo non possumus tribuere sublimius quid, quàm per modum intelligentis & intellecti.

§. 2. Vas ergo in Divinis, i. e. in entibus duorum mundorum supremorum, Æn-Sophico & Aziluthico, nihil est aliud; quàm essentia quædam intelligens, sive potentia intelligendi, quæ in se recipit objectum aliquod intelligibile, quod excitat actum aliquem intelligendi.

§. 3. Lux autem est objectum intelligibile, vel veritas, percipienda ab intellectu: quæ, cùm percipitur, intellectum illuminat, & adimplet, & potentiam ejus intelligendi deducit in actum.

§. 4. Jam lux interna est objectum unitum, & proximum, & ipso actu præsens intellectui, & ab illo receptum, & perfectè comprehensum, atque intellectum.

§. 5. Lux ambiens autem est objectum, sublimius intellectu, & isti saltem propositum, eumque tantùm ab extra illuminans; prout se habet sol erga colores.

§. 6. ניצוץ Radius, est objectum intelligibile, internum, essentiale, & unitum cum intellectu; ita, ut quamvis ille decidat à perfectione sua, & privatus sit operationibus intellectualibus; non tamen obliviscatur & deperdat ideas, vel intellectiones primas, per se, naturâ suâ manifestas, & tam clarè ipsi notas, ut oblivioni tradi nequeant. Adeoque hæc est lux objectiva, quam intellectus perdidit lapsu suo; restitutus autem, iterum percipit virtute superiorum. Vel, radius est

est objectum imperfectius, & debile, quod intellectus in se se impeditus, & quandoque dispersus extra se dimittit.

§. 7. Sciendum autem, quod lux vel objectum, illuminans & formans intellectum, duplici modo se habeat: primò, tanquam impressio objectorum summorum; & similitudo specierum, vel idearum generatarum in intellectu, vel ab illo productarum; ut ab eo concipiantur: (estque quasi conceptus formalis.) Secundò, tanquam ens ipsum, & natura supernorum, quæ unitur cum intellectu; ut per illam, quatenus sit species & idea, intelligat objectum, tanquam finem & scopum manifestatum à se ipso perfectè, & non nudâ ideâ ipso carente & inferiore: (estque quasi conceptus objectivus.) Fieri enim non potest, ut à Non-ente possit fieri manifestatio objectorum summorum clarior, quàm ab illis ipsis per se: sicut etiam per medium aliquod ipsis inferius non manifestantur vel innotescunt.

§. 8. Et quod diximus de Intellectu & objecto ejus; etiam applicari potest ad Voluntatem & Bonum; ubi hoc est Lucis instar & perfectio; illa verò quasi Vas ejus & receptaculum, quod illâ privatum est, eamque desiderat; cumque illam accipit, ab ipsa repletur, & ab ea redditur beatum. Idem dici potest de Vase, collato cum Efficiente principali, à quo illud accipit hanc ipsam operationem, qua perficitur. Nec non de Essentia, vel natura, respectu existentiæ: item de materia & formâ: &, uno verbo, de omni potentiâ, & actu; è quibus quodammodo composita sunt omnia causata Infiniti.

§. 9. Jam, si per intellectum separatur forma vel actus à composito, vel ente formato vel actuato; relinquitur potentia, dum privata est formâ vel actu, multò aptior ad recipiendum formam vel actum, quem jam habuit, & iterum habere apta est, & habitura; quia rursus unietur cum re tali,

 quæ

quæ ante ab ipsâ separata fuit; ita, ut cum totum esset quasi forma, vel formatum, jam quidem sit informe, sed formabile.

§. 10. Et hoc est mysterium illius divisionis, quam fecit os spirituale supernum resorbitione & emissione anhelitus sui; quasi nempe exhalatio gravior & crassior separata fuerit à leviore & subtiliore; & una remanserit infra; altera autem ascenderit sursum. Ubi ita tamen separata fuit inferior & gravior, à superiore & leviore; ut idonea maneret eandem rursus accipere, & potentiam retineret, illam de novo consequendi. Et hoc ipsum est, quod vocamus vas & receptaculum.

§. 11. Confectio autem vasorum, per allegoriam visionis, h. m. intelligenda est. Egressio radiorum visivorum ex oculo, eorumque directio ad objectum visibile, id denotat; quod ab essentia superiorum prodeat actus secundus; qui, respectu originis suæ & actus primi, se habet ut forma ad materiam; & ut perficiens ad perfectum. Nam actus semper est finis internus, desideratus ab essentia & à creatore: qui non contentus est dedisse essentiam, sed etiam efficit, ut actuetur, & hoc modo perficiatur. Cùm ergo essentia pervenit ad actuationem suam, & actum secundum, tanquam ad perfectionem suam & formam; hinc se habet ad instar materiæ & potentiæ; formabilis & perficibilis, per illum actum secundum. Sed radii visivi, dum recurrunt cum speciebus visibilibus ad instrumentum visus, quod est oculus; hoc ipso testantur, quod in isto sit potentia, aptitudo, & quasi vas, quod illos recipiat & perficiat ab idealitate sua. Visio enim fit, cum oculus accipit species visibiles, & ab iis perficitur, & visus sese exserit, & agnoscit objecta visibilia. Unde, sicut egressio radiorum præsupponit subjectum aliquod, à quo emittuntur, & cujus ipsi sunt perfectio, & actus secundus: ita, quando illi redeunt cum speciebus ad instrumentum visus;

sus; ex eo patet, quod istud se habeat, tanquam potentia, illorum respectu: & quia ab illis formatur & patitur, ab iis etiam perficitur; ita, ut consequatur actum videndi, ab ipso desideratum. Ex quo etiam apparet, quomodo per visionem oriatur natura vasis & receptaculi specificati.

§. 12. Notum autem est, quod os inter emanantia sit Malchuth, quæ vocatur sapientia inferior: visio oculorum autem referatur ad Jod, & Sapientiam superiorem: quæ ambæ sunt causa vasis: una, dum compositum privatur formâ & operatione suâ; ita, ut quod relinquitur, sit quasi materia & ens potentiale: altera autem, dum per intellectum forma & actus separatur à materia & potentia; quamvis idem intellectus omnia restituere possit loco suo. Eodem fere modo, ut in contractione: ubi quod magis spirituale & simplex, adeoque quasi forma & actus est, recolligitur ad intimiora; & quod magis materiale, crassumque & potentiale est, relinquitur ut vas quoddam. Sicut, cum quis intellectum ordinarium in actu positum conciperet ut abstractum, non tantùm ab habitibus sapientiæ, sed & à speciebus intellectualibus, & operationibus mentalibus: Intellectus tantùm remanebit potentialis, qui, cum privatus ponatur omni objecto; in potentia tamen est, ut habeat omnia; adeoque quasi locus Sapientiæ, quamvis notione planè subtili, & quasi tabula rasa, in qua nihil est scriptum.

§. 13. Observandum autem: quod, quamdiu duo lumina, prodeuntia è duobus oculis, non uniuntur; eodemque modo duo lumina aurium, & narium; quamvis unum concipiatur esse ambiens, & alterum internum; exinde tamen non fiat vas quoddam: quoniam tantùm ex eo fit vas, quando unum cum altero unitur. Omnis enim unio fit inter perficiens & perfectum, materiam & formam, actum & potentiam: prout apparet in omnibus compositis, tam acciden-

cidentalibus, quàm substantialibus: ubi pars una habet respectum potentiæ ad alteram, tanquam ad formam & actum suum, sicut apparet in vegetativa hominis: quæ, quamvis in se sit forma & actus; tamen quasi potentia & materia est, respectu sensitivæ: eodemque modò hæc, respectu rationalis: quod non sit in formis disparatis: ubi, quamvis una sit perfectior alterâ; tamen propterea non est forma vel actus alterius. Ex quo patet ratio, quare ex ore, in quo non sunt duo anhelitus separati, sed unus compositus ex interno & ambiente, facta sint vasa: non verò ex luminibus & eradiationibus oculorum, aurium & nasi, disseparatis: Quod autem ex oculorum visione facta sint vasa, ex eo est, quod cum descenderent radii, ad aures, nasum & os, ista lumina in se includerent; & cum redirent ad originem suam, ab iis abstraherentur species vel ideæ; ita ut remanerent, tanquam vas vacuum, & potentia sine actu.

Cap. X.

Quòd hæc omnia non sint intelligenda materialiter.

§. 1.

OMissâ objectione, hoc capite proposita, quod nempe ex eo, quod in Divinis his quandoque utamur voce corporis & materiæ, tum sequatur, rem ipsam esse corpoream: id saltem dicimus, quod Æn-Soph omni intellectu & intelligibili sit superior. Unde Adam Kadmon erit intelligibile primum, sed sibi soli; quia ob nimiam sublimitatem, omni etiam intellectu mundi Divini, superior est. Quinque autem lumina ejus sunt objecta determinatiora, sed secundùm magis & minus, prout remotiora vel viciniora statuuntur origini, vel inferioribus: ita, ut tandem in iis repe-

reperiatur, natura vasis, quod quidem privatum est illis, sed aptum tamen, illa recipere & intelligere. Et per hæc objecta determinata aliquatenus intelligi potest objectum sublimius, nempe Adam Kadmon; & hoc mediante, ipsa causa prima.

Cap. XI.

Quomodo intelligendæ sint sex differentiæ locales; vel extremitates quantitativæ in Sephiris.

§. 1.

AB omnibus Cabbalistis Sephiris tribuuntur sex istæ differentiæ, quæ sunt, supra, infra, ante, retrò, dextrum & sinistrum, quæ reducuntur ad tres, ut sunt longitudo, sub qua superius & inferius; latitudo, sub qua dextrum & sinistrum; & profunditas, sub qua anterius & posterius.

§. 2. Jam verò & Aristoteles docuit, quòd tres sint facultates, quas anima sensitiva tribuit corpori, quibus tres differentiæ corporis inserviunt: una nempe nutritiva, & augmentativa: secunda sensitiva; & tertia, motus localis: ita, ut illa pars corporis, quæ assumit alimenta ad nutriendum & augmentandum corpus, vocetur altitudo, vel pars superna, estque caput: cui opponuntur pedes, tanquam imperfectius quid, qui dicuntur esse infra. Deinde pars illa, ubi locus est sensuum, eorumque organorum, vocatur anterior; ejus autem opposita, sensibus carens, vocatur posterior. Et sic dextrum ipsi est id, ubi est vis locomotivæ, & à quo, tanquam robustiore, incipit motus: ex cujus oppositione intelligitur sinistrum.

§. 3. In Sephiris ergò singulis superius id dicetur, quo mediante, illæ à causa sua accipiunt essentiam & perfectionem. Inferius est ultimum illud, ad quod pervenit influ-

entia hæc. Anterius est actus Causati secundus, nempe existentia, & operatio ejus. Sicut posterius, potentialitas ejus, & essentia vel natura, & actus primus, & potentia operandi. Dextrum est, quando causatis suis largiuntur influxum rei bonæ & perfectionis, & benignitatis. Sinistrum autem eadem operatio, sed cum privatione, qua redarguunt puniuntque. Et hæc est explicatio prima.

§. 4. Secundò. Superius est id, in quo Sephiræ similes sunt & adhærent causæ suæ, à quâ immediatè accipiunt influxum. Inferius, in quo conveniunt cum causatis ad horum productionem & gubernationem. Anterius, actus & existentia eorum. Posterius, essentia & natura cum potentia existendi, vel actus primus. Sinistrum, potentia activa seu ad operandum. Dextrum, operatio & opus ipsum in actu benefaciendi.

§. 5. Tertiò. Superius est Actus. Inferius, potentia. Dextrum, objectum, infusum intellectui, qui aliàs eo esset privatus, & sinistri loco. Anterius, inclinatio ad inferiora, ut ipsis prospiciatur, & illuminentur, & bonitate impleantur. Posterius, id, quo ab inferioribus amoventur.

§. 6. Quartò. Superius, est essentia. Inferius Vita. Dextrum, Intellectus. Sinistrum, voluntas, ab intellectu mota. Anterius, inclinatio ad causata, qua ista producuntur & perficiuntur. Posterius, aversio à creaturis, unde privatio, mors & malum.

§. 7. Quintò. Longitudo à summo ad imum denotat essentiam emanantium, quæ composita est ex analogia cum causa eorum, quod est summum; & ex ipsa eorum natura; & ex eo, quod descendunt à scaturigine, & ab illa recedunt, quod est imum. Vel: communicatio causæ, mediante naturâ ejus, exhibita causato. Latitudo denotat potentiam activam,

activam, quæ includit agens & influens, quod est benignum & dextrum; & patiens & recipiens; quod est rigorosum & sinistrum. Profunditas vel crassitas est conversio ad inferiora, per quam ista formantur, & influxum boni accipiunt: & elongatio, per quam ab illis amovetur lux & concursus. Vel anterius est opus misericordiæ, bonitatis, & præmium: posterius actus iræ, rigoris & pœnæ.

§. 8. Sextò. Superius est id, quod emanantia intelligunt de causa sua, per causam suam. Inferius, quod intelligunt de se ipsis, per causam suam. Anterius, quod intelligunt de se ipsis, per se ipsa. Posterius, quod intelligunt per se ipsa, de operationibus suis. Dextrum, quo influunt ad operationes suas, secundùm perfectionem & potentiam suam. Sinistrum est descensus & defectus, qui reperitur in operationibus eorum, propter inferioritatem naturæ earum.

CAP. XII.

§. 1.

QUòd eminenter & negativè etiam in Infinito sex istæ differentiæ locales, vel extrema quantitativa reperiantur.

CAP. XIII.

Quomodo anima intelligens descendat in corpus materiale; item, quomodo vasa delapsa iterum ascenderint, & restituta sint.

§. 1.

CApite Sexto diximus; quomodo vasa delapsa & mortua sint. Hic autem subjungemus, quid de anima statuant Platonici, quæ paucis mutatis optimè quadrabunt ad propositum nostrum. Nempe, anima cùm oriunda sit ab intel-

lectu, facultatem habet intelligendi intelligibilia superna: quamvis etiam in se habeat illas potentias, quibus uniri possit corpori, illique infundere vitam, sensum & motum. Et quia duæ hæ operationes non tantùm prodesse possunt ipsi animæ, sed ipsi etiam mundo; quoniam in ambabus consistit actus & perfectio, tam animæ, quàm mundi: hinc meritò ambæ fuerunt in actum deducendæ. Sed quia anima intelligens est ultima intelligentiarum, adeoque potentia & vigor ejus admodum est debilis: gubernatio autem corporum terrenorum non minùs difficilis: hinc congruum non fuit, ut tempore uno duæ operationes tam diversæ deducerentur in actum; sed potiùs, ut id diversis contingeret temporibus. Primò ergo occupata fuit contemplatione supra dictâ, quamvis intentione non adeo magna; deinde cessavit, & non continuavit hanc intellectionem, & tandem planè illam deseruit & intermisit. In quantum ergo remissior facta est operatio superna, in tantum corroborata est inferior, ita, ut cùm cessaret contemplari intellectu simplici, contemplaretur ratiocinando: & cessante etiam rationalitate, inciperet plastica, quâ mediante respiceret corpus sibi futurum, quod formare & vivificare deberet, infundendo ipsi sensus internos & externos, motumque localem, & vegetationem; adeoque privabatur alis intellectus & voluntatis divinæ, terramque versùs citato cursu delata est in corpus terrenum. Et quia ibi privata est operationibus suis præstantioribus & nobilioribus, hinc inibi dicitur mortua esse. Sciendum autem, animam non descendere vel ascendere mutatione locorum & spatiorum, sicut pluvia motu locali delabitur: sed inclinatio ejus ad corpus, & influxus ejus in illud, quo illud vivificat, est descensus: ascensus autem tum dicitur, cum non inclinatur ad illud, nec illud vivificat; sed plastica convertitur in rationalitatem, & rationalitas in intellectum; tunc dici potest, quod anima ascenderit in mundum intellectualem & divinum: sicut, cùm rationalitas ab intellectu avertitur, & inclinat ad plasticam, & hæc ad congruitatem suam vitalem, tunc anima dicitur descendere in mundum corporeum & sensibilem, & illuc immergi.

§. 2. Et hæc non tantùm est Sententia Platonicorum, sed & verum juxta Cabbalistas; prout & R. Schimeon Ben Jochai edocet, dum inquit: quod Lilith, quæ est concupiscentia, vel ejusdem præfectus, persuadendo seduxerit animam rationalem, donec illam excluderet è paradiso superno, qui est intellectus divinus: & quia hoc ipso amiserit facultates suas supernas, & operationes suas intellectuales, hanc ipsam fuisse causam, ut descenderet in mundum hunc infimum Asiah. Et hoc ipsum etiam docet Rambam, & Don Jehudah Abrabanael.

§. 3. Ut autem revertamur ad vasa delapsa; hoc dicitur: quòd è decem Sephiris organicis, quæ vocantur Sephiræ Nekudicæ, septem inferiores confractæ sint, delapsæque & mortuæ: idque ex eo, quod essent intelligentiæ humiliores & ultimæ, adeoque propinquæ Mundis בִּיעִ; quamvis sua naturâ ab istis longè diversæ: Unde non potuerint supportare, prout superiores & robustiores, objecta intellectualia superna sublimiora, aptitudine sua intellectuali; unde quasi excœcatæ à luce nimia, suæque debilitati minus congrua, oppressæque influxu nimio, iisdem obverterint terga & conversæ sint ad operationem diminutiorem, prout dictum est de anima: nimirum, vasa hæc deserta ab objectis supernis conversa sunt ad inferiora, magis sibi analoga, & descenderunt ab uno ad aliud. Et quia vas, quod ferre non potest id, quod recepit, dicitur confractum; & corpus vivum, sublatâ vitalitate & animâ, vocatur mortuum; prout etiam vocatur id, quod ab uno mundo transit in alium, præsertim

sertim humiliorem, obscurum, angustumque, ad instar sepulchri & tartari: & qui privatus est potentia & operatione, nec producit operationes suas naturales; vel, cui submoventur media ad operandum requisita, vocatur mortuus; hinc non immeritò vasa hæc vocantur confracta & mortua, & descendisse ad naturas inferiores tenebrosas & angustas, nempe גוף.

§.4. Deinde autem respectu lapsus hujus ab intellectione sublimi, descensusque ad operationem, inclinantem ad inferius, illud ipsum, quod vasa hæc restituta sint in perfectionem illam, quam perdiderant, & quasi de novo producta; vocatur illorum generatio: ut enim lapsus & amissio lucis mortis nomine; ita ascensus & receptio lucis, vitæ nomine vocatur, quæ non nisi per generationem acquiritur. Reditus ergo ad perfectionem deperditam; quæ in eo consistit, ut reciperent, & supportare possent lumina superna, vel lumina objectorum intelligibilium, meritò quædam quasi regeneratio est, & receptio animæ atque vitæ. Et quia per lapsum & mortem triplex passa erant detrimentum: quorum primum est, quod ipsa objecta eorum vel formæ, vel species eorum ideales & intelligibiles obscuratæ sint, & repletæ privatione & umbrâ mortis: Secundum, quòd crassior facta sit & debilitata in ipsis potentia intelligendi, & quasi obbrutuerit, & facta sit stupida: & tertium, quod separationem passa, & admodum remissa fuerit unio illa & cohæsio, quæ fuerat inter objecta ipsa, & potentiam intelligendi; sine qua intellectio non potest esse in actu. Ut itaque reciperent perfectionem desideratam, necesse erat, ut species eorum & formæ intelligibiles illustrarentur, moverent & formarent, & illuminarent, impulsu quodam vehementi, potentiam intelligendi. Deinde hæc ipsa etiam erat corroboranda & perficienda, ut purior fieret & subtilior, ut clariùs & expressiùs

pressiùs reciperet lumina intelligibilia. Ante omnia autem necessaria erat unio & conjunctio specierum intellectualium cum intellectu potentiali: quod nisi fieret, nec iste intelligeret; nec illæ intelligerentur: e.g. non tantùm necesse est, ut lux sit fulgentissima, & aër pellucidus; sed etiam, ut lux per aërem extendatur & uniatur cum ipso intimè, lumenque illi infundat, si ipse lucere debet. Et quia nihil perfectum fit à se ipso tantum, lapsumque non resurgit, nisi relevetur; hinc necesse est, ut virtute superiorum vasa hæc lapsa recipiant perfectionem. Adeoque tres illæ perfectiones, quibus erant destituta, ipsis redditæ sunt à tribus illis personis perfectis, vel decadibus Sephirothicis non lapsis, quæ sunt Arich Anpin; Pater supernus; & mater superna. Idque hoc modo: Arich Anpin, qui est corona Aziluthica, omnium Sephirarum & personarum prima, immittebat in vasa hæc fracta, & unitate carentia, unitatem; idque per Daath, quæ continet quinque benignitates, & quinque rigores. Quæ benignitates correspondent objectis intelligibilibus; rigores verò potentiis intelligendi; & Daath utrorumque unioni. Et sic ab Arich Anpin, per Daath, proveniebat redunitio vasorum cum luminibus suis: à patre autem, formæ ipsorum intelligibiles recipiebant lumen; sed à matre restaurabatur potentia intelligendi, ut posset illud recipere.

§.5. Summa huc redit: quod Arich Anpin, qui eminenter in se continet duo illa contraria, benignitatem & judicium; exaltaverit & coadunaverit species vel formas intelligibiles cum intellectu vasorum lapsorum; ut iterum deducerentur in actum, & consequerentur per unionem hanc perfectionem illam, quam ut finem desiderabant. Hæc autem unitio fiebat per Daath, quæ dependet ab Arich Anpin, secundùm lineam rectam; estque unio Sapientiæ & Intelligentiæ, neq; non benignitatum, cum rigoribus. Sed pater

pater dabat facultatem objectis obfuscatis & debilibus, ut possent movere & formare intellectum: sicut ignis illuminat & apparere facit literas in charta scriptas succo ceparum, vel malorum citreorum, quæ sine illo erant invisibiles: sic enim per influxum & lumen ideæ supernæ & sigilli efficacis, quod tribuitur patri, iterum formabantur & perficiebantur, manifestæque fiebant intellectui impressiones objectorum, hactenus occultatorum & obfuscatorum. Per fulgorem & potentiam matris verò etiam subtilius fiebat imum illud tenebrosum & caliginosum: cumque acciperet potentiam novam, corroborabatur & disponebatur, ut percipere & assequi posset objecta illa, quæ antea ipsi erant occulta, & disproportionata. Et hoc est mysterium conceptionis, & generationis, & partus matris supernæ: item nativitatis ✓ Seir Anpin & uxoris ejus, qui tanquam liberi progeniti sunt dicto modo intellectuali.

Cap. XIV.

Quæ dicta hactenus, ulteriùs explicantur: additurque, quomodo ab objecto intelligibili & intellectu proveniat intellectio actualis: & quid sit illud, quod superius dicatur illuminare inferius.

§. 1.

Receptum est penes omnes Philosophos, quod intellectio in actu posita, admodum similis sit generationi viventium, & operationi agentium naturalium. Sicut enim agens omnia agit virtute formæ illius, quam actu habet: ita intellectus per objectum intelligibile; quod non tantùm ab extra illum movet; sed etiam ab intra illum actuat & conformat ad intellectionem, nunc hanc magis, nunc illam.

§. 2. Et

§. 2. Et sicut à patre & matre, numero distinctis, producitur filius: sic ab objecto intellectuali & potentia intelligendi, quamvis sint diversa, provenit intellectio, vel intellectus in actu perfecto.

§. 3. Sicut autem pater non immediatè generat filium, sed mediante semine, conjecto in uterum matris: sic objectum intelligibile; quamvis non semper uniatur, vel uniri possit cum intellectu, (sicut & pater:) id præstat per ideam intellectualem; quam R. Jizchak Lorja vocat lucem internam, dependentem à luce ambiente, quæ ingreditur in vas, vel intellectum.

§. 4. Potentia igitur intelligendi, ceu mater, per formam intellectualem, ut semen, intelligit & generat intellectionem intellectualem & internam, tanquam filium; auxilio Patris, cujus loco est objectum intelligibile, quod vel immediatè, vel mediante idea est causa fundamentalis cognitionis vel intellectionis.

§. 5. Ex quibus omnibus perspicuum est, quod non tantùm in mundo Emanativo locum habeant nomina Patris & matris, tanquam causa prima & secunda ad generationem causati cujusdam inferioris, quod quasi filius est: sed etiam ad intellectionem omnium & singulorum requiratur objectum intelligibile, loco patris; potentia intelligendi, loco matris; ubi deinde ipsa intellectio & cognitio vocatur filius.

§. 6. Quod autem diximus: ab Arich Anpin, Patre & Matre illuminatas esse Septem Sephiras lapsas, id ulteriùs explicabitur, si dicemus, quid sit illuminatio in supernis, & quomodo fiat. Hæc autem nihil est aliud, nisi quòd intellectus unus notificet & manifestet alteri hoc vel illud objectum, vel cognitionem veritatis alicujus, quæ antea ipsi ignota erat. Hoc autem intellectus superior inferiori præstat, vel duobus modis sequentibus, vel uno ex illis. Primus

mus est: si confortat & adauget in illo potentiam intelligendi: Secundus: si ipsi determinat, & methodicè proponit objectum intelligibile. Sicut enim corpus inferius corroboratur accessu & unione superioris: ita per unitionem intellectus robustioris & superioris cum inferiore & debiliore, hic ab illo accipit facultatem novam, per quam intelligere queat id, quod solus non poterat assequi: Quod enim superius est, semper est perfectio, & actus quidam, respectu inferioris; sicut ignis calorem communicat rei frigidæ solo accessu suo. Et sic dubium non est, quin intellectus inferior, qui se habet ut potentia, accipiat augmentum perfectionis & facultatis, per unionem cum superiore, qui ipsius quasi actus est. Et hæc illuminatio fit respectu potentiæ intelligendi.

§. 7. Sed respectu objecti intelligibilis intellectus inferior illuminari dicitur, cùm objectum ipsi sic determinatur, prout ille aptus est illud intelligere & percipere. Nam inferior, tanquam discipulus, non potest assequi veritatem, per media generalia & sublimia, quæ assequitur intellectus superior, tanquam Magister & Doctor; sed necesse est, ut illa dividat & proponat particulatim, secundùm captum istius intellectus, & ut citra errorem & confusionem illa possit concipere.

Cap. XV.

Quid denotetur per unionem decem Sephirarum nominis מה cum Sephiris Nekudicis, vel vasis confractis.

§. 1.

EX dictis intelligi poterit, quid sit illud, quod Doctor noster dicit: decem Sephiras Nominis מה, quæ prodierunt

runt è fronte Adam Kadmon, sese univisse cum Sephiris Nekudicis confractis, ut istas restituerent, & iterum perficerent. Nempe, ut per unionem hanc Vasa fracta restaurarentur & regenerarentur de novo, ut possent assequi & intelligere lumina vel objecta superiora; quæ istorum quasi animæ erant, quæ ante hanc unionem, vase adhuc debili, nec dum corroborato, non poterant intelligere. Et hoc est illud, quod Nekudim Nominis מה tanquam fœminæ, opus habuerint Sephiris מה, ut masculis. Ex quo hoc obortum est emolumentum, ut non tantùm constituerentur omnes personæ Mundi emanativi: sed etiam ut confortarentur & acciperent facultatem, per quam possent sustinere lumina intelligibilia; in quo consistit istarum perfectio, quam ab initio amiserant.

§. 2. Ne autem objiciatur: non esse verisimile, quod vasa potuerint recipere onus hoc novum, quia non potuerint sustinere prius: sciendum, lucem hanc additam non fuisse respectu objecti; quia hoc modo onus ipsorum omnino fuisset auctum: sed respectu potentiæ intelligendi, cui addita fuit perfectio & facultas, ut fuerit disposita & apta ad recipiendam sublimitatem luminum intelligibilium: & tantum abest, ut adaucta ipsis sint lumina objectiva; ut potiùs sint debilitata, & determinata, atque diminuta, & in plures partes dislecta, pro potentia illa intelligendi. Et debilitata quidem sunt eo ipso, quod inferius semper quasi velum prætensum sit superiori; ita, ut lux illa, quæ primo à scaturigine descendebat immediatè, deinceps delapsa sit per media multa, fenestrasque, & velamina diversa; ut ab oculis illis incorporeis potuerit conspici. Determinata autem sunt eo ipso, quod vasa fierent robustiora, & quælibet Sephirah ulteriùs dispesceretur in suas decades.

§. 3. Porrò etiam. Ut intellectio actualis instituatur, requi-

requiruntur duo: primò, ut adsint objecta; & secundò judicium, vel illorum dijudicatio. Intellectus enim non intelligit, nisi uniatur cum objecto, sive immediatè, sive mediante idea & formâ ejus, quam vel ab ipso, vel à causa ejus accipit. Et sæpe accidit, ut intellectus quidem habeat ideam, & speciem intelligibilem, & tamen per eam non intelligat: ut apparet in homine docto, qui, quamvis obtineat habitum sapientiæ, sæpè tamen non intelligit per illum, vel tempore somni, vel quia occupatus est contemplatione aliâ, vel quia versatur circa moralia vel artificialia, vel aliam ob causam: vel, si simul tangit ista: id tamen fit debiliter, & sine judicio.

§. 4. Illa ergò Lux, quæ fortificat & exaltat potentiam intelligendi, ita, ut perfectè possit dijudicare, quod ipsi proponit idea, per quam intelligit; & in objecto assequi id, quod antea non poterat; vocatur מוֹח; nempe Tetragrammaton Alephatum, quod refertur ad gradum Tiphereth, vel personam Seir Anpin, in quo commoratur Daath vel cognitio, ad instar Animæ & vitæ ejus. Cum enim conjungat gradus Chochmah & Binah; etiam continet Benignitates & Severitates, quas immittit in sex Sephiras structuræ, quæ constituunt personam Seir Anpin. Sed Nomen illud מוֹח non est lux visibilis; nec potentia recipiens; sed facultas, quæ corroborat, & vis specialis, quæ est causa intellectionis actualis, & perceptionis, & dijudicationis, quæ antea inibi fieri non poterat, ob nimiam imbecillitatem.

§. 5. In intellectu ergò, & vase consideranda sunt duo: unum est potentia, quæ receptura est lucem vel objectum, ut sunt Sephiræ Nekudicæ nominis סֹג: alterum est lux illa, quæ illuminat & fortificat istam potentiam, ut possit dijudicare, & assequi; & actu dijudicet & assequatur objectum: & hoc est illud, quod vocatur מוֹח; quod tanquam mas uni-

tur

tur cum סֹג & בִּן; quæ est lux illa potentialis & fœmina, sic corroborata, ut operari queat istam operationem. Ubi hæc intercedit differentia; quod nomen סֹג tantùm recipiat objecta; sed מוֹח sit causa, ut percipi queant & dijudicari. Et quia, quicquid elevandum est ad operationem aliquam, potentiâ suâ naturali sublimiorem, opus habet dispositione quadam nova: hinc, ut disponerentur Sephiræ Nekudicæ nominis סֹג, ut assequi possent lumina objectiva, naturam suam priorem excedentia, opus erat influxu novo, & luce emanante ab Adam Kadmon; qui est scaturigo omnium luminum supernorum: & quia erat intra illa Nekudim; illa elevabat & corroborabat, ut assequerentur finem desideratum. Et à luce Nominis מוֹח, unitâ cum Nekudicis סֹג, quæ nunc vocantur בִּן; productæ sunt Personæ divinæ mundi Aziluthici: quæ sunt, Attik; Arich; Abba; Imma; Seir & uxor ejus; & facta sunt vasa pro luminibus supernis. Uno verbo: Sephiræ מוֹח non sunt intelligendæ, quòd ratione objecti, sed quod ratione potentiæ intelligendi accesserint, & exaltaverint vim Nekudicarum, ut possent assequi, quod ante non poterant.

Cap. XVI.

Quomodo septem vasa lapsa surrexerint, virtute Matris superna, à cognitione sui ipsius & causatorum, ad cognitionem causarum suarum: quæ sunt tres vel quatuor personæ superna.

§. 1.

CUm ita restituti essent septem intellectus vel vasa, in naturam suam vitalem, & priorem; tunc intelligebant se ipsos, & quidem perfectiùs & clariùs, quam antea: Et non tantùm sese, sed etiam, per sese, inferiora, quorum erant causæ;

 perfe-

perfectiùs etiam, quam priùs: nempe mundos בי״ע: sed nondum intelligebant Sephiras superiores, nempe Kether, Chochmah, Binah; vel personas ex illis constructas, quæ sunt, Senex Sanctus; Pater & Mater: nec dum etiam eò pervenerant, ut intelligerent lumina Akudica, nasi, aurium, oculorum, cerebri, & cranii Adami primi: hic ipse autem & Æn-Soph planè ipsis manebant ignoti.

§. 2. Ut autem assequerentur tres Sephiras summas; adeoque è septem fierent decem, opus erat, ut acciperent influxum novum, quem Cabbalistæ vocant יניקה suctionem à Matre; ut adolescerent, & ad perfectionem suam ultimam pervenirent; quæ in intelligentiis incorporeis non tantùm est cognitio sui ipsius, & inferiorum, sed & superiorum: à quibus, ut causis, dependet omnis istarum perfectio & magnitudo. Binah igitur immediatè producebat septem illas Sephiras organicas delapsas, influebatque & dabat illis, (vi superiorum, Patris, Arich &c. usque ad Æn-Soph,) facultatem novam, quæ allegoricè vocatur lac, quod ab ipsa sugerent, in hunc finem, ut possent intelligere, & intelligerent ipsam Binam, & superiora.

§. 3. Hoc nihil aliud est, quàm quod dicunt Philosophi: quod intellectus inferior intelligat superiora, prout ista disponunt potentiam ejus intellectualem, eumque formant, & illi largiuntur species necessarias. Item: quod, cum intellectus intellectui dicitur assistere, nihil sit aliud, quàm quod intellectus unus ab altero accipiat ideam & imaginem. Item: quod intellectus humanus, cum convertitur ad Deum, hujus luce illuminetur &c.

§. 4. Quod autem è sex vel septem, factæ sint decem; nil est aliud, quàm quod post productionem trium mundorum creatorum in sextiduo creationis, vel assumto Sabbatho, septiduo acceperint perfectionem omnium numerorum; ad quam

quam dicuntur adolevisse & crevisse, tanquam ad staturam Sephirothicam, quæ est decas. Et hanc assecutæ sunt omnes; ut & pariter utraque persona, androgynos primò, & deinde dissecta.

Cap. XVII.

De ultima perfectione, quam consecuti sunt intellectus sæpe dicti, vel vasa, post restitutionem suam: dum illos suscepit Binah, & informavit ipsa, & non per speciem infusam, nec per medium quoddam aliud; ut ita intelligerent ipsam & superna.

§. 1.

NOn quiescebat Spiritus Matris supernæ; quod dedisset perfectionem dictam septem illis Sephiris, quæ mutatæ erant in duas personas, marem & fœminam; sed ipsis etiam infundebat perfectionem ultimam; quod nempe ipsa plane uniretur cum iis, tanquam objectum: per quod intelligerent tam ipsam, quam Patrem, & reliqua summa, usque ad Causam primam. Et hoc ipsum est, quod dicunt Philosophi; quod Causa prima cum intellectu emanante uniatur & jungatur ipsa, & non per ideam, formamve & speciem, actumq; intermedium vel objectum medians; idque in hunc finem, ut per ipsam essentiam divinam percipiat & intelligat Deum ipsum. A quo non longè abest illud Platonicorum; quod intellectus noster objecto divino fruatur dupliciter; analogicè, & formaliter. Analogicè; cùm à superiore accipit species, formas & ideas; per quas, ut per causatum quid, intelligat; nempe ab operationibus ejus, potentias ejus; & his mediantibus, essentiam ejus. Formaliter autem; cum intellectus noster, post usitatum hunc cognoscendi modum, superinvestitur ab intellectu superiore, tanquam à forma & actuatione,

tione: ita, ut ipse operetur sub illo, ab illo formatus ad operationes suas divinas illi proprias, quas solus perficere non potuisset.

§. 2. Hæc tamen inter Philosophos & nostrates est differentia, quod illi intellectum superiorem cum inferiore uniri tantùm statuant per modum finis & objecti: putantes, impossibile esse, ut intellectus productus unus subintrare possit in alterum: Nos autem, quia de sublimioribus loquimur, non habemus pro absurdo, quod detur ingressus talis, per quem intellectus unus essentialiter uniatur cum altero. Et ut ad intellectus nostros delapsos revertamur; dicimus, quod restitutio istorum ad naturam suam sublimem, consistat in hoc, quod quasi concepti sint à Matre, & de novo progeniti, ad instar filiorum; quod autem lactati sint ab illa, denotat nobis influentiam, & lucem, & vim, & facultatem novam, per quam creverint in decadem seu perfectionem completam, adeoque intelligant superna; quod in statibus uterine & nativitatis nondum poterant, ubi tantùm intelligebant se ipsos & inferiora. Jamque porro de unione dicemus, & quomodo Mater ingressa sit in illos; quod vocamus illorum Cerebra: quia hoc ipso producuntur in illis Chochmah, Binah & Daath, ut ita intelligant Matrem, & in illa Patrem, &c.

§. 3. Dicimus ergò: quod tria hæc cerebra ortum habeant ex eo, quod intraverint gradùs Nezach, Hod, Jesod Matris, in vasa Chochmah, Binah, Daath dictorum intellectuum, jam præparatorum; atque abhinc deinde sese extenderint per totum corpus Personæ Seir Anpin, constantis è sex Sephiris fundamentalibus; quæ sunt חוה נהי: (vid. Part. 1. Apparat. p. 514. seq.) Sensus istorum omnium est, ut natura dicta inferior formaretur à superiore, & intelligeret per istam, (& non per medium quoddam aliud,) non tantùm eandem, sed

sed & superiora. Nec hoc tantùm, quod intelligeret Binam matrem per ipsam matrem; sed etiam in illa, & per illam, semetipsam & naturas inferiores, quas illa causaliter & eminenter in se continet, & in illas influit. Quod ipsum indicatur per illud, quòd Binah dicatur ingredi in omnes septem Sephiras structuræ, quæ sunt causæ proximæ creationis trium mundorum inferiorum.

§. 4. Per generationem ergò intelligitur purgatio Vasorum vel intellectuum istorum, facta per actum superiorum, à tenebris & stupiditate, in quam delapsa erant, ob defectum luminis, versus imum quod ipsis sordium loco erat, & inquinamenti. Lactatio est illuminatio intellectuum horum, qua ipsis præparabatur via ad objecta, cum istorum limitatione congrua, quò ea possent percipere. Cerebra autem dicuntur, cum illis infunditur actualis cognitio veritatum intelligibilium & supernarum, à qua dependet ipsorum felicitas & perfectio.

§. 5. Vel: nativitas esse poterit reditus ad naturam suam priorem, à qua cùm delapsæ essent, dicebantur descendisse. Et sic suctio est receptio mediorum intellectualium, per quorum dispositionem dirigebantur ad cognitionem. Cerebra autem erunt comprehensio scientifica in actu, & cum perfectione requisita.

§. 6. Vel: nativitas est essentia, quam, quasi per resurrectionem, de novo acceperunt; suctio est vita, quasi nempe in iis creverit potentia, & adoleverit essentia. Cerebra autem sunt intellectus, qui est perfectio, & quasi ætas virilis essentiæ & vitæ.

§. 7. Inter quas expositiones, quamvis omnes sint veræ, magis tamen propria videtur prima: nempe, quod nativitas sit reditus vasorum mortuorum & delapsorum, ad locum excellentiæ suæ, & ad ipsam naturam suam priorem; ut, tanquam intellectus, non amplius captivati, majori perfectione intelligerent

gerent se ipsos, & quicquid sub ipsis est. Lactatio verò est lux & influentia nova, quam acceperunt à causa sua; per quam non tantùm hanc, sed & superiora intelligunt, ideis maximè perspicuis. Cerebra autem sunt unio & ingressus ipsius causæ suæ dictæ, in ipsa; ut per hanc, & in illa, intelligerent ipsam, & superna omnia quàm perfectissimè.

§. 8. Et sicut unionem Sephirarum מוֹח cum vasis אבּ retulimus ad potentiam istorum intellectivam, ejusque corroborationem: ita jam mysterium lactationis & formationis cerebrorum, provenientes à matre, referimus ad objectum intelligibile; dicimusque, illam esse lucem & actum, provenientem à veritate scibili, vel objecto intelligibili: ut nempe è sex vel septem fierent decem, modo nempe objectivo; ut scilicet intelligerent numerum perfectum, & plenum, qui in se continet, & è se emittit omnia: item, quod à Binah acciperent species intelligibiles & ideas objectivas trium primarum Kether, Chochmah, Binah: item, quod sub statu cerebrorum, ipsa mater fieret objectum illorum, cum reliquis summis, usque ad Infinitum.

Cap. XVIII.

Quid denotetur per bilancem, & obversionem facierum, quæ Sephiris tribuitur.

§. 1.

Sæpe jam dictum est, quod vasa confracta restituta sint, per ordinem, in bilance præfiguratum; & convertendo invicem facies ad facies: quæ etiam causa est, ut, quæ priùs dicebantur Nekudim, nunc dicantur ברודים. Jam ergo dicendum est, quis sit etiam istorum sensus. Dicimus ergo: quod Sephiræ Nekudicæ, quæ deinceps delapsæ dicuntur, primò ita emanaverint, ut converterent facies tergis. Ita enim descendebat causa ad causatum, ut hoc nullo modo elevaretur

tur & converteretur ad illam: quo ipso nec causata consequebantur perfectionem suam; quippe quæ in eo consistit, ut redeant ad causam; nec etiam intellectus, cujus perfectio in eo consistit, ut non declinet inferiora versùs, sed convertatur in seipsum, & exaltetur sursum ad Originem suam; adeoque cognoscat tam se, quàm causam suam, motu nempe circulari & converso, & non rectilineo, ut primitùs; ubi intentio eorum tantùm hæc erat, ut tantùm effluerent deorsum, & influxum darent, citra reflexionem sursum factam, qua iterum acciperent. Certum enim est, quod perfectio non dependeat ab inferiore, ad quod quis sese exserit: sed à superiore, à quo quis accipere debet: ita, ut idem fiat finis ultimus, quod fuit principium primum; & causatum accipiat bonitatem essendi, ab eo, quod primò ipsi dederat solum esse.

§. 2. Et hæc conversio inferior, ad causam suam dictam, ad sese inclinatam est illa מתקלא seu *stateriscatio*, & ordinatio facierum ad facies; unde ortum habet restitutio & perfectio Sephirarum lapsarum: quæ nihil aliud est, quàm influxus superioris in inferius, quando convertitur, & elevatur, & disponitur ad aliud: ita, ut ambo consentiant in eo, quòd superius influere, & inferius accipere velit: non autem, quòd intentio illorum sit, tantummodo dare: sed ut dictum, causa influere debet, ut ultimatò perficiat causatum suum, illudque secum uniat; causatum verò recipere influxum illum, ut cum causa sua uniatur: prout abundanter intelligi potest exemplo discipuli & magistri; quorum ille fieri debet ad instar maris vel cisternæ, respectu lucis, sibi affusæ, & non tantùm canalis & aquæ-ductus, ad distribuendum illam inferioribus; prout Sephiræ fecerant ab initio.

§. 3. Summa hæc est: Nunc inferius possidet & retinet objectum, inque sese conservat, & ad illud reflectitur, antequam illud emittat ad ulteriora. Primò enim id dederat, quod

intra sese nondum receperat; quasi, si quis vellet docere alium, quod nondum didicisset ipse, nec ad illud discendum sese præparasset: id quod describitur per receptionem influxus parte sui posticâ. Influxus ergo de facie ad faciem factus, nihil aliud est, quàm conversio recipientis versus influens, ad sese pronum; quo ipso tam influentia, quàm receptio omnium erit perfectissima: præsertim, si ita recipiat subjectum passivum, ut non tantùm iterum communicet, & statim fiat activum; sed ut etiam retineat, & secum ferat, adeoque intelligat, quod recepit; ita, ut si deinde id iterum communicare velit fierique efficiens, sit quasi discipulus, qui, postquam satis intelligit objectum sublime, & ipse fieri potest magister, objectumque illud debitâ methodo iterum proponere intellectui inferiori.

§. 4. Sephiræ ergo Nekudicæ propterea confractæ dicuntur, quod descenderent rectilineariter; & restitutæ, per conversionem recipientis ad influens, qua redactæ sunt ad unitatem stateri-formem; ita, ut non amplius inclinarent versus imum: sed circa summa occuparentur, ad instar speculi caustici, ubi radii uniuntur motu quasi circulari, & sese invicè perficiunt.

Cap. XIX.

Quomodo intelligendum sit illud, quòd persona una superinvestiat alteram, & inferior superiorem.

§. 1.

HOc ut rectiùs intelligatur, præmittendum est; perfectionem naturarum esse duplicem; quarum una est cuique rei propria, nempe illius forma & natura determinata, quâ distinguitur ab aliis: Altera autem, reperitur in unione & collectione naturarum, specierum, & perfectionum omnium entium, & totius mundi, in uno subjecto. Sed, quia una species distincta est ab alia, adeoque illius perfectio caret perfectione alterius; & hinc non plane est consummata: hinc producta est natura illa

illa intellectualis; causatum, nempe causæ primæ proximum, quod in se continet, per modum objecti & intelligentis, omnes reliquas species & perfectiones mundi naturalis: adeoq; non suâ tantùm, sed etiam reliquorum entium omnium, quatenus ea cognoscit; vel ex eo, quod ex ipsis componatur; vel ex formis eorũ.

§. 2. Quod ergo persona una intrare dicitur & pertransire alteram, vel in illa consistere, & superior per inferiorem quasi vestiri, nihil aliud est, quàm quod superior cum inferiore uniatur, eamque informet, & illuminet, & perficiat per semet ipsam, ita, ut inferior ipsi fit quasi materia, vel species intelligibilis; quia ab illa formatur, & hâc ratione etiam illam intelligere potest. E contra verò, quod hæc vestis sit alterius, nihil aliud denotat, quàm quod illam contineat instar materiæ, quæ formam; Sephiræ, quæ lucem; corporis, quod animam; & omnis perfecti, quod perfectionem suam: & uno verbo: intellectus, qui objectum suum in se comprehendit. Atque sic docetur, quòd persona vel intelligentia inferior cognoscat superiorem, quæ ad instar objecti in ipsam ingreditur, eamq; vivificat & perficit, ut perfectè & comprehensivè illam intelligat.

§. 3. Adde, quod talis vestis sit medium quoddam, quo lux superna inibi recepta modificatur & disponitur, ut ulteriùs tradi possit inferioribus: sine qua obvelatione & contemperatione fieri non posset, ut intellectus inferiores vehementem illam vibrationem dictæ lucis supernæ tolerare & assequi, vel intelligere queant.

Cap. XX.

Quare Sephiræ Nekudicæ factæ sint Personæ: & quare, dum una superintegit alteram, aliqua istius pars relinquatur sine velamine: item, quid sint crines capitis & Barbæ.

§. 1.

POrrò & hoc traditur, quod Attik non tantùm; sed & Arich excrescat in decadem: ita tamen, ut iste illam tantùm vestiat

ſtiat à Cheſed usque ad Malchuth; tres verò ſupernæ dicti Attik maneant nudæ, & tegmine carentes: ex eo, quod omnes decem Sephiræ ת״ר Arich non ſufficiant ad involvendum illum totum, ſed tantùm ſeptem ejus inferioribus adæquentur.

§. 2. Senſus horum eſt hic: quod Arich Anpin intelligere non poſſit Senem Sanctum totum, tanquam objectum, quod potentiâ ſua intellectivâ multò ſit ſublimius; unde deſcendere quaſi cogatur, in decadem Sephirothicam arctiorem, cujus Sephiræ ad inferiores gradus ת״ר Attik applicentur, ut mediantibus objectis inferioribus magis ſibi congruis, id cognoſcant, quod per unum objectum ſublime non potuiſſent aſſequi. Et hoc modo Arich Anpin etiam tantùm cognoviſſe dicitur ſeptem inferiores ת״ר Attik, quas, velut objectum ſuum, in ſe recepit, obtexitque, & perfectè comprehendit: tres verò ſuperiores, proportione ſuâ ſublimiores, objectum cognitionis ejus eſſe non potuerunt in ſe, & ſuâ naturâ: ſed ab extra imminentes decadem ת״ר Arich illuminarunt; ita, ut dicantur illius lux ambiens, prout ſeptem ejusdem inferiores ſunt iſtius lux interna. Idem quoque eſt reſpectus inter patrem & matrem, atque Arich Anpin; in quo ſuperintegunt octo Sephiras inferiores, Pater nempe ad dextram, & Mater ad ſiniſtram: Sicut etiam pater & mater ſuperinteguntur à Seir Anpin, à dimidio gradu Tiphereth, & porrò deorſum: nec non ab uxore ſua ipſe, eadem proportione; ſed à tergo tantùm.

§. 3. Ubi notandum, quod omne objectum cognoſcibile cognoſcatur dupliciter: vel à priori, nempe ſi aliquid cognoſcatur per cauſam, aut per ſeſe; vel à poſteriori, & ab effectis. Perfectiſſimus ergo cognoſcendi modus eſt, ſi intellectus cognoſcit rem ipſam, in ipſa, & per ipſam. Sed ſi rem cognoſcit per ſimilitudinem, ſive ideam, ſpeciemque, ab illa ſeparatam; vel, ab effectis & operationibus, cognitio multò debilior eſt & imperfectior. Atque ſic uxor Seirica, quæ eſt perſona ultima, non cognoſcit Maritum, niſi à poſteriore, i.e.

i.e. per ideam ſpeciemque; & ab effectis & operibus, impreſſis intellectui ejus. Cùm autem, factâ diſſectione, eidem obvertit faciem, eumque eo unitur, tanquam cum objecto ſuo ſibi inhærente; tunc non tantùm ratione objecti, ſed & ratione ideæ multò perfectiùs illum intelligit. Sed hoc certum eſt, quod id non fiat ſemper, ſed ſaltem aliquando: quodque nec tum ita cognoſcat totum, ſed ſaltem triadem ejus infimam, nempe נהי״. Sed Seir Anpin Patrem & Matrem cognoſcit de facie ad faciem, & quidem perfectè atque ſemper, idque per ipſam eſſentiam eorum; ſed non totos, verùm illam tantùm partem quam complectitur, nempe eorum נהי״. Idem etiam comprehendit ת״ר Arich Anpin & omnia ſuperna, ſed mediante Patre & Matre: quod etiam accidit Uxori ejus. Sed Pater & Mater cognoſcunt ת״ר Arich Anpin per ſe ipſum, à Malchuth usque ad Binam ejus, & per illum, Senem Sanctum, cum ſuperioribus: & ſic porrò, ut dictum.

§. 4. Jam etiam dicendum aliquid eſt de crinibus capitis & Barbæ in Arich Anpin, Seir Anpin & Uxore ejus: nempe per hoc intelliguntur lumina objectiva & intelligibilia, quæ reflectuntur, tenduntque ab imo, ſurſum; prodeuntia per foramina innumera dictorum capitum & Barbarum: ſuntque objecta ſelectiſſima & ſingularia, admodum limitata, ut naturæ inferiores per illa cognoſcant & intelligant id, quod de ipſorum ſcaturigine occulta aliàs non poterant comprehendere. Prodeunt enim è capite & Barba, quæ ſunt loca cerebri & oris; quia infunduntur intellectibus ſuperioribus, ſicut ideæ, ſpeciesque imprimuntur cerebro, per locutionem: quaſi nempe ab ore edocerentur myſteria Divina, & objecta ſtupenda, cæteroquin occulta. Crines autem ſive cognitiones iſtæ, dicuntur referri ad metrum Juris: quia benignitatis natura eſt multiplicare, & congerere, & e-

& omnibus communicare; sed metrum Juris, in specie distribuit & determinat: & quia Binah est locus cognitionis, perceptionis, & investigationis; hinc dicitur, ab illa excitari judicia, ab eaque dependere totum latus sinistrum, &c. Crines autem ,, Arich dicuntur albi, quia per illos temperatur & mitigatur Rigor; suntque scaturigines benignitatis & Misericordiæ. Sed Crines ,, Seir Anpin statuuntur nigri; quia iste in se habet gradum Daath seu Cognitionis, in quo sunt omnes quinque Gebhuræ; item, quia compositus est ex Gebhurah & Hod, qui sunt Rigores duriores: ipse etiam habitat in Mundo Angelico, in quo est trutina Justitiæ, ubi ponderantur opera hominum. Tandem verò Crines Uxoris statuuntur rubri; quia illa rigoris quidem character est, sed remissioris & mitioris, & naturæ placabilioris; quia nihil habet à se ipsa, adeoque suscipere potest utrumque contrarium.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA
per CHRISTUM.

REESE LIBRARY OF THE UNIVERSITY CALIFORNIA

Fig.



Figure

עשרת
המלך הקדוש

נ"ב נ"ב כצר פנים כצר אויל

הנקרא רישא דלא רישא דלא ידעולא

אתיד ע"ה אבחצת גראשונות דמלכות דאק שלמעלה

מהפרסה ונקרא עתיקסתם

זאתהיאהפרסה דאק ושימרת

כנגד שלישת התתתון

דאק

ד' התחתונות אלו נקראו עתיק יומין

דעת

חסד דמלכות דאק גולגלתא דאא

גבורה דמלכות דאק שלאא

נצח דמלכות דאק עמר נקי דאא יד דמין

הוד דמלכות דאק עמר קרומא דאא יראל

הת דמלכות דאק

יסד דמלכות דאק מצח אריך אנפין דעת גמזכפימא

נצח אדאא ימינא ביעה דתימאה

הוד אודנא שמאל דאא ביעא

הוד עקשמא לא דאא וגלשמאל

נצח עין יומין דאא רגליין

מלכות דמלכות דאק חשמאא

פהאא

עגול זה נקרא כתר דאריך

פרק העליון רקומות בצח דאריך

עגול זה נקרא חכמה דאריך

מצח דאריך

מיפוד דרדלא עם החסד דעתיק יומין

ועיגול כנגד פרק ראשון ריסוד דאדם קדמון

יב חוותי ויב נימין סב הזיות שבמוח יומין

עד ישר כתפין ורגלי ושדש השעות מוצא בזר דרדלא בסוד הגלגל

אזן דאריך

דרדלא בסודיל ישרת

תיקון ז שוב

ירחמוני

עין דאריך

דרדלא בשוד ירד יין

תיקון ז שוב

ירחמוני

עמר נקי

חוטם אריך

מלכות דרדלא

תיקון נקבי דרדלא

דאה ונחל

פה דאריך

אשר בשבע לאבן

תקון יבן כאבנין

דעת דרדלא דמגנו

עליון רב אתוון

אשר שם:

פני אריך

שע נהורין

פני אריך

שע נהורין

שעלות

שבמרחב מוחי

כי חבן חבר

תקון ו

מצפץ

מצפץ

עתיקא הקדמא לא דהו כתר

ובגויה רישא דלא רישא דלא

עד כאן בגעי העקרים ונאן מלכות

דעקודים ששם שורש הנקודים

Fig. 4

ת

מנאן ולמטה נקרא ישראל סבא

כתר יס

שבו מלכיש גרוע וחצי חזה
דא״א הימיני פרק ג שבו כח
בחינת דתי״

נ חכמה	ה בינה
מלכיש רגל	מלכיש רגל
ימין אא״ב	ימין אא״ב
בחינת חתן	בחינת פגה
שבו	שבו

דעת יס

מלכיש יסוד אא
פרק א בחינת
דתי״ שבו

ת״ת ו

צ חסד	ו גבורה
מלכיש רגל	מלכיש מלכיש רגל
ימין אא״ב	יסוד אא ימין אא״ב
בחינת חתן	פרק שני פרק כחינ
שבו	בחינה כגה שבו
	דת״ ל
	שבו

ח נצח	יסוד ד הוד
מלכיש רגל	ה״ה אבא מלכיש רגל
ימין אא״ב	מלכיש יסוד ישן איך
פרק ב בחינ	אא״ פרק ג אנפין ג״
חתן שבו	בחינ דתי״ בחינת
	שבו כגה שבו

מלכיש עשרה דאיך

עטרה

ת״ג דאבא

ת

נעשה נשמה לכתר זעיר
פרק ג דגוה״ אריך דהיינו מישבור שלו ולמטה שמו
פרק ד פרק ד יסוד דעתיק ובאן ושלום יסוד דעתיק בבחינת עטרה

ג״ כ

נ	יס	ה
פרק א דגלימין	פרק א דיסוד אא	פרק א דהוד אא שבו
אריך שבו פרק	שבו פרק ראשון	פרק א דפרק ב דהוד
עליון דפרק ב דנצח	דעטיק דעטיק	דעתיק ועומד כנגד
דעתיק קדמון כנגד	ועומד כנגד פרק א	פרק א דפרק ג דהוד
פרק א דפרק ב דנצח	דפרק ד דיסוד דאלם	דאדם קדמין
דאדם קדמין	קדמין	

צ	ו	ו
פרק ב דגלימין אא	פרק ב דיסוד אא	פרק ב דהוד אא שבו
שבו פרק ב דפרק ב	שבו פרק ב דעטות	פרק ב דפרק ג דהוד
דנצח דעתיק ועומד	דיסוד דעתיק ועומד	דעתיק ועומד כנגד
כנגד פרק ב דפרק ב	כנגד פרק ב דפרק ג	פרק ב דפרק ג דהוד
דנצח דאדם קדמון	דיסוד דאדם קדמון	דאדם קדמין

צמר כבשים
יג כריתות שם
זקן ד זעיר

ח	ד	ד
פרק ג דגלימין אא	פרק ג דיסוד אא שבו	פרק ג דהוד אא שבו
שבו פרק ב דפרק ב דנצח	פרק ג דעשות יסוד	פרק ג דפרק ב דעתיק
דעתיק ועומד נגד פרק	דעתיק ועומד כנגד	ועומד נגד פרק ג דפרק
ג דפרק ג דנצח דאדם	פרק ג דפרק ג דיסוד	ג דהוד דאדם קדמון
קדמון	דאדם קדמון	

מלבוש עטרה יסוד דאק

עטרה

ד״ך ימין בא״ב	ד״ך שמאל בא״ב	ד״ך
פרק ג דנצח דעתיק	ג דהוד דעתיק ויודים	בבריאה

דלמעלה למטה
וזהו הנה״ הדשים יוד הוה דזעיר מגיע עד הוה שלו

ת

מנאן זלמטה נקרא חבונה ראשונה

כתר תבונה

שהו מלכוש גרוע וחצי חזה דא״א
השמאלי פרק ג שבו בחינת דתי״

נ חכמה	ה בינה
מלכיש רגל	מלכיש רגל
שמאל אא	ימין אא״ב
פרק א מלכיש יסוד	בחינת חתן
בחינת חתן	שבו
שבו	

צ חסד	ו גבורה
מלכיש רגל	מלכיש רגל
שמאל אא	מלכיש יסוד שמאל אא
פרק ב	אריך אנפין פרק ב בחינ
בחינת חתן	פרק ב בגה שבו
שבו	בחינ דתי״
	שבו

עד כאן תבונה א״ צלם ראשון

כאן מתחיל תבונה שני צלמ ב

נ חכמה יסדעת	ה בינה
צ חסד ו דתת	ו גבורה

כאן מתחיל תבונה שלישית

יסוד

ח נצח	עשרה	ד הוד	
ח	ד	ב	
ח	ת	ג	
נ	י	ה	

ח	עשרה	ד״ך
זהו פרק ב	דאסא עלאה	זהו פרק ג
דנצח אסא	מלכיש אא	דהוד אסא
עלאה היא	בבחינ עטרת	עלאה בכלה
בכללות ה	יסוד אריך	הנוצקה ס
הפדצוון ש	אנפין בבחינ	מלכיש אריך
מלכיש אא	דת״ שבו	בחינ דגלשון

אימא
ויקרבוה
לחיצה

אימא
כתר שלה
בינה דאריך שבו חצי
תת צר שמאל הדרגא
וקומוד כנגד פרק א ד
רקטוד"ג סג ה שבשם בריאה
דאצילות:
כללות הפרצוף

קנה עב

גרוז דאריך
בינה דאריך
תקון השפיע דאריך
הנגלה והוא שבעות עליוני קיב

דיקנא דאריך
מי אל כסיף

מזל ח"
נקרא יבבוש
עזוהיגן
תקון ד לשארית נחלתו
שעלות שתחת השפה

תקון ה לא החזיק לעד אפו
התחלה תקון לב" חלקיהם

תקון ט שעתות קטנות מכלעות בשרשי הזקן עצמו
דאליך ונקראים ותשליך בפצולות ים כל חטאותם

דעת
הח" והג"

חכמה
מלבישו
זרוע ימין א"א
תפ
מלבישו זרוע
ימין א"א
בחינת בגה
שבד

בינה
מלבישו זרוע
ימין א"א
בחינת בגה
שבד

גרוז דאריך ונוקבי בינה דאריך דמה ובן
שבי תת דיקלא נעומר בגר פרק עליון דיקנא דאריך

תקון ת שערות קטנות דתחות ברונא תתן אמה
ליעקב
תקון יא שהם תליון בשיקולא ולא נפקא דא מרא
חסד לאברהם

חסד
מלבישו
זרוע
ימין א"א
בחינת נחאי החזה
חחזשבו
בבחינת
רתי
שבו

אר
מלבישו הזרוע
בחינת נחאי החזה
חחזשבו
בבחינת
רתי
שבו

גבורה
מלבישו זרוע
שמאל א"א
בחינת
בגה שבו

כתף ימין
ע רשא דחסד

דעת אריך
כתף השמאל
עשרה רגנוה

חסד
מלבישו זרוע
שמאל א"א
בחינת
חחזשבו

אר
מלבישו זרוע
שמאל א"א
בחינת
וחצי החזה
השמאלית
בחינת רתי

גבורה
מלבישו זרוע
שמאל א"א
בחינת
בגה שבו

ח
פרק ל עליון
דזרוע ימין א"א
שבו פרק עליון
דפרק עליון ד
רנצח דעתיק
ועוסר כנגד א
דפ רק ב דנצח
דאק

תפ
שנעשה מיסוד
דדרלא מטא שלו
פרק ראשון לגוף
א"א שבי פא דשב
דיסוד דעתיק ועמל
כנגד פא דפ רק
ב דהזרא"ד
קדשון

דרי אדם
דר ימין
דר שמאל

נצח
מלבישו זרוע
ימין א"א
פל שלו
בחינות
חחזשבו

ימ
גהים של
פרצוף אבא שמאל א"א
עצמו מלבש פ רק ג שבו
הזרוע וחצי בחינת בגה
חחזה א"א
פג שבו בחינ
דתי

הור
מלבישו זרוע
שמאל א"א
פ רק ג שבו
בגה
שבו

ס
פרק ב דזרוע ימין
א"א שבו פרק ב ד
דפרק עליון דנצח ד
דעתיק ועוסד כנגד
פרק ב דפרק ב
דנצח דאק

אר
פרק ב הנוף אריך
היינו החחלת החזה
שבו פרק ב דפרק ב
דיסוד דעתיק ובאן
בוקעין לחוץ בחזה
ה חסדים וה גבורות

בו
פרק ב דנרוע שמאל
א"א שבי פב דפ
עליון דחוד דעתיק פרק ב שבו
ע ומר נגבר פרק
ב דפ דע ד דחוד
ב. אדם קדשון

נצח
מלבישו
זרוע ימין
א"א
פל שלו
בחינות
חחזשבו

ימ
גהים של
פרצוף אבא שמאל א"א
עצמו מלבש פ רק ג שבו
הזרוע וחצי בחינת בגה
חחזה א"א
פג שבו בחינ
דתי

הור
מלבישו זרוע
שמאל א"א
פ רק ג שבו
בגה
שבו

רה
פרק ג דזרוע שמאל
א"א שבי פרק ג. ד

סדר הצלם דזעיר ברפ"ח איברין

רש"ג כמנין אברים וכאים מלובשי' בה
דבינה הנקראת ה' הרי רמח כמנין אברהם

פרק עליון דנצח דאימא חכמה

ח פרק עליון דפרק עליון וכו' ג' פרקי' חחן
וכל אחת יש לו עוד ג' פרקי' חחן

ח פרק שני דפרק עליון וכו' פרקי' חחן

ג פרק התחתון דפרק עליון וכו' ג' פרקי' חחן

הרי ד' ספירות פרטיות נגד ד' אותיות

פרק עליון דיסוד אימא דעת

ד פרק א' דפ"ע וכו' שלשה פרק' דתי'
וכא יש בו דתי

ת פרק ב' דפרק עליון ג' וכא ג' פ' דתי'

י פרק ג' דפרק עליון ג' פרקים דתי'

הרי ד' ספירות פרטיות נגד ד' אותיות

פרק עליון דהוד דאימא ביה

ב פרק א' דפרק עליון וכו' ג' פרקי' בגה

ג פרק ב' דפרק עליון בגה ג' פרקים בגה

ה פרק ג' דפרק עליון בגה ג' פרקי' בגה

הרי ד' ספירות פרטיות נגד ד' אותיות

פרק אמצעי דנצח דאמא חסד

ח פ' עליון דפרק אמצעי ג' פרקי' חחן
וכל אחת יש לו עוד ג' פ' פרקי'

ח פ' ב' דפ' אמצעי ג' פרקים חחן

נ פרק ג' דפ' אמצעי ג' פרקים חחן

הרי ד' ספירות נגד ד' אותיות

פרק התחתון דיסוד אמא תת

ד פ' א' דפרק אמצעי ג' פרקים דתי'

ת פרק ב' דפ' אמצעי ג' פרקים דתי'

י פרק ג' דפ' אמצעי ג' פרקים דתי'

הרי ד' ספירות נגד ד' אותיות

פרק אמצעי דהוד דאמא גבורה

ב פ' א' דפרק אמצעי ג' פרקים בגה

ג פרק ב' דפ' אמצעי ג' פרקים בגה

ה פרק ג' דפ' אמצעי ג' פרקים בגה

הרי ד' ספירות נגד ד' אותיות

פרק התחתון דנצח דאמא נצח

ח פ' עליון דפ' תחתון ג' פרקים חחן

ח פרק ב' דפ' תחתון ג' פרקים חחן

נ פרק ג' דפ' תחתון ג' פרקים חחן

הרי פ"א ספ"ו כמנין ככא

עטרה דיסוד דאמא יסוד

ד פ' א' דפ' תחתון ג' פרקים דתי'

ת פ' ב' דפ' תחתון ג' פרקים דתי'

י פ' ג' דפרק תחתון ג' פרקים דתי'

הרי פ"א ספירות כמנין ככא

פרק תחתון דהוד דאמא הוד

ב פ' א' דפ' תחתון ג' פרקים בגה

ג פ' ב' דפ' תחתון ג' פרקים בגה

ה פ' ג' דפ' תחתון ג' פרקים בגה

הרי פ"א ספירות כמנין ככא

Fig. 6.

עטרת המלך תת דתבונה ויס ואא

כתר דזעיר אנפין

גבליה וכן בכל יס: (יוד, יוד הי, יוד הי ויו, יוד הי, ויו, הי) החיצון: (יוד, הי, ויו, הי) האמצעי: אלף הי, ויוד הי) הפנימי

מוח חיצון: אהיה
בינה אמצעית: אלף הא יוד הא

מוח חסדים
דעת

מוח הגבורות

מוח חיצון יוד הא ואו הי
חכמה אמצעית: ויה יהו יהוה
מנצח דתבונה פנימי יוד הי ואו הא
ויס מכלל בחינותיהם שבנצח
פא יס

מחדר דתבונה ויס
מכלל בחינותיהם שבנצח

יסוד דתבונה ויס
מכלל בחינות
שביסוד סא

קטנות א אלהים
קטנות א אלהים חיצון בג
תבונה אלהים דיודין אבעבר סג
יס תבונה אלהים דאלפין: תבונה אלהים דהין

קטנות א אלהים

גדלות א עב פנימי עב
קטנות ב אבדטם
גדלות ב עב

גדלות א מה בג
קטנות ב עד עה
תפילין דרש יוד א יוד
גדלות ב מה בג
תפילין דרש יוד חסד גבורה

גדלות א סג
קטנות ב אמגל
גדלות ב סג

מלהו שבשם רציר דאצילות

כפוד העיבור אין בו דק ב מוחין נקרא אלם ולא אלהים

כתר לאה

קשר תפילין נגד דעת זעיר

כנגד דעת זעיר שבך מלכות דתבונה

עיני לאה רכות מנה דתבונה שכחג זעיר

חכמה קל בצה

ח	ד	ב
נגד פא ד דזרוע ימין דזעיר	כנגד תת דזרוע שמאל זעיר	כנגד פא דזרוע שמאל דזעיר

ז	ת	ג
כנגד פב דזרוע ימין זעיר	כנגד פב דת ד דזעיר	כנגד פב דזרוע ש שמאל ד דזעיר

נ	י	ה
כנגד פג דזרוע ימין זעיר	כנגד פג דת ד דזעיר	כנגד פג דזרוע ש שמאל ד דזעיר

אזן ימין מבינה דזעיר

עין ימין ח חסדי מדעת

אזן שמאל מבינה דזעיר

עין שמאל הג מהדעת

אתגליין דב אתוון: הארת דח יהג

מלך דזעיר

פנים דזעיר קן

נהירין ושע דאא

חוטם

תקון ב רחום שערות שלהשפה פנים חסד

פנים דזעיר קן

טהורין ושע דאא

דחכמה מקיף יסוד דחכמה: תקון גותנן

אורחא דתחות הושמא פנים גבורת דחכמה מקיף הודדחבמה: תקון ן ואמת ומבמ

יסוד דחכמה מקיף חסד דחכמה

פאה

אלהים תקון א אל שערות סמרפזת אל ה הראש פנים בינה דחכמה מקיף ג דחכמה תקון ו ורבחסד

פה דזעיר

תקון יב ותשאר פשה דאחבנה פנימי הוד דטה מקיף גבור דבת דר:
תקון ד אדון שערות שת השפה פנים תת דחכמה
מקיף נצח דחכמה:

גרון דזעיר

נעשה מוחין דקטנות

ד פיקא דזרוע ימין

הלחי פנימי ה דזעיר מלבוש
ה וד דחכמה פאדפא דרגלימין
מקיף גבורה דאריך ויס ותבונה
דח כמוז:

ג פיקא דזרוע דזעיר

כשרוחין אזן הגדולות
ג אהים מיסוד דאריך
ויס ותבונה

השמאל מלבוש פא
דפרקב דרגל שמאל

דיקנא קדישא

חוסדא

ס פיקא דזרוע ימין

דזעיר מלבוש פב
דפ דרגלימין דאא
ויס ותבונה

מזלחמצר חסד עב
צד זקן הגלגל
פנימי מלכות דחכמ
מקיף חסד דלהר

בן פרקב דזרוע שמאל

דזעיר מלבוש פב
דפ דרגל שמאל דאא
ויס ותבונה:

בעל הרצון שהוא חושך המוחלט נעלם מעיון כל ח׳

אור האיוסוף שהוצא כעל הרצון עי׳ הרושם שפנה מקום לעולמות

עולם המלבוש מהרושם

עולם העולם הראשון מעולמות האין סוף

ספירת של עולם המלבוש

רל״א שערי׳ פנים				רל״א שערי׳ אחוריים			
		עג	סג			מה	בן
כתר	אל	י	ו	כתר	לא	י	י
חכמה	בם	ו	ו	חכמה	מב	ו	ו
בינה	גן	ד	ד	בינה	נג	ד	ד
דעת	דס	ה	ה	דעת	סד	ה	ה
חסד	הע	י	י	חסד	עה	א	ה
גבורה	וף	ז	ו	גבורה	פו	ו	ז
תפארת	זץ	י	א	תפארת	צז	א	ז
נצח	חק	ו	ז	נצח	קח	ו	ה
הוד	טר	ה	ח	הוד	רט	ה	ה
יסוד	יש	י	י	יסוד	שי	א	
מלכות	כת			מלכות	תך		

פו׳ ג׳ אלהים

צז׳ ג׳ אלאדוי

Fig. 8.


ת האין סוף
עולם המלבוש בזמן שהיה מקפל את לבושו חציו בחציו וזהר דמצרים ת"ל
מקום פנוי הנקרא אויר קדמון
ארשימו עילאה והוא עולם שני
מעולמות האין סוף ושמו של אויר קדמון
הוא יגמ"ם והוא כולו אי"ן
כדור הטהירו


עולם המלבוש המקובלת
אדם קדמאה סתימאה
המקיף הטהירו והם יעיגולים
וי אוירים
עשר
המסרב
חכמה
בינה
גדולה
גבורה
לדור
הטהירו


אדם קדמאה סתימאה
עולם התוהו
ז' התהתונות שנשברו
עלמא נוקבא
דתהומא רבא:
חכמה ובינה
כתר שבו תלשות הכח שלא היה עמה כי כולן היו

Fig: 7.

תפ

ד פרקא דזרוע ימין דזעיר מלכישפרק שלישי דפרקא דרגל ימין דזא ויש תבונה

חסד ג שלישי במכוסה פרקא דתת דזעיר מלכישפרקא דפרק בדיסור דארי דאגפין דאא ויש תבונה

רה פרקא דזרוע שמאל דזעיר אנפין מלכישפרק שלישי דרגל שמאל דאא ויש תבונה

תיקון ג ונקה צד חלק השני המכוסה פנימי יסוד דכתר מקיף חסד דכתר

תיקון ה אפים שנחלק הזקן בעמצע פנימי נצח דחסד מקיף תת דחסד

תיקון ו משאעון שערין דעין תחות גרונא פנימי תת דכתר מקיף נצח דכתר

תיקון ט לאלפים שערות קשנות המוכלעות בו פנימי גבורה דכתר מקיף הוד דכתר

תיקון יא ופשעתלון בשיקולא פנימי נצח דכתר מקיף תת דכתר

פרסא דזעיר

כאן סוד יסוד עליון דישראל

בש המגולים ארת בש המגולים

פרקב דזעיר ופרקג דזעיר מלכישפרקב דפב דפב דיסוד דאא

ומכאן ולמטה נקרא ישורון

ו פרקא דרגל ימין דזא מלכישפא דפג דרגל ימין דאא ויש תבונה

יס פרקא דיסוד זא מלכישפא דפג דיסוד דאא ויש

ה פרקא דרגל שמאל דזא מלכישפא דפג דרגל שמאל דאא ויש תבונה

כללות ה חסדים

חסד ד המגולה

צ פרקב דרגל ימין דזעיר מלכי פג דפג דרגל ימין דאא ויש תבונה

ו פרקב דיסוד דזעיר מלכישפב דפג דיסוד אא ויש

ן פרקב דרגל שמאל דזעיר מלכי פב דפג דרגל שמאל דאא ויש תבונה

ח פג דרגל ימין דזא מלכישפג דפג דרגל ימין דאא ויש תבונה

ד פג דיסוד זעיר מלכישפג דפג דיסוד אא ויש

ד פג דרגל שמאל דזא מלכישפג דפג דרגל שמאל דאא ויש תבונה:

עשרה אפרים

כללות ה גבורות

מלכות נאה

כתר ריעקב

כנגד תת זעיר ישלו גם כן

יג תקונים

כתר רחל

תפילה דיר בנ

ה דשם עשיה דאצילות ישלה ששה תקונים ששה מעלות

חכמה	בינה
כנגד פרק ד עין דאא	כנגד פא דאא
דנצח כנגד פא דזעיר	דהוד ו דיסוד דזעיר
	יא

חסד	גבורה
נגד פב דנצח	תת נגד פב דהוד
כנגד פב דזעיר	דיסוד דזעיר
	יא

נצח	הוד
נגד פג דנצח	יסוד נגד פג דהוד
כנגד פג דזעיר	דיסוד דזעיר
	דזעיר

עשרה

כנגד עשרה דזעיר

ח	קל	ב
כנגד פרק דא	ה	כנגד פא דהוד
דנצח דזעיר	ומה ג נגד פא דיסוד	דזעיר
	דזעיר	

ד	ת	ג
גבורה א		גבורה ב
נגד פרק ב		נגד פרק ג
נצח דזעיר		דהוד דזעיר
	יסוד דזעיר	

נ	ר	ה
גבורה ד		גבורה ה
נגד פרק		נגד פג הוד
ג דזעיר		דזעיר

עשרה

כנגד עשרה יסוד דזעיר

ירושלים




a
A
B
C
D
E
F
G
H
L
X
Y
Z
V
W
O
Q
S
K
P
R
T



ג" תקוני דיקנא של אין ואריך

תיקוני שלאין במילה: תיקני של אריך בשמות:

א" מי אל כמוך	אל
ב" נושא עון	רחום
ג" ועבר על פשע	וחנון
ד" לשארית נחלתו	ארך
ה" לא החזיק לעד אפו	אפים
ו" כי חפץ חסד הוא	ורב חסד
ז" ישוב ירחמנו	ואמת
ח" יכבוש עונותינו	נוצר חסד
ט" ותשליך במצולות ים וכו' לאלפים	
י" תתן אמת ליעקוב	נושא עון
יא" חסד לאברהם	ופשע
יב" אשר נשבעת	וחטאה
יג" מימי קדם	ונקה

קליפות


1
52
54
53
78
90
114
126
138
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113